





ANTIQVITATES

IVRIS PVBLICI GRAECORVM.

DELINEAVIT

GEORG. FRID. SCHOEMANN.



GRYPHISWALDIAE.
IMPENSIS C. A. KOCHII.
LONDINI APUD BLACK ET ARMSTRONG.
PARISIIS APUD BROCKHAUS ET AVENARIUM.

MDCCCXXXVIII.

Praefatio.

Quo consilio hunc librum et cui potissimum generi lectorum conscripserim, quosque mihi fines huius antiquitatum doctrinae iuvenibus tradendae constituerim, quum in prooemio satis explicatum sit, pluribus nunc a me disseri nihil attinet. Neque verendum esse arbitror, ne aut alienum a philologi professione aut minus necessarium litterarum nostrarum studiosis laborem suscepisse videar, nisi quis forte aut consistere sine accuratiore antiquitatum cognitione philologiam posse opinetur, aut Graecarum antiquitatum cognoscendarum subsidia studiosis adolescentibus ea iam parata esse iudicet, quibus acquiesci commode possit. Ac de philologiae quidem ambitu disputare supervacaneum esse puto, quandoquidem satis mihi iam ab aliis refutata esse videtur eorum ratio, qui amplissimam professionem aut sui animi ac doctrinae finibus circumscribere aut plane alio detorquere conantur; in antiquitatibus autem Graecis illustrandis quum non pauci viri doctissimi proximis abhinc decenniis magna cum laude versati sint, tamen qui iustum doctrinae corpus discentium studiis accommodatum componere conaretur, si a minutis breviariis discesseris, unus extitit, vir clarissimus Carolus Fridericus Hermannus, cuius liber quam cupide exceptus sit repetita intra paucos annos editio demonstrat. Hunc ego quanti facerem in censura eius, Annall. critt. Berol. ann. 1836 vol. II no. 92 sqq., publice professus sum: neque tamen quae minus mihi probanda viderentur dissimulavi. Et sunt praeter ea, quae ibi exposui, etiam alia, in

quibus meum de recta tradendarum antiquitatum ratione iudicium a viro praestantissimo dissidet, quae hoc loco persequi nolo quum ipsa librorum nostrorum comparatio qualia haec sint cuilibet apertum facere possit. Ceterum magnopere me quum Hermanni libro, tum iis quos ante eum Guil. Wachsmuthius et Frid. Guil. Tittmannus de iure publico Graecorum ediderunt, in hoc meo conscribendo adiutum esse, ingratus sim si dissimulem. Quamquam vere dicere possum, nullum non locum ita a me tractatum esse, quasi hi libri non extarent, neque quidquam a me scriptum esse, quod non aut ipse solus invenissem, aut, etiamsi ab aliis acceptum, meis tamen oculis pervestigassem ac verum esse comperissem. Interim officii mei esse duxi, ut laudarem quoque loco quorum ex libris aut ego profecissem aut ea, quae mihi pro consilii mei ratione breviter tantummodo attingenda fuerunt, plenius cognosci possent. Sed quum plurima his proximis annis in hoc genere scripta sint, nequaquam haec omnia a me lecta esse non est quod diffitear. Et nonnulla quidem, quum valde cuperem cognoscere, non tamen potui nancisci; alia, quum non sine molestia ac sumptibus comparassem, spem meam magnopere fefellerunt; quae res quominus cum poenitentiae periculo de pluribus conquirendis laborarem me deterruit. Ita factum est haud dubie ut nonnulla etiam melioris notae praetermitterem; plura tamen eiusmodi esse arbitror, quae ignorasse impune sit. Si quid autem hoc in genere libro meo deest, id abunde Hermanni copiae supplere poterunt, quippe qui omnes fere etiam exilissimos libellos et iuvenilium studiorum specimina commemorare non dedignatus sit. Unum opus longe praestantissimum doleo non ante absolutam et iam typis descriptam maiorem libri partem in manus meas pervenisse, H. F. Clintoni Fastorum Hellenicorum tomum primum, quem quidem in ea parte, quae est de gentis Graecae stirpibus, non sine emolumento usurpare potuissem. Etiam Petri van Limburg Brouweri librum,

Histoire de la civilisation morale et religieuse des Grecs. A Groningue 1833—1837., sero nactus sum, qui Part. II tom. 1 de iuris gentium apud Graecos observatione copiose disserit. Sed hoc damnum levius puto, quandoquidem de iure ipso Brouwerus nihil admodum habet, quod non aut ab aliis aut a memet ipso expositum sit: neglecti vero et violati iuris exempla proponere nihil opus erat. Absolvi autem libri scriptionem schedarumque maiorem partem typographo Berolinensi describendam transmisi mense Iulio h. a., quod commemorandum duxi propterea, ne quis praeter haec quae modo dixi etiam alia nonnulla cognitu digna, quae sub idem illud tempus aut etiam post edita sunt, praetermissa a me esse criminetur. De formula et ratione, qua in rerum tractatione usus sum, praefari hoc unum libet: spectasse me imprimis quidem ut liber scholis academicis accommodatus evaderet, prospiciendum tamen etiam iis lectoribus censuisse, qui privato studio neque magistri auxilio adiuti antiquitates cognoscere cuperent. Itaque brevitatem ita ubique sequutus sum, ut non officeret perspicuitati: summas tantum rerum proposui, sed has ipsas quantum fieri potuit plane et dilucide: leviora aut praetermisi aut breviter attigi, indicatis simul aut veterum scriptorum locis aut recentiorum libris, unde plenior notitia peti posset, quumque de nonnullis rebus certa satisque explorata tradi non possent, harum disceptatione abstinui, nisi si breviter absolvi posse videretur, quae autem longiorem disputationem poscerent, tetigi tantummodo, quo vel in scholis accuratius pertractarentur, vel auditores aut lectores ipsi ad quaerendum impellerentur. Ceterum quod non eodem omnia modo et aequabili mensura tractata sunt, non mea culpa aut arbitrio factum, sed fontium atque subsidiorum impari condicioni imputandum est. Multa enim, quae accuratius nosse maxime cupias, cognosci propter veterum monumentorum defectum aut paucitatem non satis possunt. Alia igitur ratione ac modulo metiendum est scriptoris

opus ex disiectis passim et mutilis reliquiis operose congestum, quam quod ex abundanti materia construere licuit. In hoc, quid ars et symmetria poscat, in illo, quid materia sinat videndum est. Est porro haec antiquitatum Graecarum condicio, ut de quibusdam rebus non uno loco agi, sed easdem saepius commemorari necesse sit, quum nexus aut perspicuitatis ratio iubeat. Huiusmodi igitur repetitiones nemo reprehendet, sed hoc unum videbit, sitne quod quoque loco positum est apte et convenienter positum. Denique in sermone nulli magis rei quam facilitati et perspicuitati studui: ornamenta et flosculos orationis libri consilium excludebat. Latine autem scripsi quia etiam ab exteris haec legi cupiebam. Externa libri species ut formarum elegantia et chartae bonitate commendabilis foret a bibliopola provisum est, ac vellem magnopere etiam reliqua omnia cum hac specie concordare. Sed perincommode accidit, ut nonnullis in plagulis litterarum formae non satis omnes plane et distincte prelo exprimerentur, et vitia quaedam vel a typotheta vel ab iis, quorum manibus schedae descriptae erant, studiosis adolescentibus, vel etiam a me ipso commissa a correctore ob typothetae socordiam frustra tollerentur. Quamquam pleraque horum levia sunt nulliusque momenti, e. c. *n* aliquoties pro *u* positum, *e* pro *c*, aut accentus vocum graecarum omissi aut perperam notati, aut vocabula quaedam non pari ubique ratione scripta, velut condicio et conditio, pulchritudo et pulcritudo, res publica et respublica, aliaque eiusdem generis quae enumerare putidum sit. Graviora, quae quidem animadverterim, omnia in fine libri indicavi et correxi. Ceterum his atque talibus aequi lectores facile ignoscent: liber ipse si intelligentibus harum rerum iudicibus probabitur et aliquid certe ad cognitionem Graecae antiquitatis promovendam eiusque amorem in adolescentum animis alendum facere posse censebitur, operae pretium fecisse videbor.

Scrib. in universitate Pomerana a. d. XV. Cal. Nov. ann. MDCCCXXXVII.

Conspectus partium et capitum.

Prooemium.

§. I.

Nullius facile disciplinae philologicae aut professio maior aut ambitus amplior aut fines incertiores haberi solent, quam huius quae ab antiquitatibus nomen accepit [1]): quae quum de Graecorum et Romanorum moribus, institutis, legibus se expositaram profitetur, nihil aliud videtur profiteri quam omnis Graecorum Romanorumque vitae publicae et privatae cognitionem, siquidem nulla non vitae pars aut moribus atque institutis aut legum praeceptis continetur. Itaque non modo rerum publicarum forma et administratio sed etiam deorum cultus, sacra, caerimoniae, belli gerendi ratio omnisque res militaris, artes porro variae aut ad necessitatem vitae aut ad liberalem animi culturam et oblectationem comparatae, vita denique domestica et privata et quidquid ad victum cultumque corporis pertinet, haec omnia, utpote aut legibus descripta aut moribus et institutis moderata, locum sibi suum in antiquitatibus deposcent [2]).

1) Antiquitatum nomine veteres Romani libros inscripserunt de antiquis institutis et ritibus; et primus quidem, quod sciamus, M. Terentius Varro, cuius *antiquitates rerum humanarum*, itemque *antiquitates rerum divinarum* aliquoties a posterioribus commemorantur. Sed non paucos etiam aliorum libros similiter inscriptos fuisse Plinius docet Hist. natur. praef. tom. 1, p. 37 Tauchn. Cf. Gell. N. A. V, 13. XI, 1. XIII, 12.

2) Cf. F. A. Wolf *Darstellung der Alterthumswissenschaft* in Museo antiqu. stud. (Berol. 1807.) vol. I. p. 54 et ed. S. F. W. Hoffmann (Lips. 1833.) p. 32. — Ed. Platner *über wissenschaftliche Begründung und Behandlung der Antiquitäten.* Marburg. 1812. — G. Bernhardy *Grundriss zur Encyclopaedie der Philologie.* (Hal. 1832.) p. 308 sqq.

Verum hanc tantam rerum multitudinem et varietatem, etiamsi satis omnia explorari et illustrari atque ita inter se necti et vinciri possent, ut unum tanquam corpus disciplinae existeret partibus ac membris apte compositum, maiorem tamen profecto et ampliorem dicemus, quam quae semestrium scholarum spatio aut pertractari commode a docentibus aut percipi a discentibus possit. Praeterea fatendum est non paucas ex illis rebus propter monumentorum defectum ne posse quidem ad iustae disciplinae rationes satis explorari et cognosci: alias plenius atque accuratius nosse, etiamsi possimus, vix tamen operae pretium videri [3]): alias denique propter naturam suam atque ubertatem propriam sibi contemplationem et disciplinam postulare. Itaque quum omnem Graecorum Romanorumque vitam antiquitates complecti non possint, contrahantur necesse est in angustiorem orbem rerum quae et dignae cognitu aut necessariae, et arctiore affinitatis vinculo inter se coniunctae itaque comparatae sint, ut commode a ceteris seiungi et ad propriae cuiusdam disciplinae rationem ac formam describi et componi possint. Jam vero quum omnis populorum vita in triplici rerum genere vertatur, occupataque sit aut in procurandis rebus ad victum cultumque corporis tuendamque rem familiarem necessariis, aut in iis studiis, quae ad rerum divinarum humanarumque cognitionem et liberalem animi cultum atque oblectationem pertinent, aut denique in civili societate ac re publica ordinanda, administranda, tuenda: ex his tribus rerum generibus id quod primo loco posuimus accuratius dataque opera perscrutari, etiamsi aliquid fortasse otiosae delectationis, veri tamen ac solidi fructus parum habere videtur [4]):

---

3) Ruhnken *de doct. umbrat.* (Opuscul. Lugd. Bat. 1807.) p. 119: *paedagogorum ingeniis relinquendae sunt insulsae de veterum calceis, annulis, fibulis et paenulis compilationes.*

4) Opificia artesque *βάναυσοι*, agri cultura, res pecuaria, mercatura aliaque huius generis quamvis non mediocriter etiam ad

alterum genus, uberrimum illud longeque gravissimum, eae sibi disciplinae vindicant, quae in religionibus, philosophia, litteris artibusque elegantioribus cognoscendis versantur: restat igitur tertium, quod antiquitatibus demandemus tractandum.

§. II.

Versabitur ergo antiquitatum disciplina, quam quidem nos profitemur, in societate civili rebusque publicis quam fieri potest accuratissime et planissime proponendis; quod argumentum quam arcte cum historia coniunctum sit neminem fugit. Neque enim res gestae, quas historia narrat, recte intelligi causaeque rerum et eventus perspici et iudicari possunt nisi idonea etiam status populorum interni ac rei publicae notitia afferatur, et rerum publicarum forma et condicio, quippe non una semper et immutabilis, sed alia aliis temporibus, illustrari et explicari non potest sine rerum atque eventuum, unde illae mutationes oriuntur, cognitione: ut plane divelli alterum ab altero ipsa utriusque ratio et natura non sinat. Perfectam igitur omnibusque numeris absolutam doctrinam animo informare licet talem, quae historiam et antiquitates una complectatur, causarumque et eventuum continua serie explicanda omnium in utroque genere rerum connexionem aperiat. Sed id quo minus effici a nobis in veterum populorum historia possit, quum aliae causae impediunt, tum haec imprimis, quod plurimarum rerum memoria aut prorsus intercepta aut ita tamen obscurata est, ut quo quaeque pertineat quaeve sit inter eas connexio plane intelligi non possit: ne dicam nullam tantam esse humanae mentis aciem, quae etiam in plenissima minimeque oblittera rerum omnium memoria illam quam dixi connexionem ubivis perspicere valeat. Ita fit ut et in re-

---

rerum publicarum statum et condicionem pertineant, non tamen propterea etiam technologiam veterum ac similes disciplinas philologi esse dicemus.

bus ab historico tradendis plurimae sint, quae qua ratione ad antiquitatum cognitionem et intellectum pertineant nemo dixerit, et in antiquitatibus multae quae nihil facere videantur ad historiam rerum gestarum melius intelligendam. Hanc ob causam sicut historici ex antiquitatibus ea tantum adsciscere solent, quibus se ad explicandas res gestas et eventus uti posse iudicent, ita etiam qui antiquitates tradunt ex historia nihil sibi assumendum censebunt, nisi quod ad formam et condicionem rei publicae eiusque mutationes explicandas pertinere intellexerint. Hanc igitur nos quoque in Graecis antiquitatibus rationem tenebimus: erimus tamen in hac historica parte brevissimi, quandoquidem auditores poscimus historiae cognitione iam probabiliter instructos, quos de plurimis rebus verbo monere satis sit.

§. III.

His itaque finibus inclusa Graecarum antiquitatum disciplina amplissimum tamen plurimarum maximeque variarum rerum orbem habebit perlustrandum. Nam non solum repetenda rerum publicarum quam fieri poterit longissime initia persequendaeque variae earum mutationes per omnem historiae decursum usque ad illa tempora, quum sub Romani imperii umbra Graecia paullatim quasi delitescebat, verum etiam, quum Graecorum natio nunquam in unum rei publicae corpus coaluerit, sed in plurimas semper civitates divisa alias alibi leges, aliam rei publicae formam habuerit, fuerint tamen etiam communia quaedam totius gentis iura et instituta, quibus omnes inter se Graeci uterentur, porro variis foederum ac societatum generibus aliae cum aliis civitates modo arctius et diutius modo laxius et ad tempus coniunctae: harum omnium rerum nullam plane praetermitti debere apparet. Quamquam pariter de omnibus enucleate et copiose dicere vel dispar ipsarum dignitas et magnitudo vel monumentorum iniqua condicio ve-

tat. Nam si ab Atheniensibus et Lacedaemoniis discesseris reliquarum civitatum leges et insituta aut parum cognita sunt aut plane in obscuro latent, ita ut harum genus quidem rerum publicarum universe indicari institutorumque parva quaedam specimina passim reperta proponi, non autem plenior et quasi ad vivum expressa imago repraesentari possit. Hanc ob causam in Atheniensium praecipue et Lacedaemoniorum re publica accuratius cognoscenda acquiescere oportet; de reliquis quae comperta nobis et commemoratu digna sunt aptissime ibi significabimus ubi de Graecarum rerum publicarum formis et mutationibus in universum dicemus. Ceterum quum multiplex illa Graecae gentis in parvas easque admodum inter se dissimiles civitates divisio maximam partem et a terrae solique natura et a stirpis varietate repetenda sit, ante omnia de his quoque pauca erunt proponenda. Itaque omnis nostra commentatio his sex partibus absolvetur: I. De Graeciae situ magnitudine et divisione. II. De Graecorum populorum stirpibus. III. De Graecarum rerum publicarum formis earumque mutationibus in universum. IV. De re publica Lacedaemoniorum [1]). V. De re publica Atheniensium. VI. De communibus Graecorum iuribus, societatibus, foederibus.

§. IV.

Fontes autem, ex quibus harum rerum cognitio petenda sit, sunt quidem pleraque quae aetatem tulerunt Graecae ac nonulla etiam Romanae antiquitatis monumenta: non tamen eiusdem omnia sunt pretii aut ubertatis. Nam primum quum duplex sit monumentorum genus, litteratorum et non litteratorum, hoc posterius, in quo sunt v. c. aedificiorum antiquorum reliquiae artiumque et opificiorum opera, minoris est ad nostrum quidem

1) Huic parti commode adiungemus quae de Cretensium institutis Spartanorum simillimis comperta habemus.

consilium momenti nulloque modo cum litteratis monumentis comparandum. Ex his autem rursus primo loco censendae sunt veterum scriptorum reliquiae, altero loco inscriptiones, tertio loco nummi. E scriptoribus, quos omnes commemorare infinitum est et supervacaneum, eos tamen haud abs re erit indicare, qui praeter ceteros saepe nobis adeundi et tanquam testes advocandi erunt. Princeps omnium Homerus, qui ut ceteram heroicae aetatis vitam ita etiam rerum publicarum condicionem vividissime et haud dubie etiam verissime prodidit [1]). Pauciora Hesiodus suppeditat in operibus et diebus. Ceterorum vero veterum epicorum fragmenta tantum habemus admodum exigua nec magni momenti: recentiorum autem Alexandrinorum, Apollonii, personati Orphei, Quinti Calabri, Tryphiodori, Colluthi de heroica aetate testimonia non maiore fide digna videri debent, quam tragicorum poetarum, quos constat in moribus atque institutis illorum temporum repraesentandis summa libertate usos, nec tam veterum monumentorum fidem quam artis suae leges sequutos esse. — Proximorum post illam aetatem saeculorum aequalis memoria nulla extat praeter paucissima quaedam lyricorum poetarum fragmenta. Septimo ante C. n. saeculo leges a Charonda et Zaleuco scriptae perhibentur: sed quae tanquam ex horum legibus deprompta apud Diodorum Siculum et Joannem Stobaeum exstant, subditicia esse nunc quidem in confesso

1) De ratione qua Homerus in descriptione vitae heroicae versatus sit diversae sunt sententiae, quum alii eum suae aetatis mores et instituta expressisse ad eorumque similitudinem heroicam aetatem finxisse credant, alii eam ab Homero priscae aetatis imaginem proponi existiment, quae fuisset a prioribus vatibus, quos sane multos ante Homerum fuisse nemo ambigat, tanquam per manus tradita eoque facilius retenta et servata, quod non magno opere ab Homerica aetate remota et diversa esset: idque haud dubie verum est. Conf. Wolf. Prolegg. ad Hom. p. XCII. Wachsmuth. Antiqu. Hell. 1, 1 p. 300 sqq. C. O. Mueller prolegg. mytholog. p. 349 sqq.

est [2]). Solonis et legum pauculae quaedam reliquiae et versus aliquot supersunt rem Atheniensium publicam spectantes [3]). Post Solonem usque ad Socratis aetatem extiterunt quidem non pauci et poetae et pedestris orationis scriptores: sed pedestrium nihil nisi paucissima fragmenta supersunt [4]), nec multo melius de poetis actum est, e quibus Theognis gnomicus et Pindarus lyricus aliquid quamvis paullulum conferunt ad civilem qui illa aetate in aliquot Graeciae partibus fuit statum illustrandum [5]). — Sequuntur tempora omnis scriptorum generis feracissima: e quibus primo loco historici commemorandi sunt, qui aequalem aetatis suae aut non multo vetustiorem memoriam litteris consignarunt, Herodotus, Thucydides, Xenophon et qui longo ab his intervallo distat Polybius. Xenophontis autem non solum narrationem habemus rerum gestarum, sed etiam de civitatibus Atheniensium et Lacedaemoniorum libros [6]). Plures historiarum scriptores perierunt, qui aut universam historiam, quoad illa aetate

---

2) Vid. Bentleii opuscc. p. 340 sqq. Heynii opuscc. acad. tom. II. p. 12—119. Sainte-Croix sur la legislation de la grande Grèce, in Memm. de l'Acad. des inscr. tom. XLII. p. 256 sqq.

3) Solonis Atheniensis carminum quae supersunt, ed. N. Bachius. Bonn. 1825. 8.

4) Historicorum Graecorum antiquiss. fragmenta, coll. em. expl. Fr. Creuzer. Heidelberg. 1806. 8. Pherecydis fragmenta coll. — fragm. Acusilai adiec. Fr. Gu. Sturz. Gerae 1789. 8. Hellanici Lesbii fragmenta coll. etc. Fr. Gu. Sturz. ed. 2. Lips. 1826. 8. Hecataei Milesii fragmenta ed. R. H. Klausen. Berol. 1831. 8.

5) Theognidis reliquiae. novo ordine dispos. comm. crit. et nott. adi. Fr. Th. Welker. Francof. ad M. 1826. 8. — Gu. Wachsmuth, de Pindaro rei publicae constituendae et gerendae praeceptore. Kil. 1823. 24. 4. — Quid Homerus et Pindarus de virtute, civitate, diis statuerint. Scr. O. Zeyss. Jenae. 1832. 4.

6) Sunt tamen hi libri a multis Xenophonti abiudicati, nec fortasse iniuria. Vid. de hac quaestione F. Haase, praef. ad Xen. de rep. Laced. (Berol. 1833.) qui tamen ipse libri authentiam defendit, quemadmodum et C. F. Hermann. in Zimmerm. diurn. scholast. ann. 1831. no. 149. et libri de rep. Ath. Fr. Gu. Krueger de vita Xenophontis p. 31.

fieri poterat, complectebantur, ut Ephorus et Theopompus [7]), aut suae et proxime superioris aetatis memoriam, ut Phylarchus [8]), aut in originibus potissimum et antiquitatibus illustrandis versabantur, ut Philochorus, Phanodemus aliique Atthidum scriptores [9]). In tam multorum iactura fragmentis doctorum virorum studio collectis et iis scriptoribus, qui ex illis hauserunt, acquiescendum est, ex quibus Diodorus et Plutarchus praecipui [10]). Historicis adiungendi sunt geographi, quorum qui unus fere de maioribus aetatem tulit, Strabo, plurima habet ad antiquitatum cognitionem utilissima: utilissimus etiam Pausanias, qui in percensendis et describendis vetustis artis operibus multa ex historia et antiquitatibus admiscere solet [11]). — Ex philosophis ii tantum nobis commemorandi sunt, qui de vita et moribus ac de civili societate disseruerunt, Plato, imprimis propter libros de legibus [12]) (quamquam in Platonis omnibus dialogis plurima passim sparsa sunt ad cognoscendum Athenarum

---

7) Ephori Cumaei fragmenta, coll. atque illustr. Meier Marx. Caroliruhae. 1815. — Theopompi fragmenta, coll. R. H. Eyssonius Wichers. Lugd. Bat. 1829.

8) Phylarchi historiarum fragmenta, coll. F. Lucht. Lips. 1836.

9) Philochori fragmenta — ed. C. G. Siebelis. Lips. 1811. 8. Accedunt Androtionis Ἀτθίδ. reliquiae. — Add. Boeckh, über den Plan der Atthis des Philochorus, in Comm. Academ. Boruss. ann. 1832. — Phanodemi, Demonis, Clitodemi atque Istri Ἀτθίδων — fragm. coll. C. G. Lenz et C. G. Siebelis. Lips. 1812. 8. cum Siebelisii prolusione de Ἀτθίδων scriptoribus, antea separatim edita Budissae 1812.

10) Conf. Heynius de fontibus et auctoribus historiarum Diodori. Comm. Gotting. vol. V, 3. et VII, 3 et in Diodori ed. Bipont. tom. I. p. XIX-CIV. — Heeren de fontibus et auctoritate vitt. parall. Plutarchi commentatt. quatuor. Gotting. 1820. 8.

11) Cf. F. S. C. Koenig, de Pausaniae fide et auctoritate. Berol. 1832. 8.

12) C. F. Hermann, disp. de vestigiis institutorum vett., imprim. Atticorum, per Platonis de legibus libros indagandis. Marburg. 1836. 4. — Id. Juris domestici et familiaris apud Platonem in legibus cum vet. Graec. inque primis Athenar. institutis comparatio. ib. eod. 4.

illo tempore statum magno opere pertinentia,) et Aristoteles propter libros de re publica. Multo plus etiam proficeremus ex huius libris πολιτειῶν, in quibus amplius CL rerum publicarum formam exposuerat: sed nihil ex his praeter pauca fragmenta superest [13]). Ceterum multi etiam alii imprimis ex Aristotelis disciplina philosophi de re publica disputarunt aut etiam civitatum leges et instituta perscripserunt [14]), ex quibus unius Heraclidae Pontici πολιτειῶν exigua particula servata est [15]). Ex Aristotelis disciplina fuit etiam Dicaearchus Messenius cuius βίον Ἑλλάδος particula item exigua aetatem tulit [16]), et Theophrastus cuius notationes morum nonnihil conferunt ad civilem quoque Atheniensium vitam cognoscendam. Hanc vero ex nullo sane scriptore melius et planius cognoscimus quam ex Aristophane, cuius comoediae, quamvis ridiculi causa vitia hominum et stoliditatem supra verum exaggerent, vividissimam tamen et si recte intelligantur verissimam exhibent Atticae civitatis imaginem [17]). Recentioris comoediae scriptores omnes perierunt, et fragmenta nobis nulli fere usui sunt; sed extant imitationes Romanorum, Plauti et Terentii, quamquam hae, et maxime Plautinae, cum cautione usurpandae [18]),

---

13) Aristotelis rerum publicarum reliquiae. Coll. Car. Frid. Neumann. Heidelb. 1827. 8 Meliorem horum fragmentorum collectionem ab A. Stahrio expectare licet.

14) Vid. Heyne, Opusc. Acad. tom. II. p. 280 sqq. Boeckh in Platonis Minoem, p. 81. Neumann in Aristot. r. p. fragm. p. 21. Wachsmuth. Antiquitt. Hell. II, 1, p. 438.

15) Heraclidae Pontici fragmenta de rebus publicis, ed. G. D. Koeler. Hal. 1804. 8. Extant fragm. etiam in Gronovii thesaur. Ant. Gr. tom. VI.

16) De Dicaearcho eiusque operibus, scr. Aug. Buttmann. Numburg. s. a. 4.

17) H. Th. Rötscher, Aristophanes und sein Zeitalter. Berlin 1827. 8. P. F. Kanngiesser, die alte komische Bühne in Athen. Breslau 1817. 8.

18) Conf. G. Koepke, in Zimmermann. diurn. antiqu. (Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft.) ann. 1835. fasc. 12.

Ceterum quoniam recentior comoedia in privata ac domestica vita consistit nec rem publicam attingere solet, minoris est ad antiquitates nostras quam vetus illa momenti. Jam vero ad ius Atheniensium et rem iudiciariam cognoscendam nullum scriptorum genus uberius est quam oratores, veteres illi ab Antiphonte usque ad Dinarchum, qui in comitiis ac foro aut de rebus publicis aut de causis privatorum dixerunt[19]. Nam recentiorum rhetorum potius quam oratorum, etiamsi nonnunquam argumenta tractant ex vetere historia desumpta, longe tamen minor auctoritas et rarior usus est. Cautius etiam agendum est cum artis oratoriae magistris, qui causarum aut publicarum aut privatarum exempla proponunt, ficta plerumque cum legibus item fictis, quae quum pro veris haberentur, insignium saepe errorum causae fuerunt[20]. — Postremo loco ii scriptores commemorandi sunt, qui postquam vetus Graecia defloruit in erudita Graecae antiquitatis cognitione ex vetustis monumentis haurienda elaborarunt. Id studium, Alexandriae praecipue celebratum, plurimos protulit variarum antiquitatum libros: nos unum habemus Athenaeum, qui licet in singulari genere versetur multa tamen passim admiscuit nobis quoque admodum utilia. Nec Aelianum praetermittemus, variae historiae compilatorem, in qua multa quidem levissima, nonnulla tamen satis bonae frugis. Plurimum autem debemus scholiorum et lexicorum scriptoribus, quorum illi ex veterum grammaticorum commentariis excerpserunt quae ad explicandos scriptores antiquos pertinerent, hi autem de rebus varii generis, grammaticis, historicis, antiquariis, secundum rerum aut litterarum ordinem exposuerunt, quales sunt imprimis

19) A. Westermann, Geschichte der griechischen Beredsamkeit. Leipz. 1833. 8.

20) Petito in Legg. Att., et magis etiam Meursio in Themide Attica.

Julius Pollux, Harpocratio, Suidas, Photius, Zonaras aliique complures.

§. V.

Secundum libros nullum genus monumentorum ad cognoscendas antiquitates utilius est inscriptionibus, quarum sat magnus numerus ad nostra tempora perduravit. Solebant enim Graeci et publica acta pleraque, ut leges, senatus consulta, foedera cum exteris pacta, porro magistratuum indices, victorum in solemnibus ludis nomina aliaque id genus plurima lapidibus aut aeri incisa proponere, quo et cognosci a populo facilius possent et ad posteritatis memoriam certius propagarentur: et privatorum quoque negotia graviora, velut venditiones, donationes, oppignerationes fundorum eodem nonnunquam modo consignabantur: ut taceam titulos donariorum, statuarum, monumentorum varii generis. Colligendis autem inscriptionibus tanquam praestantissimo veteris historiae instrumento iam inter ipsos Graecos nonnulli operam dederunt, inde a Philochoro, qui primus in hoc genere elaborasse videtur [1]: recentioribus temporibus tituli studiose vel a peregrinantibus descripti [2]) vel a viris eruditis in unum congesti, dispositi, emendati et explicati sunt [3]). De his

1) De Philochoro aliisque veteribus inscriptionum collectoribus vid. Boeckh. praef. Corp. Inscr. tom. I. p. VIII.

2) Primus ex horum numero fuit Cyriacus Anconitanus, qui anno MCCCCXXXVII Graeciam peragravit. Editae autem inscriptiones a Cyriaco collectae superiore demum saeculo h. t.: Inscriptiones s. epigrammata Graeca et Latina reperta per Illyricum etc. Romae MDCCXLIV. Fol.

3) Plenissimum omnium huiusmodi collectionum usque ad annum MDCCXXXVII indicem habet Meuselius, Bibliothec. histor. vol. III, p. 328-345. His postea accesserunt Fr. Osann, Sylloge inscriptionum antiquarum Graecarum et Latinarum. Jenae (post. Darmstadii) MDCCCXXII sqq. X fasc. fol. H. J. Rose, Inscriptiones Graecae vetustissimae. Cantabrig. 1825. 8. C. Viduae, Inscriptiones antiquae in Turcico itinere collectae. Paris. 1818. 8. Griechische und Lateinische Inschriften, gesammelt von Otto Friedrich v. Richter, herausg. v. J. V. Franke, Berlin 1830. 4.

nunc singillatim dicere nihil attinet, quia omnes, qui antehac in inscriptionibus studium suum et operam collocarunt, longe superavit et prorsus obscuravit unius viri, Augusti Boeckhii, industria, qui quidquid ubique Graecarum inscriptionum repertum est colligere, ordine commodissimo disponere, corrupta emendare, obscura illustrare instituit [4]), tantumque incredibili labore, diligentia, doctrina, sagacitate effecit, quantum priores illi ne spe quidem et cogitatione concipere ausi sunt. — Postremo in nummis quoque eorumque vel signis vel inscriptionibus nonnihil saepe praesidii est ad historiam populorum et instituta illustranda: quin fuerunt qui etiam maiorem his quam inscriptionibus illis utilitatem vindicare conarentur. Rectissime autem Boeckhius [5]) „qui imperatorum" inquit „tempora et principum seriem rite deducere, imagines et hominum et deorum cognoscere atque ex his de variis variarum civitatum religionibus coniecturam facere velit, in nummis: qui mores et instituta populorum, rerum publicarum, formas et administrationem, denique civiles privatasque veterum res universas indagare et linguae ac sermonis proprietates investigare constituerit, in inscriptionibus maius est praesidium habiturus [6])."

4) Corpus inscriptionum Graecarum, auctoritate et impensis Academiae litterarum Borussicae ed A. Boeckhius. Vol. 1. Berol. 1828. Vol. II. fasc. 1. ib. 1832. fasc. 2. ib. 1835. fol.

5) Praef. Corp. inscr. p. XI.

6) E scriptoribus rei nummariae praecipue commemorandi sunt Ez. Spanhemius de usu et praestantia numismatum antiquorum. Ed. 2. Lond. et Amst. 1706. II Fol. Pelerin, Recueil de medailles etc. Paris. 1763. VIII. 4. Jos. Eckhel, Numi veteres ex museis Caes. Vind. Florent. etc. illustrati. Vienn. 1775. II. 4. Eiusd. Catalog. musei Caes. Vindob. ib. 1779. Fol. Eiusd. Doctrina nummorum veterum. Vindob. 1792 ss. IX. 8. Mionnet Description de medailles antiques Grecques et Romaines. Paris. 1807. II. Plura vid. ap. Meusel. Biblioth. histor. vol. III, p. 346 et in J. G. Lipsii Bibliotheca nummaria usque ad fin. saec. XVIII. Lipsiae 1801. II. 8.

§. VI.

Ex his igitur fontibus repetitam antiquitatum Graecarum doctrinam post renatas litteras inde a saeculo sexto decimo multi, quamquam vario consilio et successu tradere instituerunt. Nam initio cordatissimus quisque veterum rerum publicarum ac civilis disciplinae cognitionem omnemque populorum historiam expetendam censebat tanquam uberrimum civilis prudentiae fontem, unde exempla omnis generis et praecepta hauriri possent ad gerenda naviter negotia administrandamque rem publicam utilia. Tali consilio Carolus Sigonius, Guilelmus Postellus, Antonius Thysius, Ubbo Emmius, Nicolaus Cragius [1]) aliique plures de veteris Graeciae rebus publicis scripserunt, doctrinae quidem copia, investigandi sollertia, iudicandi facultate admodum inter se dispares, id tamen omnes potissimum spectantes, ut veterum civitatum et institutorum memoriam ad aequalium suorum usum revocarent. Mox autem alii sive natura et ingenio sive consilio et voluntate ab hac civili ratione alieni id unum agere coeperunt, ut materiam omnis generis antiquariam undique conquirerent et componerent [2]), de utilitate et fructu parum fere solliciti, acervum tantummodo rerum quam pos-

1) Car. Sigonii de re publica Atheniensium libri quatuor. Bonon. 1564. 8. Postea saepius repetiti, et in Gronovii thesauro tom. V. — Guil. Postelli tractatus de re publica s. magistratibus Atheniensium, in Gron. thes. tom. V. Ant. Thysii de re publica Atheniensium tractatus politicus. ibid. Ubb. Emmii de compluribus Graecorum rebus publicis libri, ibid. tom. IV. Nic. Cragii de re publica Lacedaemoniorum libri IV. Genev. 1593. 4 et in Gron. thes. tom. V.

2) Ex hoc genere compilatorum praecipua laude dignus es Joannes Meursius, cuius de variis antiquitatum Graecarum parti bus libri (de populis s. pagis Atticis. Athenae Atticae. Cecropia. Ceramicus geminus. Piraeeus. Reliqua Attica. De regno Athen. De Archontibus Athen. Fortuna Atheniensium. Themis Attica. Areopagus. Theseus. Solon. Pisistratus. Eleusinia. Panathenaea. Graecia feriata. De ludis Graecorum. Orchestra. De puerperio. De regno Laconico. Miscellanea Laconica. Creta. Cyprus. Rhodus.) plerique a Gronovio in thesauro A. Gr., omnes cum ceteris Meursii operibus ab Jo. Lami editi sunt, Florent. 1741 - 63. XII. Fol.

sent plenissime cumulantes. Hinc ingenti labore et eximia nonnunquam doctrina conscripti de rebus minutulis commentarii, quos non immerito Ruhnkenius irridet [3]). Extiterunt deinde qui partas ab aliis et per multa vastaque volumina sparsas opes in brevius contrahendo et per partes digerendo corpora quaedam antiquitatum conficerent ad commodiorem ac faciliorem lectionem aut etiam ad scholarum usum accommodata, quale primus in Germania edidit Joannes Philippus Pfeifferus [4]), laudatissimum apud Britannos Joannes Potterus [5]), multique post eos alii, nec doctrina plerique nec iudicio magnopere pollentes [6]). Ab hoc arido et ieiuno genere diversam plane multoque subtiliorem et elegantiorem rationem instituerunt saeculo superiore docti quidam in Britannia

---

3) De doctore umbr. loco supra §. 1, 3 citato. — Pleraque huius generis collecta sunt in Gronovii thesauro A. Gr. Lugd. Bat. 1697—1702. XIII. Fol. Index scriptorum in hoc thesauro editorum extat apud J. A. Fabricium, Bibliographia antiquaria (ed. 3. cur. P. Schaffshausen. Hamburg. 1760 4.) p. 72 sqq. et in Meuselii Bibliotheca historica Vol. III. part. 2. p. 155. In iisdem libris etiam de aliis plerisque antiquitatum scriptoribus dictum est.

4) J. P. Pfeiferi antiquitatum Graecarum gentilium, sacrarum, politicarum, militarium et oeconomicarum libri IV. Regimont. et Lips. 1699. 4. et postea saepius ed.

5) Joh. Potter Archaeologia Graeca, or the antiquities of Greece. Oxford. 1699. II. 8. In Latinum sermonem convers. in Gronovii thes. tom. XII, in Germanicum ab Jo. Jac. Rambachio, Hal. 1775. III. 8. (Tertius tomus habet Rambachii commentarios archaeologicos: *Archaeologische Untersuchungen.*)

6) Paucos commemorare satis est. Lamb. Bos, Antiquitatum Graecarum praecipue Atticarum descriptio brevis. Franequ. 1714. 8. et saep. alibi, postremo ed. ab J. C. Zeunio, Lips. 1787. 8. Franc. Rous, Archaeologiae Atticae libri VII. Lond. 1637. 4 et postea saepius. Sigb. Havercamp, Antiquitt. Graec. praecipue Atticarum descriptio brevis. Lugd. 1740. 8. P. F. A. Nitzsch, Beschreibung des häuslichen, gottesdienstlichen, politischen, kriegerischen und wissenschaftlichen Zustandes der Griechen. Fortges. v. J. G. Ch. Höpfner u. G. G. S. Koepke. Erfurt 1791-1806. IV. 8. Thom. Harwood Greecian Antiquities or an account of the public and private life of the Greeks. Lond. 1801. 8. In Germanicum serm. convert. G. S. Forbiger. Lips. 1805. 8. J. C. L. Schaaff, Antiquitäten u. Archaeologie der Griechen u. Römer (in: Encyclopaedie der classischen Alterthumskunde tom. II.) Magdeb. 1808. 8.

adolescentes, status Graeciae civilis, qui fuit belli Peloponnesiaci tempore, vividiorem et tanquam ex oculatorum testium relationibus expressam imaginem describere conati [7]): similique ratione in Gallia Barthelemius Anacharsin Scytham de omni Graecorum vita publica et privata, de litteris, artibus, moribus, ritibus, quae in itinere, circa medium quartum a. C. n. saeculum, cognorit, amicis suis per epistolas fecit exponentem [8]). Hi libri, imprimis Barthelemii, lectu iucundissimi atque etiam perutiles sunt summaque laude digni: quamquam satis saepe aut falsa fictaque pro veris tradunt aut minus recta de quibusdam rebus iudicia promunt. — Nostra autem aetate a viris doctrina pariter et iudicio instructis omnis haec civilium antiquitatum materia diligentius denuo excussa, multa, quae priores neglexerant, protracta, fontes quoque non pauci novi reperti, novaque et longe quam olim clariore luce pleraeque huius disciplinae partes illustratae sunt [9]). Finem vero his

---

7) Philippus Yorke, comes de Hardwicke, Carolus Yorke, huius frater, D. Rooke, D. Green aliique plures, etiam erudita mulier Catharina Talbot, scripserunt Athenian lettres, or the epistolary correspondence of an agent of the king of Persia, qui liber typis descriptus ann. 1741 et 1743. 8, I. 4 iterumque 1781. IV. 8, sed non publicatus nisi ann. 1798. II. 4 et repet. Basileae 1800. III. 8. In Germ. serm. convert. Fr. Jacobs. Lips. 1799. 1800. II. 8.

8) Voyage du jeune Anacharsis en Grèce dans le milieu du quatrieme siecle avant l'ère vulgaire. Paris 1788. VII. 8. et postea saepius ed. In Germ. serm. conv. ab J. E. Biester. Berolin. 1792. VII. 8. et a C. A. Fischer et Th. de Haupt, Moguut. 1828 ss. XIV. 8.

9) F. A. Wolfii, A. Boeckhii, C. O. Muelleri, A. W. Heffteri, E. M. Meieri, E. Platneri aliorumque opera infra suo loco commemorabuntur: nunc praecipuos eorum nominare satis est, qui universas antiquitates civiles complexi sunt, quales sunt e nostratibus F. W. Tittmann, Darstellung der griech. Staatsverfassungen. Lips. 1822. 8. W. Wachsmuth, Hellenische Alterthumskunde aus dem Gesichtpunkte des Staates. Hal. 1826-1830. II. partt. in IV voll. 8. C. F. Hermann, Lehrbuch der griech. Staatsalterthümer aus dem Standpunkte der Geschichte. Ed. 1. Heidelb. 1831. ed. 2. ib. 1836. 8. Huc pertinent etiam A. H. L. Heeren, Ideen über Politik, Handel und Verkehr der vornehmsten Völker der alten Welt. Vol. III part. 1. Götting. 1812. 8.

studiis et omni rerum humanarum historiae qui sapiunt omnes hunc propositum esse consentiunt, ut variis et multiplicibus quae ubique extiterunt formis et speciebus humanitatis quam fieri potest plenissime et accuratissime perspectis vim ipsam et naturam humanitatis magis magisque mente et intelligentia complectamur.

---

et Opp. histor. vol. XV. K. D. Hüllmann, Staatsrecht des Alterthums, Colon. 1820. 8. Fr. Kortüm, zur Geschichte Hellenischer Staatsverfassungen, hauptsächlich während des Peloponnesischen Krieges. Heidelberg 1821. 8. Marq. de Pastoret, histoire de la legislation, tom. V-IX. Paris. 1824-1227.

I. De Graeciae situ, magnitudine et partibus.

§. I.

Graecia omnis [1]) a quadragesimo circuli meridiani gradu ad trigesimum sextum et paullo infra pertinet [2]), ut nulla sit pars Europae magis ad meridiem sita. Magnitudine omnium fere minima est. Nam a confiniis Macedoniae ad Taenarium promontorium longitudo est LV haud amplius milliarium: latitudo non eadem ubique; sed media ferme ab Ambracio sinu ad Maliacum stadiorum est circiter DCCC s. milliarium XX [3]): omnis autem superficiei, praeter insulas adiacentes, mensura milliarium quadratorum circiter MC [4]). Sed nulla

1) De Graeciae geographia conf. imprimis F. C. H. Kruse, Hellas od. geographisch-antiquarische Darstellung des alten Griechenlandes tom. I. Lips. 1825. II, 1. ibid. 1826. II, 2. 1827. 8. H. Clinton, de Graeciae magnitudine, in eiusd. Fastis Hellenicis, conv. a C. Gu. Kruegero. (Lips. 1830.) p. 391 sqq. Mappis geographicis a Lapio et Leakio descriptis non usus sum, sed iis tantummodo, quas Muellerus confecit: Karte des Peloponnes während des Peloponnesischen Kriegs, cum explicationibus in Doriens. tom. II. p. 423 sqq. et: Tabula qua Graecia superior, qualis tempore belli Pelop. ineuntis fuit, descripta est, cum libello: Zur Karte des nördlichen Griechenlandes. Vratislav. 1831. 8.

2) Vid. Krus. Hell. 1. p. 192. cf. tamen p. 595 et 605.

3) Strab. VIII, 1, p. 334 ed. Casaub.

4) Cf. Clinton F. H. p. 394 qui totius Graeciae cum insulis adiacentibus, sed Epiro excepta, magnitudinem censet mill. quadr. Angl. 22231 (geogr. circ. 1048) et quidem Thessaliae 5674 (267, 42) Acarnaniae 1571 (74,04) Aetoliae 1165 (55) Phocidis cum Doride et Locride 1570 (74) Boeotiae 1119 (52, 74; sec. Mueller. Orch. p. 31 circ. 58 Germ.) Atticae 720 (34; sec. Boeckh.

alia terra in tam exiguo spatio aut tam lata mari littora obiicit [5]) tantaque sinuum multitudine interrupta est, aut tot montium iugis usque quaque porrectis in tam multas partes dirimitur, soli natura, situ ac coeli temperie in summa propinquitate maxime tamen inter se varias et diversas. Dividitur autem Graecia in tres partes maiores, quarum duae, altera ab Acroceraunìis montibus et Olympo ad Ambracium sinum et Maliacum, altera dehinc ad sinum Corinthium et Saronicum, continuo tractu procurrunt, tertia angusto quadraginta stadiorum isthmo [6]) cum illis connexa est, omnes autem rursus multifariam montibus ubique discurrentibus dirimuntur.

§. II.

Primum enim ab eo montium tractu qui ab Illyria et Macedonia Graeciam separat, et cuius partes sunt Ceraunii et Cambunii montes cum Olympo [1]), unus quasi ramus ad meridiem versus procurrens, Pindus (hodie Agrapha) [2]) superiorem

---

Oec. r. p. Ath. 1. p. 53 circ. 40 Germ.) Megaridis 143 (6,74) Achaiae cum agro Sicyonio et Phliasio 783 (36,90) Elidis cum Triphylia 930 (43,83) Arcadiae 1701 (80,17) Argolidis cum Corinthio agro et Cynuria 1307 (61,60) Laconicae 1896 (89,36). Messeniae 1162 (54,77) Insularum autem Euboeae 1410 (66,45). Corcyrae 211 (9,94) Leucadiae 116 (5,47) Cephalleniae 383 (18,05) Ithacae 22 (1,04) Zacynthi 153 (7,21) Cytherae 126 (5,94) Aeginae 41 (1,93) Salaminis 28 (1,32.) Sed pleraque horum admodum incerta sunt.

5) In Zach. Ephemer. geogr. tom. III (ann. 1799) fasc. 4. p. 364 circuitus littorum censetur 720 mill. geogr., quum Italia habeat 580, Suecia 390, Gallia 275.

6) Strab. VIII, 3 p. 334. Agathem. Geogr. 1 p. 193 Gron.

1) De Ceranniis s. Acroceranniis cf. Dionys. Perieg. v. 388. Plin. H. N. IV, 1. Cambunii montes inter Macedoniam et Thessaliam nominantur a Livio e. c. XLII, 53. XLIV, 2. Graeci scriptores omnem hunc tractum Olympi nomine comprehendunt, v. c. Herodot. VII, 129. coll. I, 56. Idem τὸ Μακεδονικὸν οὖρος dicitur Herodot. VII, 131. Cf. Strab. VII, 8 p. 329, et de altitudine Olympi Krus. 1 p. 266.

2) De Pindo cf. Strab. IX, 5 p. 434. Eius summum iugum ad septentrionem Lacmos v. Lacmon dicitur. Herod. IX, 93. Steph. Byz. s. v. Casaub. ad Strab. p. 316.

Graeciam in duas partes dividit, quarum quae ad occidentem sita est, Epirus, quae ad orientem, Thessalia vocatur. Epirus omnis montana atque aspera [3]) plurimas gentes habebat, alias barbaras, alias graecas quidem sed cum barbaris mixtas et a ceterorum Graecorum rebus atque commerciis plerumque seiunctas, cultuque etiam et moribus diversas [4]). Thessalia montibus et ipsa undique septa est, sed campestribus regionibus interiectis, quarum superiorem, Pindo, Cambuniis montibus, Olympo, Ossa, Pelio, Othrye et Tymphresto inclusam [5]), Peneus fluvius Graeciae maximus [6]) ab occidente ad orientem versus perfluit, multisque minoribus amnibus auctus per angustam convallem inter Olympum et Ossam in mare prorumpit [7]). Inferior Thessaliae planities, Tymphresto et Othrye ab illa superiore dirempta, ad meridiem Oetaeis iugis terminatur. Hanc Sperchius irrigat a Tymphresto ortus et in Pylaicum sinum infusus [8]). Utraque pars agris et pascuis opima, frugum et pomorum ferax, pecori omnis generis, equis praecipue, idonea, portuosa etiam et maritimis commerciis apta, hominum numero, oppidis

3) Strab. VII, 7 p. 327.

4) Theopompus (ap. Strab. p. 323) quattuordecim gentes Epiroticas numerat, in quibus nobilissimos Chaones et Molossos. Thesprotos, Orestas, Atintanes, Parauaeos Thucyd. II, 80 et Strab. p. 321 barbaros vocant. Cf. id. p. 327 et IX, 5 p. 434. V, 2 p. 221. — De Illyriorum in Epirum irruptionibus cf. Mueller. Dor. 1 p. 5. 6. — Ceterum multi Epirum a Graecia plane segregarunt, et initium Graeciae fecerunt a sinu Ambracio. Ephor. ap. Strab. VIII, 1 p. 334 (Marx. p. 159). Dicaearch. descript. Graec. v. 24.

5) Cf. Herodot. VII, 129.

6) Plin. H. N. IV, 15: quingentis stadiis, dimidio eius spatii navigabilis.

7) Strab. VII, 8 p. 329. IX, 5 p. 438. — Olim nullo per montes exitu Peneus omnem hanc Thessaliae partem inundasse dicitur, donec terrae motu Olympus et Ossa divulsi viam angustam per Tempe convallem dederunt. Herod. VII, 6. Strab. p. 430. De Tempibus cf. et Plin. IV, 15. Aelian. V. H. III, 1. Larcher. ad. Herod. tom. VIII, p. 546.

8) De Tymphresto, Othrye, Sperchio vid. Strab. IX, 5 p. 433. de Oeta ib. 4 p. 428.

pagisque frequens, neque tamen pro magnitudine ac bonitate terrae etiam incolarum ingeniis felix aut civitatum potentia et gloria insignis [9]. — Annexa ad orientem Thessaliae est Magnesia, a Penei ostio per Ossae et Pelii iuga in mare procurrens atque in ligulae formam desinens, inter quam et continentem terram Pagaseticus sinus infunditur [10].

§. III.

Infra Thessaliam et Oetaeos montes usque ad sinum Corinthium et Saronicum media est Graecia, quae et ipsa rursus in duas partes dividi potest. Nam ab Oeta versus meridiem Parnasi iuga procurrunt [1], quibus ad occidentem alii montes, cum Pindo aut Oeta coniuncti, usque ad Ambraciam et Corinthii sinus littora porriguntur, modicis campis interiectis. Ex his primus mons Corax est [2], quem alii ignobiliores excipiunt, in promontorium Antirrhium desinentes [3]. Inter hos et Parnasum Locri habitant, ii qui ἑσπέριοι aut Ὀζόλαι [4] dicuntur, genus hominum agreste, manu promptum, bello et rapinis deditum, ab humanioribus artibus et mitiore vitae cultu alienum [5]. Terra pleraque montana et aspera; sed ubi montes de-

---

9) Thucyd. I, 2. Strab. VIII, 8. p. 388. IX, 5 p. 430. Plat. Apolog. c. 15 in. Schol. Eurip. Phoen. 1426. Zenob. IV, 29. Prov. append. Vatic. IV, 6.

10) De Pelio monte cf. Dicaearch. p. 30 Buttm. de Magnesia in univ. Mueller. Orchom. p. 250.

1) Strab. IX, 3 p. 417. Krus. II, 2 p. 4 sqq. et de altitudine Parnasi cf. Mueller. Orchom. p. 88.

2) Strab. l. l. et X, 2 p. 450. Krus. p. 198 sqq.

3) Strab. X, 2 p. 460.

4) H. e. Olidi. De ratione nominis cf. Strab. IX, 4 p. 427. Pausan. X, 28, 1. Eustath. ad Iliad. II, v. 529 p. 276, 10. Larcher. ad Herod. tom. VIII, p. 306. Krus. II, 2 p. 156.

5) Thucyd. I, 5. III, 95. Ceterum erant hi ab Opuntiis oriundi. Ephor. ap. Scymn. Chium v. 480. Eustath. ad Iliad. II 531 p. 277, 20.

sidunt, campi frugum et pomorum, oleae imprimis, feraces, pauci tamen et angusti [6]). — Ultra hos Aetolia est, ad orientem et septentrionem montibus Corace et Callidromo, qui ab Oetaeis iugis ad Ambracium sinum procurrit [7]), ad occidentem flumine Acheloo inclusa, qui e Pindo ortus per Epirum descendit Aetoliamque ab Acarnania dirimens mari Ionio infunditur [8]). Inferior Aetolia, quamquam montibus passim prominentibus interrupta [9]), campos tamen aliquot patentiores habet fertilitate insignes [10]), imprimis ad Acheloum alterumque fluvium Euenum, qui in ipsa Aetolia e Bomiensium montibus originem habet et post modicum cursum prope Chalcin in mare influit [11]). Superior pars, eaque longe maior, tota est altis montibus obsita et propter hanc causam asperior [12]). Populi Aetoliam antiquitus Graeci habebant, sed ita paullatim cum barbaris mixti, vix ut graecae stirpis vestigia apud multos superessent [13]). — Haud absimilis natura Acarnaniae est [14]), quam ab Aetolia Achelous dirimit: reliqua

---

6) Krus. l. l. p. 154, 157.

7) Strab. IX, 4 p. 428, ex quo discimus non ab omnibus hunc tractum Callidromum appellatum esse; quamquam aliud eius nomen, quod sciam, a nemine commemoratur, et Callidromum, nisi fallor, hodieque Graeci nominant.

8) Strab. X, 2 p. 449. Plin. IV, 2.

9) Aracynthum, Taphiassum, Chalcin Strabo nominat X, 2 p. 450. 451. Bomiensium montes Stephanus Byz. s. v. Βωμοί. Panaetolium montem, Acanthon, Macynium Plin. IV, 2.

10) Strab. p. 450. Cf. Krus. p. 190 et Thiersch, état actuel de la Grèce tom. I, p. 280.

11) Strab. p. 451.

12) Thucyd. III, 97. 98.

13) Id. III, 94. Polyb. XVII, 5. Liv. XXXII, 34. Athenae. XII, p. 527 B. Cf. Ithyphall. in Demetr. ap. Athenae. VI, 63 v. 25 sqq. et de sermone Aetolorum ἀλλοκότῳ Eustath. ad Iliad. II, p. 279, 38.

14) Krus. II, 2 p. 302.

latera sinus Ambracius[15]) et mare Siculum alluunt. Incolae tamen longe minus quam Aetoli cum barbaris mixti.

§. IV.

Hic ad occasum Graeciae terminus. Reversis autem ad Parnasum edita inter hunc et Oetam loca occurrunt ad Pindi et Cephisi confluentes, quorum alter ab Oeta, alter a Parnaso defluit [1]). Haec loca Dores insederunt, eorum maiores, qui deinde Peloponnesum fere totam occuparunt. — His ad dextram ex Oetaeis montibus Eurum versus Cnemis assurgit[2]), quem deinceps Acontius cum Hedylio, Ptoon, Cerycion, Parnes excipiunt[3]), iuxta maris Euboici et Euripi littora positi. His e regione declivia Parnasi, dein Heliconii colles[4]): hos rursus Cithaeronis saltus excipit, qui Parnethem contingit[5]). Ita hi montes convallem includunt ab Oeta ad Parnethem DL fere stadiorum longitudine porrectam, quam Cephisus amnis dimidiam perfluit, donec in media eius parte Copaide lacu excipitur. Exteriora horum montium declivia ad mare descendunt, superiorum ad Euboicum et Euripum, inferiorum ad sinum Crisaeum. Euboici maris littora infra Cnemin montem Locri habent Epicnemidii, infra Acontium usque ad Ptoi radices Opuntii, loca maximam partem

---

15) Qui Acarnaniam ad septentrionem Epiro terminari dicunt, h Ambraciam et Argos Amphilochicum, quae ipso situ ad Epirum pertinent, Acarnaniae accensent. Plin. IV, 1. cf. Scylac. Peripl. p. 28. Gronov. Strab. X, 2 p. 450.

1) Strab. IX, 4 p. 427.

2) Id. IX, 3 p. 416 extr. Eustath. ad Dionys. p. 425.

3) Strab. IX, 2 p. 413, 416. Pausan. IX, 23, 3, 4. Groskurd. ad Strab. tom. II, p. 200. Mueller. Orchom. p. 24, 34, 39. Krus. II, 1 p. 420, 421, 431. II, 2 p. 4. Thiersch état actuel de la Grèce tom. II p. 23.

4) Krus. II, 1 p. 424.

5) Id. ib. p. 4, 6. Mueller. Orchom. p. 22. Cf. et Wheler voyage de Dalmatie, de Grèce etc. trad. de l'Anglais (Amsterd. 1689.) p. 577.

fertilia et amoena [6]). Reliqua omnia Phocenses et Boeoti incolunt. Et Phocenses quidem ipsius Parnasi pleraque et quae infra hunc ad sinum Crisaeum pertingunt usque ad Heliconis radices [7]): praeterea vallem Cephisi superiorem usque ad fauces inter Parnasi iuga dextra et Hedylium montem, admodum angustas [8]). Boeoti inferiorem Cephisi vallem possident circaque Copaidem loca, dein modicis collibus interiectis [9]) ab Helicone usque ad Cithaeronem, Parnethem, Cerycium, Ptoum late patentem regionem campestrem, Asopo flumine, qui Cithaerone editus in Euripum influit, multis praeterea rivis minoribus et lacu Hylice irriguam [10]). Nihil in omni Graecia his Boeotiae campis uberius, nihil frugum, pecoris feracius; coeli tamen temperies gravior: crassus aer: aestates nimio saepe calore, hiemes frigore et humiditate molestae [11]). — Restant trans utrumque montium tractum littora Euripi sinusque Crisaei, plana pleraque aut molliter declivia, minus quam vallis interior fertilia, neque tamen sterilia aut aspera: portubus quoque nonnullis instructa et rei piscatoriae maritimisque commerciis accommodata [12]).

§. V.

Infra Parnethem et Cithaeronem ad meridiem et Eurum versus littora paullatim coarctantur, donec in promontorium coeunt CCCLXXV fere stadiis a Boeotiae finibus remotum. Hoc promontorium Sunium est, terra Attica, triquetra figura et ipso situ ac soli natura in tres partes

6) Strab. IX, 4 p. 425. Krus. II, 2 p. 113, 136 sq.

7) Krus. l. l. p. 2.

8) Id. II, 1 p. 420, 431. Grosk. ad Strab. l. l. Thiersch. tom. 1 p. 280.

9) Wheler. p. 376. Mueller. Orchom. p. 33.

10) Strab. IX, 2 p. 405, 406.

11) Krus. II, 1 p. 419 et 499 sq.

12) Ephor. ap. Strab. IX, 2 p. 400.

divisa. Una pars, Boeotiae contermina, Cithaerone, Parnethe et horum tractibus infra procurrentibus montuosa, ἡ διακρία, ὀρεινὴ Ἀττικὴ [1]), a Dryoscephalis usque ad Cynosuram promontorium extenditur [2]). Altera planior, campis patentioribus, montibus paucioribus iisque modicis interiectis [3]), infra Diacriam a Cynosura ad Zosterem promontorium pertinens, qua ad mare patet, Ἀκτή, interius πεδίον aut μεσόγαια vocatur [4]). Tertia denique ab illis promontoriis usque ad Sunium in lingulae formam porrecta παραλία dicitur [5]). Solum Atticae etiam in campestribus regionibus tenue et Boeotiae fertilitati nullo modo comparandum, aquis non satis irriguum, nec frumenti admodum ferax, neque boum aut equorum gregibus alendis sufficiens [6]). Oleae tamen et ficus plurimae et praestantissimae proveniunt [7]), et vinum quoque, quamquam minus generosum [8]). Montes silvis fere carent, sed pecori, capris praecipue pascendis idonei [9]): neque apes tacendae sunt thymoque fragrantia mella [10]): porro in aliis marmoris praestantissimi [11]), in aliis argenti metalla [12]). Littora Sa-

---

1) Strab. IX, 1 p. 391.

2) Cf. de comit. Athen. p. 343.

3) E. c. Corydallo, Aegaleo, Anchesmo, Lycabetto, Hymetto, de quibus vid. Mueller. in Ersch. et Gruber. Encyclop. tom. VI. p. 216. Krus. Hell. II, 1 p. 13.

4) De comit. Ath. l. l.

5) Ibid.

6) Mueller. l. l. p. 218. 219. Krus. p. 37. 54. Thiersch. II. p. 25.

7) Krus. p. 45—50. Mueller. p. 219. a.

8) Aristoph. Acharn. v. 183. Nubb. 1120. Wolf. ad Acharn. p. 61.

9) Krus. p. 52. 55. Mueller. p. 219. b.

10) Antiphan. ap. Athenae. II, 18 p. 43. Archestr. ap. eund. III, 60 p. 102 D.

11) Conf. praeter Krus. p. 37 et Mueller. p. 218. a. imprimis Lud. Ross, das Pentelicon bei Athen und seine Marmorbrüche, in Diario artium (Kunstblatt.) ann. 1837 no. 2—4.

12) Boeckh, über die Laurischen Silberbergwerke, in Comm. Acad. Boruss. ann. 1816.

ronico sinui et Euboico mari obversa ad piscandum et navigandum invitant, portusque complures tutam navibus stationem praebent [13]). Coelum purum plerumque et limpidum: neque aestivi calores nimii nec hiberna frigora molesta [14]): amoenitas denique summa, quum ubique in montes, colles, campos et mare prospectus longissime pateat et maxima pulchritudine et varietate oculos animumque delectet [15]). — Atticae ad occasum, qua devexa Cithaeronis iuga versus Saronicum sinum descendunt, mox in Cornua (*Κέρατα*) quae dicuntur assurgunt subitoque ad mare desidunt [16]), Megaris incipit, quae olim Atticae pars fuit [17]). Terra inter duos sinus coarctata, modica longitudine ad isthmum usque porrigitur [18]): pleramque montes obtinent, Onei, Aegiplanctus, Geranei, una paullo latiore planitie ad Saronicum sinum relicta [19]): cetera huius partis littora ardua et abrupta [20]): minus ardua sunt quae alter sinus alluit: portus utrimque, Nisaea et Pagae [21]), maritimorum commerciorum copiam faciunt.

---

13) Portus sunt praeter Piraeeum et Phalerum hi praecipui: Panormi (Liv. XXXI, 45) Thorici (Krus. p. 248) Eleusinis (id. p. 206) Anaphlysti (id. p. 235) Azeniae (id. p. 240) Sunii (id. p. 246).

14) Eurip. fragm. Erechth. 1, 15. Bartholdy, Bruchstücke zur nähern Kenntniss des heutigen Griechenlandes p. 214.

15) Bartholdy l. l. Mueller. p. 219. b. In universum conf. ornatissimam Atticae descriptionem ap. Aristid. Panathen. tom. I. p. 155 sqq. Dind.

16) Strab. IX, 1 p. 395. Gell itinerary of Greece p. 14.

17) Strab. p. 392.

18) Scylax p. 46 Gron. *παράπλουν* ab agro Corinthio ad Atticae confinia stadiorum dicit CXL. Non omnia autem usque ad isthmum Megarenses tenebant, sed partem a Crommyone ad Scironias rupes Corinthii occupaverant. Krus. II, 1 p. 359 sq.

19) Krus. p. 317. 329.

20) Strab. IX, 1 p. 391. Krus. p. 321.

21) Krus. p. 385. 397.

§. VI.

Sequitur Peloponnesus peninsula angustis isthmi faucibus continenti adhaerens [1]). Haec in longitudinem, ab Aegio, Achaiae urbe, usque ad Maleam promontorium, MCCCC habet stadia: paullo minus in latitudinem: circuitus est stadiorum fere IↃↃDC, aut si sinus omittantur, qui oram ubique lacerant, MMMM [2]). Formam multi cum platani folio comparaverunt [3]): talem montium tractus efficiunt usque quaque discurrentes. Altissimi mediam fere partem opplent, in orbem quodammodo dispositi [4]): Cyllene, Artemisius cum Parthenio, Parnon, Borius, Lycaeus, Pholoe, Erymanthus cum Lampio [5]): ex his autem quasi quidam rami in omnes partes promittuntur. Intima Peloponnesi pars montibus illis cincta, Arcadia est. Haec sola Graeciae terra (si Doridem exceperis) nusquam mari alluitur nec flumina in mare emittit praeter unum Alpheum, ad occidentem versus, qua inter Lycaeum et Pholoen exitus patet [6]). Cetera et clausa undique montibus et intus quoque montuosa: planities paucae nec late patentes: satis autem hae ipsae editae et supra maris aequor elevatae [7]). In convallibus lacus plurimi et fontes, partim terrae faucibus hausti [8]), partim Alpheo excepti [9]). Coe-

1) Vid. §. 1, 6.

2) Strab. VIII, 2 p. 335 et 8 p. 389. Agathem. 1 Geograph. p. 193 Gron., ubi pro ἤχκζ scrib. ἑχκζ. Cf. Pouqueville voyage tom. III p. 473. Mueller. Dor. II p. 425.

3) Strab. II, 1 p. 83 extr. VIII, 2 p. 335. Agathem. l. l. Plin. IV, 5.

4) Mueller. Dor. I p. 67.

5) Strab. VIII, 3 p. 336. 341. 348. 357. ib. 6 p. 376. 8 p. 388. Pausan. II, 24, 2. 38, 7. V, 7, 1. VIII, 6, 2. 24, 2. 38, 3. 44, 4. 54, 5. Apollodor. ap. Steph. Byz. s. v. Κυλλήνη. Dodwell. Sickleri II, 2 p. 301. Pouquevill. tom. III p. 474 sq. IV p. 180. 322. 328. 335. V p. 90. Mueller. Dor. II p. 447.

6) Pouquevill. tom. IV p. 318 sqq.

7) Walpole travels p. 426.

8) Strab. VIII, 8 p. 389. Pausan. VIII, 7, 1. Dodwell. l. l. p. 307. Pouquevill. IV p. 207. Krus. 1 p. 302.

9) Pausan. VIII, 14 et 38. V, 7, 1. Pouquevill. IV p. 318.

lum propter altitudinem locorum frigidius [10]: campi frugum satis feraces, herbidi, armentis alendis idonei [11]: oleae, ficui parum apti [12]. In montibus silvarum copia [13], et pecoris pascendi plurima opportunitas.

§. VII.

Ex Arcadiae Cyllene orientem versus montium tractus procurrit, faucibus perangustis interruptus, (unde *Τρητοῦ* nomen) [1] quem deinceps Arachnaeus, Titthius, Cynortius aliique minores excipiunt [2]. His quae adiacet terra Argolis est, in paeninsulae formam excurrens, sinu inter ipsam et continentem Peloponnesum relicto. Ceterum Argolidem ipsam montes aut colles in multas partes minores dispescunt [3], modici plerique, neque asperi, campis maximam partem foecundis et amoenis interiectis [4], ex quibus qui latissime patet, in ipso sinus recessu inter Parthenium, Tretum et Arachnaeum est [5]. Littus utrumque plures et bonos portus habet [6]. — Duo alii montium tractus a Parnone et Lycaeo versus meridiem per Laconicam porrecti in promontoria Maleam et Taenarum desinunt. Horum alter, qui ad dextram est, modica altitudine, nominibus variis, Thornax, Menelaius, et quae sunt alia, appellatur [7]: ad sinistram Taygetus est longe excelsior, cacuminibus multifariam

---

10) Thiersch. 1 p. 285. cf. Polyb. IV, 21, 1.

11) Strab. VIII, 8 p. 388.

12) Thiersch. l. l.

13) Inde drymodes Arcadia Plin. IV, 10.

1) Pausan. II, 15, 4. Diodor. IV, 11. Dodwell. Sickler. II, 2 p. 17.

2) Pausan. II, 26, 4. 9. c. 27, 8. Dodwell. p. 75. 77.

3) Cf. Mueller. Dor. 1 p. 71. II p. 433 sqq.

4) Dodwell. l. l. p. 62. 74. 76. 88. 92. 100.

5) Id. p. 18 sq. Pouquevill. IV p. 157.

6) Scylax p. 43 sqq. Gron.

7) Pausan. III, 10, 10. c. 11, 1. Polyb. V, 22, 3. Liv. XXXIV, 28, 7. Dodwell. p. 289.

fissis, descensu plerumque praecipiti [8]). Inter utrumque Eurotas volvitur, e confiniis Arcadiae oriundus, et in sinum Laconicum defluens [9]). Vallis qua currit ad septentrionem angusta, passim prope coeuntibus utriusque lateris montibus et ipsi flumini imminentibus [10]): quin olim etiam cursum eius obstruxisse dicuntur, ut omnia late aqua tegerentur, donec terrae motus exitum patefecerunt [11]). Inferior vallis magis patescit, et ad sinum Laconicum late versus meridiem aperta est. Laeta haec loca et fertilia [12]): superior vallis nimiis aestate caloribus, hieme frigoribus infesta [13]): neque tamen aut ingrata cultoris labori, aut inamoena adspectu [14]). Etiam quae trans montes sunt maritima loca campos habent satis benignos [15]). Ipsi autem montes non solum tutiorem ab hostium incursionibus Laconicam praestant, sed ferrum quoque et marmora suppeditant [16]). Littora non sine portubus: sed ex his duo reliquis capaciores, alter ad orientem ac mare Myrtoum, prope Epidaurum, *Λιμηρὰν* propter hoc ipsum dictam, alter apud Gythium, ad sinum Laconicum, non natura sed arte factus [17]).

§. VIII.

Descendentibus de Taygeti iugis ad occidentem Nedon fluvius occurrit, a Laconia Messeniam

8) Strab. VIII, 5 p. 363. Dodwell. u. s. et p. 164. 224.
9) Strab. VIII, 3 p. 343. Pausan. VIII, 44, 3. Dodwell. p. 273.
10) Polyb. V, 22, 3.
11) Wesseling. ad Diodor. XV, 64.
12) Dodwell. p. 294. Cf. Mueller. Dor. 1 p. 69.
13) Dodwell. p. 290.
14) Dodwell. p. 287. cf. Eurip. ap. Strab. VIII, 5 p. 366.
15) Mueller. l. l.
16) Dodwell. p. 292. Meursii Miscell. Lacon.
17) Scylax p. 37. Cf. G. Weber, de Gytheo et Lacedaemoniorum re navali. Heidelb. 1833. 8.

dirimens [1]). Trans Nedontem campi aperti, fontibus innumerabilibus irrigui, proventu omnis generis uberrimi, arvis et pascuis opimi, coeli temperie suavissimi [2]), montibus nec multis neque altis interrupti, quorum unus tractus continuus ab Arcadiae Lycaeo ad meridiem descendens in Acritam promontorium excurrit [3]). Hinc littora dextera in sinum curvantur Messenium, sinistra ad septentrionem procurrunt. In his portus plures et boni [4]): unus praecipue insignis ad occidentale littus prope Pylum oppidum [5]). Etiam Pamisus amnis, brevi cursu, sed lato alveo et profundo, navibus in interiora vehendis idoneus [6]). — Supra Messeniam ad occidentalem Peloponnesi oram Elis (Elea) est, ab Arcadibus Lycaei et Pholoes iugis fluvioque Erymantho [7]), a Messeniis Neda flumine discreta [8]), ad septentrionem Araxo promontorio terminata [9]), rivis Alpheo, Peneo, aliisque minoribus irrigua [10]). Huius pars inferior inter mare et montes angustior, littoribus arenosis, intrantibus passim ac residentibus aquis marinis aut rivis obstructo effluvio stagnantibus [11]): interius campi satis fertiles, sed qui saepius tamen spem cultoris fallant [12]). Superior pars latius extenditur et fe-

1) Mueller. Dor. I p. 146. II p. 455. Ceterum non iisdem semper Messeniae versus Laconiam fines, et Straboni VIII, 4, p. 360 Nedon per Laconiam fluit, scilicet contributa huic ab Augusto magna parte Messeniae. Pausan. IV, 1, 1. 30, 2. 31, 2.

2) Eurip. ap. Strabon. VIII, 5, p. 366. Dodwell. p. 208. 212. 216. 223 sq.

3) Strab. VIII, 4 p. 359.

4) Scylax p. 36.

5) Strab. VIII, 4 p. 359. Intt. ad Thucyd. IV, 3.

6) Pausan. IV, 34, 1. Strab. p. 361. Dodwell. p. 224.

7) Strab. VIII, 3 p. 336 et 357.

8) Id. p. 348. Pausan. V, 6, 2. Dodwell. p. 203.

9) Strab. p. 337. Pausanias tamen alium terminum facit, Larisum fluvium, VI, 26, 5 et VII, 17, 3. Ceterum cf. Dodwell. p. 153.

10) Strab. VIII, 3 p. 336. 337. 339. 343. Pausan. V, 7, 1.

11) Strab. p. 344. 346. Pausan. V, 5, 5. c. 6, 3.

12) Strab. p. 344.

cunditate cum optimis certat, imprimis quae circa Peneum fluvium cava Elis vocatur [13]. — Ab Araxo promontorio ad isthmum Achaia porrigitur, MXXX stadiorum tractu [14], latitudine varia, sed quae nusquam centum sexaginta stadia excedat, plerumque ne centum quidem expleat. Montes ab Arcadiae Cyllene versus septentrionem et occasum (Iapygem) procurrentes, dein rursus versus Elidem flexi [15], multis locis prope ad mare praecipites descendunt, alibi lenius desiduut [16] camposque amoenos, frugum, pomorum, vini feracissimos cingunt [17], ipsi autem quercuum et abietum silvis teguntur [18].

§. IX.

Restat ut de mari et insulis dicatur, quibus Graecia continens undique cingitur. Et mare quidem ab occasu Ionium est et Siculum [1], quinque sinubus Graeciae receptum. Ex his primus est Ambracius super Acarnaniam, angusto quattuor stadiorum aditu, circuitu trecentorum, multis ac bonis portubus [2]. Infra hunc sinus Corinthius vocatur, primum Acarnaniae Aetoliaeque et opposita Achaiae littora ab Araxo promontorio alluens [3], dein an-

---

13) Id. p. 336. 337. Polyb. IV, 73, 6. Pausan. VI, 26, 4. Dodwell. p. 161.

14) Strab. VIII, 2 p. 336. cf. Groskurd. ad Strab. tom. II p. 11.

15) Dodwell. p. 141. 142.

16) Id. p. 133. 138 sq. 143 sq.

17) Id. p. 138. 141. 147. De agro Sicyonio cf. R. Gompf, Sicyoniac. specimen. (Berol. 1832. 8.) p. 13.

18) Id. p. 135. 346 sq.

1) Ionium mare v. Ionius sinus, Adriatici maris pars, a plerisque Acrocerauniis montibus terminatur, Strab. II, 4 p. 123. VI, 3 p. 281. VII, 5 p. 317; sed latiore significatu non raro Ionium mare dicitur usque ad Peloponnesi latus occidentale. Cf. Pind. Nem. VII, 95. Pyth. III, 120 c. nott. Boeckhii. Theopomp. Wichers. p. 89. 207. Pomp. Mela I, 3. Plin. IV, 18 extr. Schweigh. ad Appian. p. 115.

2) Strab. VII, 7 p. 325.

3) Id. VIII, 2 p. 335. X, 2 p. 450.

gusto quinque stadiorum freto inter Rhium et Antirrhium ad interiora penetrans, donec isthmo Corinthio terminatur. Haec pars Crisaei et Alcyonii sinus nomine distinguitur. Universus circuitus stadiorum MMCCXXX aut paullo amplius [4]). Deinceps inter Araxum et Chelonatem, Elidis promontorium, sinus curvatur Cyllenius [5]): post hunc ab Ichthye, promontorio item Elidis, sinus Cyparissius [6]): et, qui Siculi maris postremus est, sinus Messeniacus s. Asinaeus, ab Acrita ad Taenarum patens [7]). — Insularum Graeciae adiacentium prima in hoc mari Corcyra est — fabulosa, ut vulgo creditur, Homeri Scheria [8]) — Epiro opposita, navigantibus e Graecia in Italiam opportune sita, ipsa fertilis, portuosa, rei navali maritimisque commerciis aptissima. — Acarnaniae Leucas olim adhaerebat: postea insula facta est isthmo angusto a Corinthiis perfosso, quem tamen mox rursus arenarum congeries obstruxit, ut navibus non esset pervius; et hodie quoque vado transiri potest, ut ambigas, insulamne Leucadem an peninsulam rectius dicás [9]). — A meridie Peloponnesum Creticum mare alluit [10]), in Laconicam magno sinu ingruens, cuius in aditu prope Maleam promontorium Cythera insula sita est. Septingentis fere a Maleo stadiis Creta est, graecarum insularum maxima et nobilissima, amplius MM stadiorum longitudine, CC circiter latitudine, IↃↃ ambitu [11]). Huius pleraque montuosa et silvestria [12]), longo montium tractu ab occidente ad orientem porrecto, Leucae, Coryci, Berecynthi, Idae, Dictae, aliorum,

4) Id. p. 336.
5) Plin. IV, 6.
6) Pomp. Mel. II, 3. Plin. IV, 7.
7) Strab. VIII, 4 p. 359. 360.
8) Thuc. 1, 25. Strab. VII, 3 p. 299.
9) Cf. Poppo prolegg. in Thucyd. tom. II p. 151.
10) Strab. II, 4 p. 124.
11) Scymn. 554. Strab. X, 4. p. 475.
12) Strab. l. l.

ramis huc illuc dimissis, quibus insulae partes inter se separantur. Omnes ligna, ferrum suppeditant. Campi fertilitate insignes, frugum, vini, pomorum omnis generis feraces [13]): littora portuosa: sed a septentrione paullo difficiliora accessu, propter scopulos et saevum frequentibus procellis mare [14]). — Supra Creticum mare Myrtoum est, appellatum ab insula parva haud procul ab Euboeae promontorio Geraesto [15]). Hoc duobus sinubus recipitur, Argolico et Saronico. Insulae in Saronico memorandae sunt Calauria, ad Argolicum littus Troezeniorum portui Pogoni obiecta, parva sed non ignobilis [16]): dein Aegina, clara quondam rebus maritimis [17]), et Salamis, nemini inaudita [18]). Aegaei maris maxima Euboea est, in longitudinem CL mill. pass. (MCC stad.) porrecta, latitudinem nusquam ultra XL m. p. (CCCXX stad.) extendens, nusquam infra duo m. p. (stad. XVI) contrahens: circuitu mill. pass. CCCLXV (stad. MMDCCCCXX) [19]). Haec Atticae, Boeotiae, inferiori Thessaliae praetenditur, modico Euripi freto interfluente, ad mediam fere partem insulae, ubi Chalcis urbs, tam angusto, ut aliquando etiam ponte iungeretur [20]). Insula omnis generis rebus beata: littora portuosa, campi arvis et pascuis uberrimi: in montibus aeris et ferri metalla [21]): et virorum quoque in omni Graecia optimi Euboicae Chalcidis incolae oraculi responso indicati sunt [22]). Supra Euboeam sinus Maliacus et

---

13) Cf. Meurs. Cret. lib. II c. 7—11.
14) Meurs. l. l. II c. 6 extr.
15) Plin. IV, 9 extr. Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 3, 3.
16) Strab. VIII, 6 p. 369 et 374.
17) C. O. Mueller, Aegineticorum liber. Berol. 1817.
18) Strab. IX, 1 p. 393.
19) Plin. IV, 21. cf. Strab. X, 1 p. 444.
20) Strab. p. 447.
21) Id. ibid.
22) Apud eundem p. 449.

Pagaseticus Thessaliam intrant[23]): supra Thessaliam sinus est Thermaicus[24]), cui ad dextram Chersonesus magna a Macedonia in Aegaeum mare porrigitur, Chalcidice a Graecis dicta, cum tribus peninsulis, Atho, Sithonia, Pallene[25]). Ante eas a Magnesia Thessaliae peninsula ad orientem sitae insulae parvae, Sciathus, Scopelus, Halonesus, Peparethus, Gerontia[26]). Infra has Scyros, et Euboeae ad meridiem Andros, Ceos, cum ceteris Cycladibus, quarum nobilissimae Delos, Paros, Naxos, Tenos[27]): dein Sporades, in quibus Ios, Leros, Melos, Amorgos, Thera, Astypalaea, Nisyrus, Carpathus[28]). His Con quoque et Rhodum addimus[29]): ceteras Asiae littoribus adiacentes, ipsaque haec littora, quamquam a Graecis habitata, nunc tamen persequi non opus est: ea percensuisse satis est, quae iam ante Heraclidarum expeditionem a Graecis habitata esse aut constat aut perhibetur[30]).

§. X.

Ceterum harum omnium inter Graeciam et Asiam insularum ea est inter se et versus obiecta utrimque littora positio, littorumque ipsorum ac sinuum ea facies, vix ut dubitari possit, fuisse quondam continentem in his locis terram ingentibus motibus concussam et disruptam, ut desiderent alia in profundum et ingruentibus aquis mergerentur, alia summis tantummodo iugis promine-

23) Scylax. p. 58. 59.

24) Id. p. 61.

25) Pompon. Mel. II, 2, 10.

26) Plin. IV, 23. Strab. IX, 5 p. 436.

27) Strab. X, 5 p. 485 sq.

28) Id. ib. p. 487.

29) De hac vid. M. W. Heffter, über die allg. Geographie der Insel Rhodus. Brandenb. 1828.

30) Nam de Co, Rhodo, Nisyro, Carpatho ambigitur. Mueller, Dor. I p. 108. Dissen. ad Pindar. Olymp. VII, 32.

rent marique undique circumfuso insulae fierent [1]). Ita quae Magnesiae versus orientem sunt Sciathus, Scopelus, Halonesus, Peparethus, Gerontia cum Lemno et Imbro reliquiae sunt tractus montuosi a Pelio Thessaliae usque ad Hellespontum et Chersonesum Thraciam porrecti. Euboeam cum vicinis terris olim cohaesisse ipse littorum utrimque aspectus fidem facit. Hanc autem quae excipit insularum series, Andros, Tenos et quae sequuntur, itemque eae quae ab Atticae paralia procurrunt Helena, Ceos, Cythnos, ceteraeque Cyclades et Sporades cum Samo, Co, Rhodo, continentis inter Boeotiam Atticamque et Asiam minorem tractus indicia praebent. Ita fit, ut quum divulsa sit ab Asia Graecia, rursus tamen his insulis interiectis cum ea quodammodo connectatur, quae vicinae inter se omnes, et utramque continentem quasi contingentes faciliorem etiam imperitis nautis transitum reddunt. Mare autem ipsum Graeciae penitus infusum, sinuumque ac portuum multitudo ad maritimos cursus accolas invitabat, praesertim quibus tenuiora littora victum parcius praeberent. Continentem vero Graeciam montium tractus usque quaque interpositi in varias partes dispescunt, incolasque multo magis, quam in planioribus terris, separant inter se, et in plures populos dividunt, suas quemque sedes separatim ha-

1) Terram continentem a Neptuno ruptam et in insulas discerptam personatus Orpheus Argon. v. 1287 *Λυκτονίην* vocat, vel, ut Muellero placet Orchom. p. 65, *Λευκονίην*, ut aliis, *Λυκαονίην*, quod nomen i. q. *ἀρκτῴαν* significare volunt. — Pontum Euxinum olim clausum, postea Bosporum Thracium perrupisse multi crediderunt. Vid. Strab. 1 p. 49. Diodor. V c. 47. Choiseul Gouffier, recherches sur l'origine du Bosphore de Thrace in Memm. de l'Instit. tom. II p. 184 an. 1815. Andreossy, Constantinople et le Bosphore de Thr. (Paris. 1828) p. 237. 273. 302. — De magnis diluviis, Ogygio et Deucalionio, vid. G. Schubart de diluv. Deuc. Jen. 1687. 4 et in Gron. Thes. tom. X p. 701 sqq. Fréret obss. sur les deluges ou inondat. d'Ogyges et de Deucalion, in Memm. de l'Acad. des Inscr. tom. XXIII p. 129 sqq. — Ceterum etiam posterioribus temporibus terrae motibus Graeciam aliquoties concussam et locorum faciem nonnihil immutatam esse constat. Vid. Krus. Hell. I p. 291 sqq.

bentes ac facile a vicinorum incursionibus tuentes. Accedit mira partium varietas et dissimilitudo, soli, coeli, tempestatum alia alibi condicio, ut exiguo intervallo frigus hibernum a verno tepore aut calore aestivo, sterilitas a fertilitate, asperior locorum facies a laetissima ubertate et amoenitate distet [2]). In universum tamen Graecia omnis quum soli bonitate tum coeli temperie admodum laudanda est: media inter frigoris nimii et caloris immodici molestias, quum aestatis gravitatem vel locorum situs vel flantes a septentrione venti mitigent [3]), hiemes autem breviores sint, pluviasque potius quam gelu ac glaciem afferant [4]), aer plerumque purus ac saluber [5]), solum denique benignum, quod neque ingrato labore cultorem opprimat, nec nimia ubertate desidiam atque inertiam foveat, sed vires hominum exerceat, subsidia vitae et ornamenta copiose, luxuriae autem instrumenta parcissime suppeditet [6]).

2) Theophr. hist. plant. VIII, 2. Cf. de Pauw recherches sur les Grecs I p. 85 sqq. Gell Journey p. 162. 355. Thiersch état actuel. I p. 280. 285. Krus. I p. 267.

3) Herodot. III, 106. Thiersch. p. 284. Krus. p. 265.

4) Thiersch. p. 280. 286 sq. Sed de duriore in quibusdam partibus hieme cf. Krus. p. 243. 253.

5) Thiersch. p. 288.

6) De opibus quas Graeciae solum subministrat, de frugibus, herbis, pomis, metallis, de bestiis quas alit etc. vid. Krus. I p. 327 sqq.

II. De gentis Graecae stirpibus.

§. I.

Graeciae populos constat sero demum uno omnes et communi Hellenum nomine comprehendi coepisse [1]: antiquitus Hellenes exigua tantum erant Graecorum pars, ab Homero una cum Myrmidonibus et Achaeis in inferiore Thessalia commemorati [2], multoque latius Achaeorum nomen patebat, quippe quo praeter illos in Thessalia Hellenum vicinos etiam Peloponnesii [3], quin omnes Graeciae populi promiscue a poeta appellentur [4], quemadmodum Danai quoque et Argivi saepenumero universi vocantur [5]. Sed initio in plerisque Graeciae partibus Pelasgorum gens habitasse dicitur [6], quos licet Homerus in Asianis tantummodo Troianorum sociis [7], non in Graeciae populis enumerandis commemoret, tamen quum Thessaliam Pelasgicum Argos dicat [8] et Dodonaeum Jo-

---

1) Cf. Thucyd. I, 3.

2) Iliad. II, 684.

3) Cf. Strab. VIII, 6 p. 369 extr.

4) Id. l. l. et I, 2 p. 35. XII, 8 p. 574.

5) Id. ll. ll. et VIII, 6 p. 371.

6) Hinc non solum Peloponnesum Ephorus apud Strab. V, 2 p. 221. Plin. IV, 6, aut Thessaliam Steph. Byz. s. v. Pelasgiam olim appellatam autumant, sed Herodotus II, 56 ἡ νῦν Ἑλλάς, ait, πρότερον δὲ Πελασγίη καλευμένη.

7) Iliad. II, 840.

8) Ibid. 681. cf. Strab. V, 2 p. 221 qui proprie partem inter Penei ostia, Thermopylas et Pindum ita dictam statuit. cf. VIII, 6 p. 369.

vem Pelasgicum [9]), gentis illius priscas in Thessalia et Epiro sedes satis aperte significat. Alii vero scriptores non in his solum terris [10]), sed etiam in Boeotia et Attica, praeterea in Argolide, Achaia, Arcadia multisque maris Aegaei insulis, denique in Italia quoque Pelasgos habitasse memorant [11]), sive famam aliquam veterem sive coniecturam et probabilia argumenta sequuti, de quibus a nobis iam non potest certo iudicari. Et fuerunt etiam qui ortam hanc gentem in Peloponneso, et quidem in Argolide aut in Arcadia statuerent, atque hinc quum in Thessaliam tum in alias terras etiam longinquiores migrasse [12]). Censentur autem in Pelasgis etiam ii, qni alio nomine Tyrrheni vocantur [13]), quorum aliquando et in Italia et in multis maris Aegaei insulis sedes fuerunt [14]); in ipsa tamen Graecia vix commemorantur diserte [15]) praeterquam in Attica, ubi non multis post bellum Troianum annis recepti arcem

9) Iliad. XVI, 233.

10) De Pelasgis in Thessalia cf. Strab. V, 2 p. 221. IX, 5 p. 443. XIII, 3 p. 621. Dionys. Hal. A. R. 1, 17. Schol. Apoll. Rhod. I, 14. Schol. Ven. ad Iliad. II, 591. De Pelasgis in Epiro Strab. V, 2 p. 221. VII, 7, p. 327. Herodot. II, 52. Alexand. Ephes. ap. Steph. Byz. s. v. Χαονία. Baehr. ad Plut. Pyrrh. c. 1 p. 143. et Voemel de antiquis Thess. incolis. Francf. 1829. 4.

11) De Pelasgis in Boeotia vid. Strab. IX, 1 p. 249 cf. Krus. Hell. 1 p. 422. 429., de Attica Herod. 1, 57. VIII, 44. de Argolide Dionys. A. R. I, 17. Strab. V, 2 p. 358. VIII, 6 p. 371. de Achaia Herod. VII, 94. de Arcadia id. I, 146. Strab. V, 2 p. 221. VIII, 3 p. 345. Pausan. VIII, 1. Apollod. III, 8. de insulis, Euboea, Dionys. I, 18. Andro, Conon. narr. 41 ap. Phot. Bekker. p. 139. Creta, Hom. Od. XIX, 175. Lemno et Imbro, Herod. V, 26. cf. Heyn. ad Il. tom. IV p. 417. Krus. Hell. I p. 409. 411. de Italia Steph. Byz. s. v. Χῖος. Niebuhr. H. R. I p. 26 sqq. ed. 2. In universum cf. G. G. H. Curtius de antiquis Italiae incolis pars I. Gryphisw. 1829. 8.

12) Dionys. A. R. I, 17. — Ephor. ap. Strab. V, 2 p. 220. Serv. ad Virg. Georg. II, 83.

13) Thucyd. IV, 109. Soph. Inach. fr. ap. Dionys. I, 25.

16) Dionys. l. l. 18. Anticlid. ap. Strab. V, 2 p. 221.

15) Nam Sophocli (ap. Dionys.) qui Inachum Tyrrhenis Pelasgis imperantem facit, nón multum tribuendum est.

Athenarum muro muniisse perhibentur, qui Pelasgicus propterea dicitur [16]. Hos in Atticam e Boeotia venisse ab Aeolensibus Boeotis pulsos nonnulli referunt [17]; nec videntur diversi ab iis fuisse, qui in Boeotia Cadmii s. Cadmiones appellati sunt [18]. Nam hos Phoenices fuisse, id quod veteres plerique crediderunt, perquam improbabile est. Ceterum quum aliquid haud dubie discriminis inter hosce Tyrrhenos Pelasgos fuerit eosque, qui in Peloponneso autochthones fuisse credebantur, quale hoc fuerit et quaenam omnino inter illos ceterosque Pelasgos ratio intercesserit, satis definiri non potest: neque veteribus ipsis hac de re constabat, quum modo distinguant utrosque inter se, modo confundant [19].

§. II.

In quibusdam Graeciae partibus etiam Thraces quondam consederant, diversi, ut videtur, ab iis quos posterior aetas hoc nomine appellabat supra Macedoniam usque ad Haemum et Istrum incolentes, Edones, Odomantos, Odrysas, Treres aliosque [1]. Thracum in Graecia sedes commemorantur Attica Eleusis [2], Boeotiae pars ad Heliconem et circa Anthedonem [3], Phocidis regio

---

16) Hos Herodot. VI, 137 simpliciter Pelasgos dicit; Tyrrhenos Thucyd. IV, 109. Plutarch. Qu. Graec. n. 21. Callimach. ap. schol. Aristoph. Av. 832. Siculos Pausan. 1, 28, 3, si locus sanus.

17) Strab. IX, 1 p. 401.

18) Mueller. Orchom. p. 440. Prolegg. mythol. p. 148.

19) Conf. impr. Mueller. Etrusc. I p. 75, qui nobis quidem plane satisfacit. Alias aliorum opiniones cognosces ap. Niebuhr. H. R. I p. 43 sqq. ed. 2. Ebert. Dissertt. Sicul. (Regimont. 1825. 8.) p. 33 sq. Clavier. hist. des pr. tems de la Grèce II p. 100. Larcher. Herodote VII p. 247 sqq. Wachsmuth. Hist. Rom. p. 92 sqq. Antiqu. Hell. I, 1 p. 27 et 308.

1) Mueller. Orchom. p. 382. Dor. I p. 9. cf. Diar. Gotting. ann. 1836. no. 17 p. 167 sqq.

2) Strab. VII, 7 p. 321. Acesodor. ap. schol. ad Soph. Oed. Col. v. 1051. — De bello Eumolpi cum Atheniensibus cf. qu. laud. Poppo ad Thucyd. II, 15.

3) Hellanic. ap. Ulpian. ad Dem. de cor. p. 73 C. (Sturz. p.

Daulica et Abae, unde etiam in Euboeam transiecisse credebantur [4]); praeterea ad Olympum montem in Pieria et circa Thessalica Tempe [5]). Sed quum Thraces etiam ad Hellespontum commemorari ab Homero videamus, Mysorum atque Hippomolgorum vicinos [6]), credibile est hanc gentem in terris ad septentrionem Graeciae sitis late diffusam fuisse, unde quasdam colonias in Graeciam miserint. Tribuitur autem his Thracibus imprimis Dionysi et Musarum cultus [7]), ac vetustissimi poetae et mysteriorum sacerdotes, Orpheus, Musaeus, Eumolpus, Thamyris, alii, Thraces fuisse dicuntur [8]). Postea autem, et iam ante bellum Troianum, in Attica cum indigenis Pelasgis plane coaluerunt [9]), e Boeotia paullo post bellum Troianum ab Aeolensibus pulsi sunt ad Parnasum [10]), in Phocide atque Thessalia ita paullatim delituerunt, ut vix tenuia nominis vestigia superessent [11]): neque in superioribus regionibus, in Pieria et ad Hellespontum, veterum horum Thracum satis certa vestigia relicta sunt, si quidem, ut supra diximus, diversi hi erant ab iis qui postea eodem nomine

---

59.) Strab. IX. p. 401. 410. 471. Steph. Byz. s. v. *Ἀνθηδών*. Eustath. ad Iliad. II, 508 p. 271, 14. schol. Aristoph. Nubb. v. 134. Tzetz. ad Lycophr. 754.

4) Thucyd. II, 29. Pausan. 1, 41, 8. — Aristot. ap. Strab. X p. 445 et Eustath. ad Iliad. II p. 543, 10.

5) Strab. IX p. 410. 471. Steph. Byz. s. v. *Ἀλώϊον*.

6) Hom. Iliad. II, 844. XIII, 5. 6.

7) Strab. X, 3 p. 471. Cf. IX p. 410. Heyn. opusc. acad. II p. 308. Petersen de musar. ap. Graecos origine, in Muenter. Miscell. Hafniens. I p. 79. Mueller. Orchom. p. 381. 383.

8) De Orpheo cf. impr. G. H. Bode, de Orpheo poetarum Graecorum antiquissimo. Gotting. 1824. 4.

9) Hinc Eumolpidae Atheniensium *εὐπατρίδαις* accensentur. Cf. Meier. de gentil. Att. (Hal. 1834) p. 41.

10) Strab. IX, 1 p. 401. Ephor. fr. p. 130 Marx.

11) *Θρακίδαι* gens Delphica. Diodor. XVI, 24. *Θρακίς* oppidum Phocidis. Pausan. X, 3, 2. Hoc Strabo IX, 3 p. 423 Trachinem dicit, eodem nomine, transposita tantum aspiratione.

vocabantur [12]). — Praeterea etiam Leleges in compluribus Graeciae regionibus erant: gens non magno opere, si quid veterum scriptorum iudiciis tribuendum est, a Caribus diversa [13]). Lelegem fabulae in Laconica autochthonem perhibent [14]), itemque in Acarnania: in vicinis autem Acarnaniae insulis Teleboae a Lelegibus oriundi credebantur [15]). Leleges porro in Locride, Phocide, Boeotia vicinaque Euboea, denique in Megaride multisque Aegaei maris insulis consedisse traduntur [16]). Atque in harum possessione Lelegibus Cares successerunt, qui etiam in Peloponneso Epidaurum aliquando et Hermionen occuparunt [17]). Homerus utrosque in Asia tantummodo commemorat inter socios Troianorum [18]).

§. III.

Hae gentes et si quae aliae olim in Graecia fuerunt Pelasgorum, Thracum, Lelegum, Carum nominibus non comprehensae [1]), paullatim aut pul-

---

12) Cf. Wachsmuth. Ant. Hell. 1 p. 34.

13) Herodot. 1, 171: *Οἱ Κᾶρες τὸ παλαιὸν λεγόμενοι Λέλεγες.* Pausan. VII, 2, 4: *Λέλεγες τοῦ Καρικοῦ μοῖρα.* Cf. Strab. VII, 7 p. 321 qui ab aliis eos pro iisdem cum Caribus, ab aliis pro sociis tantummodo et *συνοίκους* habitos esse refert. Add. XIII, 1 p. 611. XIV, 2 p. 661. Schol. Ven. ad Il. X, 429, Eustath. ad XX, 96. Diversae utrosque stirpis fuisse nuper probare conatus est Soldanus in Welck. et Naek. Museo Rhenan. Ann. III fasc. 1. Utrosque pro Thracibus habet Uschold. in Zimmermann. Diurn. antiquar. (Zeitschrift f. d. Alterthumswissensch.) 1836. no. 44 p. 343.

14) Pausan. III, 1, 1. Apollod. III, 10. 3. 2. Schol. Eurip. Orest. 626. Etiam *ἡρῷον* Lelegis Spartae fuit. Pausan. III, 12, 4.

15) Aristot. ap. Strab. VII, 7 p. 322. Schol. Apoll. Rhod. I, 747.

16) Aristot. l. l. cf. Strab. IX, 1 p. 401. Dicaearch. descr. Gr. v. 72. Scymn. v. 571. — Pausan. 1, 39, 5. 44, 5. — Herodot. I, 171.

17) Aristot. ap. Strab. VIII, 6 p. 374.

18) Iliad. II, 867. X, 429.

1) Fabulosa historia Centauros, Lapithas, Phlegyas in Thessalia, Curetes in Aetolia, Aones, Hyantes, Hectenes, Temmices in Boeotia, Danaos in Argolide, Epeos et Caucones in Elide commemorat, qui num ad unam aliquam ex illis tribus gen-

sae ab Hellenibus e Graecia cesserunt, aut si qui remanerent, ita tamen mutata est rerum condicio, ut istis nominibus plane oblitteratis omnes Graeciae populi, etiamsi variis inter se appellationibus distincti, uno tamen et communi Hellenum nomine vocarentur universi. Et Hellenes quidem, ut supra diximus, ab Homero in Thessalia tantum commemorantur una cum Myrmidonibus et Achaeis, praeterque eos Perrhaebi, Lapithae, Dolopes, Centauri, Aenianes, Magnetes eandem Thessaliam incolentes [2]), quorum plerique iisdem nominibus etiam posteriore tempore ibi habitarunt, praeter Lapithas, Centauros, Myrmidones. Lapithas ante bellum Troianum Hercules oppressisse fertur [3]); alii fortasse extra Thessaliam fugerunt [4]), alii inter Aenianes delituerunt, cum quibus etiam Myrmidones coaluisse dicuntur [5]). Ceterum non diversa a Lapithis gens Phlegyarum fuit, qui aliquando praeter Thessaliae partem etiam Boeotiam tenuerunt [6]). Hos quum Delphicum templum violare conarentur Apollo perhibetur paene interemisse: reliquiae tamen quaedam eorum etiam

---

tibus et ad quamnam referendi sint, certo perspici non potest, nisi quod Centauros fuerunt qui Lelegibus, Caucones aut iisdem Lelegibus aut Pelasgis adnumerarent. Schol. Pind. Pyth. II, 78. Strab. XII, 3 p. 542. Mannert. Geogr. VIII p. 352. Voelker. Mythol. Japetid. p. 345. Dubitari autem non potest quin Pelasgicae stirpis multi populi non hoc generali nomine sed proprio quisque suo alius alibi appellatus sit, velut Graeci, Thesproti, Chaones, Molossi in Epiro (Aristot. Meteor. 1, 14. Steph. Byz. s. v. Γραικοί. Welk. ad Alcman. fragm. p. 74. Steph. Byz. s. v. Ἔφυρα et Χαονία. Plut. Pyrrh. c. 1.) neque inepte coniicias illud nomen aut ab uno aliquo populo, qui hoc proprium haberet, in plures cognatos translatum esse, aut etiam plane non proprium esse, sed inditum priscis campestrium regionum cultoribus ab advenis victoribus, qui editiora loca occupassent. Cf. Mueller. Orchom. p. 125.

2) Iliad. II, 749. I, 266. XII, 128. 181. Od. XXI, 295. Il. IX, 480. II, 743. XI, 831. II, 749. 756.

3) Mueller. Orchom. p. 198.

4) Velut in Atticam, ubi Περιθοῖδαι ab eorum principe Pirithoo dicti credebantur. Mueller. l. l. 203.

5) Scymn. v. 615.

6) Mueller. Orchom. p. 188 sqq.

posteris temporibus in Panopeo, Phocidis oppido, agnoscebantur [7]). Cum Phlegyis autem etiam Minyae arctissime coniuncti in Thessalia et Boeotia fuerunt [8]). Hos in Boeotia Aeolenses subegerunt et plerosque expulerunt [9]): neque tamen nomen eorum in Boeotia prorsus deletum: et in Thessalia quoque aliquod Minyarum vestigium perduravit [10]).

§. IV.

Hellenes autem, quos Pelasgicae stirpis fuisse vix dubitari posse videtur [1]), antiquissimas sedes fortasse in Epiro habuerunt et regione Dodonaea, quam *ἀρχαίαν Ἑλλάδα* et incolas eius prius *Γραικούς*, mox *Ἕλληνας* dictos esse Aristoteles memorat [2]). Hinc profecti primum, ut videtur, in Acarnaniam et Aetoliam, inde cum Lelegibus et Curetibus mixti ad Parnasum et Oetam, mox in Thessaliam

---

7) Pausan. IX, 36, 2. X, 4, 1.

8) Mueller. l. l. p. 184.

9) Id. ib. p. 396.

10) Pausan. IX, 36, 3. Mueller. Dor. I p. 249 sq.

1) Diversae opinionis praecipui auctores Hecataeus (ap. Strab. VII, 7 p. 321.) et Herodotus fuisse videntur. Herodotum autem videmus hoc uno argumento uti, quod Pelasgorum quorundam Tyrrhenorum, qui ipsius aetate in Thraciae ora et ad Propontidem supererant, lingua barbara esset: quod argumentum quam infirmum sit facile demonstrari potest. Conf. Herb. Marsh. Horae Pelasg. p. 21. Et Herodotus ipse dubitanter loquitur. Contrariam sententiam quum alii produnt tum Dionys. A. R. I, 12: *τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικόν.* Ceterum de omni hac quaestione cf. Sturz. de dial. Mac. p. 11 sq. Marsh Hor. Pelasg. Cantabr. 1815. 8. Dissert. on the language of the Pelasgi, in Museo Cantabrig. tom. VI p. 234. Clavier. ad Apollod. tom. II p. 489. Niebuhr. H. R. 1 p. 31. Goettling in Annal. crit. Berol. ann. 1830 p. 303. Mueller. Dor. I p. 6. Tittmann. de foedere Amphictyon. p. 113. Krus. Hellas I p. 461 sq.

2) Aristot. Meteor. I, 14: *οὗτος* (loquitur de Deucalionis diluvio) *περὶ τὸν Ἑλληνικὸν ἐγένετο μάλιστα τόπον, καὶ τοῦτον περὶ τὴν Ἑλλάδα τὴν ἀρχαίαν· αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἡ περὶ τὴν Δωδώνην καὶ τὸν Ἀχελῷον· ᾤκουν γὰρ οἱ Σελλοὶ ἐνταῦθα καὶ οἱ καλούμενοι τότε μὲν Γραικοὶ νῦν δὲ Ἕλληνες.* Cf. Mueller. Aeginet. p. 159. Wachsmuth. Antiq. Hell. I, 1 p. 310. Graecos olim dictos esse, qui postea Hellenes a Deucalionis filio appellati sint, habet etiam Apollodor. I, 7, 3, 1.

migrarunt [3]), unde postea in varias Graeciae partes sparsi, ut homines bellicosi facile quocunque venirent principatum sibi vindicarunt [4]); quumque etiam veteres ubique incolae aut omnes aut plerique Pelasgi aut Leleges essent, apparet facile fieri potuisse, ut cum Hellenibus advenis in unum coalescerent, quippe qui et ipsi altera stirpe orti, altera aucti essent. Atque etiamsi fortasse in nonnullas Graeciae regiones aut nulli aut admodum pauci Hellenes pervenerunt [5]), ea tamen erat ab origine inter hos et illarum regionum incolas stirpis et generis communio, quae etiam nominis communionem facilem redderet. Ceterum in ipsa Thessalia nulli relicti sunt, qui Hellenes proprio nomine vocarentur [6]): qui autem inde profecti alias terras occuparunt, hi licet aliis alibi nominibus uterentur, tamen prisci illius memoriam non amiserunt, etiam religionibus haud dubie et sacris gentiliciis conservatam [7]). Ita factum est ut nul-

---

3) Dionys. A. R. 1, 17: *ἐξελαύνονται* (scil. veteres Thessaliae incolae Pelasgi) *Θετταλίας ὑπό τε Κουρήτων καὶ Λελέγων οἳ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται καὶ συχνῶν ἄλλων τῶν περὶ τὸν Παρνασσὸν οἰκούντων, ἡγουμένου τῶν πολεμίων Δευκαλίωνος τοῦ Προμηθέως.* Manifestum est autem hos Deucalionis comites pro Hellenibus Dionysio fuisse. Ceterum de Hellade Thessalica eiusque situ cf. Strab. IX p. 659. Mueller. Aegin. p. 15. 17.

4) Cf. Thucyd. I c. 3. Add. Wachsmuth. I, 1 p. 39. Niebuhr. H. R. I p. 33.

5) V. c. in Arcadiam. Herodot. VIII, 73. Pausan. V, 1, 4.

6) Muellero Aegin. p. 16 et Prolegg. myth. p. 168 Myrmidones ii esse videntur, quibus Hellenum nomen proprium atque avitum, quae sententia confirmatur eo, quod Iliad. XVI, 594. Myrmido quidam commemoratur *ὃς Ἑλλάδι οἴκια ναίων ὄλβῳ τε πλούτῳ τε μετέπρεπε Μυρμιδόνεσσι.* Itaque quum Il. II, 684 tria nomina ponantur, *Μυρμιδόνες τε καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί*, videtur poeta omnes Peleo subditos promiscue his tribus nominibus appellatos dicere.

7) Jovem Hellenium et ab Aeginetis et a Spartanis antiquitus cultum esse constat, qui haud dubie non diversus fuit a Dodonaeo. Cf. Mueller. Aegin. p. 19. Dissen. ad Pindar. Nem. V, 9. neque omnino *θεῶν Ἑλληνίων* appellationem (apud Herodot. V, 49.) posterioribus demum temporibus ortam putem ad distinguendos Graecorum deos a dis barbarorum, sed longe prius credo Hellenicae gentis sacra hoc nomine a sacris ceterorum Graecorum

lum aptius nomen inveniri posset universis Graeciae populis designandis: et usurpatum ita primum ab Hesiodo et Archilocho esse dicitur [8]). Hesiodus etiam primus aut praecipue Graecorum populorum origines Hellenicas fabulosis genealogiis celebrasse videtur. Nam quum quattuor Graecorum stirpes agnosceret, Aeolenses, Dorienses, Iones, Achaeos, has omnes ab Hellenis filiis aut nepotibus repetiit [9]), ipsum vero Hellenem a Deucalione post diluvium ex Pyrrha procreatum fecit [10]). Alii tamen neque Aeolensium neque Doriensium neque Achaeorum originem ab Hellene deducunt, sed Aeolum Jovis, Dorum Apollinis, Achaeum Neptuni filium faciunt [11]): neque dubium est quin Iones quoque a plurimis non ab Hellenis quodam nepote, sed ab Apollinis filio repetiti sint [12]). Hellenem autem ipsum fuerunt qui

distincta fuisse: quamquam postea, ut nomine ita sacris cum omnibus communicatis, pristinae significationis memoria oblitterata est.

8) Strab. VIII, 6 p. 370. — *Πανέλληνες καὶ Ἀχαιοὶ* iam in navium catalogo Il. II, 530 commemorantur, item *Πανέλληνες* de omnibus Graecis ap. Hesiod. O. et D. v. 527. *Ἑλλὰς* et *Ἄργος* de universa Graecia Odyss. IV, 726. 816. XV, 80, ubi vix credo *Ἑλλάδα* solam Thessaliam significare (Mueller. Aegin. p. 15.) et *Ἑλλὰς* solum ap. Hesiod. O. et D. v. 652. Cf. et Nitzsch. ad Odyss. tom. I p. 55.

9) Hesiod. fr. ap. Tzetz. ad Lycophr. v. 284. (Goettling. p. 210. Lehmann. de Hesiodi carm. perd. p. 25.)

10) Hesiod. ap. schol. Apollon. Rh. III p. 1086 (Goettl. p. 210.) ubi pro *Προμηθέως καὶ Πύῤῥας* res ipsa docet scribendum esse *Δευκαλίωνος καὶ Πύῤῥας*. Cf. schol. Ambros. ad Odyss. X, 2 p. 330 Buttm. — Pyrrha ipsa nihil aliud nisi Thessaliam significat (vid. Rhian. ap. schol. Apollon. l. l. v. 1090.) et fuit Pyrrha olim urbs Thessaliae, postea Melite, ubi etiam sepultus Hellen putabatur. Strab. IX, 5 p. 432. Quippe in Thessalia plerique, et quidem in Dotio campo, qui pars est campi Pelasgici (Mueller. Aegin. p. 17.) non, cum Aristotele, in Epiro Hellenicae gentis origines statuebant.

11) Eurip. Jon. v. 63. Apollod. 1, 7, 6. Dionys. A. R. 1, 17.

12) Xuthum ipsum non alium quam Apollinem a primis fabulae inventoribus dictum esse credo cum Muellero Dor. I p. 239. Prolegg. myth. p. 274. Sed fuerunt fortasse etiam aliae de Ionicae gentis originibus fabulae, quarum vestigia Buttmannus demonstrare conatur in dissert. über die mythische Verbindung zw. Europa und Asien, in Comm. Acad. Boruss. 1818. 19. p. 228 sqq.

non a Deucalione, sed a Phthio Pelasgi aut Achaei filio procreatum dicerent [13]), aut, si a Deucalione, hunc tamen Pelasgi, aut Phthii, aut Achaei stirpe ortum putarent [14]): ex quo satis patet nequaquam omnes in ea fuisse sententia, quae hodieque defensores invenit, ut Hellenum stirpem a Pelasgis admodum diversam fuisse opinarentur. Non magis autem diversos ab Hellenibus Leleges fuisse vel illud documento est, quod quum Locros Hellenes esse constet, tamen hos antiquitus Leleges fuisse summo consensu traditur [15]), neque novum Locrorum nomen ab aliquo ex Hellenis prosapia repetitur, sed Locrum Amphictyonis, qui Hellenis frater fuerit, nepotem, Physci filium perhibent [16]).

§. V.

Ceterum plurimas fuisse in Graecia populorum migrationes, sedes omnium saepius mutatas, stirpes multifariam inter se mixtas antiquissimorum temporum historia quamvis fabulosa manifestum facit [1]), quamquam singulorum memoriam in tanta rerum vetustate et fabularum incredibili discrepantia nemo extricari posse speraverit [2]).

---

13) Steph. Byz. s. v. Ἑλλάς. Cf. Eustath. ad Iliad. II, 683 p. 320, 30, qui duos Hellenes distinguendos credit.

14) Schol. Ven. ad Iliad. II, 681.

15) Hesiod. fr. ap. Strab. VII, 7 p. 322. Aristot. ap. eund. p. 321. Dicaearch. descr. Gr. v. 71. Scymn. v. 590. Dionys. A. R. I, 17.

16) Scymn. v. 587—590. Eustath. ad Iliad. II, 531. Schol. ad Pind. Olymp. IX, 96.

1) Cf. Thucyd. I, 2.

2) Multa multi vario successu conati sunt, quum fabularum iudicandarum et componendarum explicandarumque et inter se conciliandarum alias alii vias inirent, plerique non tam certae rationis norma quam hariolatione quadam et opinandi levitate aut lubidine et cupiditate ducti. Hinc libri prodierunt sat multi, quorum insigniores hi fere sunt: Erasm. Vinding. Hellen, in Gron. thes. tom. XI. Freret obss. general. sur l'origine et sur l'ancienne histoire des prem. hab. de la Grece. in Memm. de l'Acad. des Inscr. tom. XXI. Clavier histoire des premiers temps de la Grèce. ed. 2. Paris 1822. III. 8. Larcher, Herodote tom. VII (essai sur

Sed si probabilitatem sequimur, tres potissimum discerni posse videntur maiores per pleramque Graeciam migrationes, quarum prima initium habuit a diluvio Deucalionio et Hellenicae gentis ex Epiro per Acarnaniam, Aetoliam, Phocidem in Thessaliam ingressu [3]), altera a Thessalis e Thesprotia item in Thessaliam irrumpentibus [4]), tertia huic prope coniuncta a Doriensium in Peloponnesum profectione. Obscurissima autem et ceteris fabulosior est primae illius migrationis memoria: nisi tamen quum Ionum et Achaeorum in Attica et Peloponneso habitantium origines a plerisque e Thessalia repeti et ad Hellenes referri soleant [5]), probabile videtur aliquam Hellenum migrationem aliquando quum in Atticam tum in Peloponnesum factam esse, ubi Achaiam, Argolidem, Laconicam et Messeniam advenae occuparint, prisci autem

---

la chronologie d'Herodote) Paris 1802 8. Raoul-Rochette histoire critique de l'établissement des colonies grecques. ed. 2. Paris 1822. III, 8. C. D. Beck, Anleit. zur gen. Kenntniss der allgemeinen Welt- und Völkergeschichte I, 1. ed. 2. Lips. 1803. 8. H. G. Plass, Vor- und Urgeschichte der Hellenen. Lips. 1831. 8.

3) Vid. §. IV. 2.

4) Cf. Herodot. VII, 176. Vellei. Paterc. I, 3. Clavier. II, 164. Mueller. Orchom. p. 377.

5) Vid. locc. ap. Meurs. regn. Att. II, 8. Lectt. Att. VI, 21. Clavier. ad Apollod. II p. 87 Beck. p. 828. 830. Manso Spart. I, 2 p. 52. — Quod ad Iones attinet, hi haud dubie multis in Peloponneso locis inter Achaeos mixti, nequaquam vero in sola Aegialea habitarunt. Id vel *Ἰάσου Ἄργους* nomen ostendere possit, de quo cf. Strab. VIII p. 369 extr. Hellanic. ap. Eustath. ad Iliad. III, 75. Schol. Odyss. XVIII, 246. Commemorantur autem Iones in aliquot Argolidis partibus, Epidauro, Hermione, Troezene et in Cynuria regione. Strab. VIII p. 374. Pausan. II, 26, 2. Herod. VIII, 73. Mueller. Dor. I, 81 et 228. eandemque Achaeorum et Ionum linguam fuisse censet Pausan. II, 37, 3. Porro Iones erant in Corinthio agro, in parte Arcadiae et Messeniae, in Attica, in parte Boeotiae, in Euboea. Conon. narr. 26. Pausan. II, 25. IV, 34. IX, 26. X, 34. 35. Strab. X p. 456. 461. Steph. Byz. s. v. *Καρυαὶ* et *Ἑλλοπία*. Ceterum hos omnes e Thessalia migrasse nemo dixerit, sed tantummodo admistam Ionibus in Attica gentem Hellenicam e Thessalia profectam fabulae de Xutho docere videntur. Stirps autem Ionum Pelasgica fuit, et nomen quoque haud dubie non in Attica demum post Hellenum adventum populo inditum, sed longe vetustius.

harum regionum incolae Pelasgi et Leleges aut coaluerint cum illis aut sedibus pulsi alio concesserint [6]). Thessalorum autem migratione satis constat Aeolenses Boeotos e Thessalia, ubi circa Arnen sedes habebant, cedere coactos in Boeotiam commigrasse eamque Minyis et Cadmionibus subactis aut expulsis fere totam occupasse [7]). Non longo post tempore Dorienses, qui post varias in ipsa Thessalia migrationes aliquamdiu ad Oetam et Parnasum pulsis Dryopibus consederant [8]), hinc ad mare descenderunt et iuncti cum Aetolis [9]) in Peloponnesum transiecerunt, ipsi, subactis paullatim Achaeis, Argolidem fere totam cum Corintho, Sicyone, Laconica, Messenia occuparunt [10]), Aetoli autem in Elidem abierunt [11]). Pulsi a Doriensibus Achaei partim in Aegialeam confugerunt ad Iones: hi rursus in Atticam [12]), cuius ipsius partem quandam brevi post tempore Dorienses e Corintho occuparunt [13]). Alia autem pars Achaeorum in Boeotiam abiit, atque hinc magna variarum gentium multitudine adiuncta in Lesbum insulam et Asiae minoris oram transiecit [14]). Iones dein ex Attica profecti et ipsi Asiam petiverunt [15]). Postremo Doriensium quoque pars eodem abiit [16]). In Graecia autem nullae amplius post haec tempora populorum migrationes factae sunt, sed cer-

6) Cf. Herod. VII, 94. I, 145. Pausan. VII, 1, 3. IV, 36, 1. Strab. VIII, 7 p. 219.

7) Cf. Mueller. Orchom. 391. 440. 476. Prolegg. myth. 148. 350. Ersch. et Grub. Encycl. XI p. 264.

8) Herodot. I c. 56. De Dryopibus cf. Sturz. ad Pherecyd. fr. p. 107. Mueller. Dor. I p. 41 sqq.

9) Pausan. V, 1. Ephor. ap. Strab. X, 3 p. 463.

10) Mueller. Dor. I p. 78 sqq.

11) Id. ib. p. 62.

12) Pausan. VII, 1, 3. 4.

13) Id. I, 39, 4. Herod. V, 76. Strab. IX p. 602. XIV p. 965.

14) Vid. Plehn. Lesbiacorum lib. (Berol. 1826) p. 37 sqq.

15) Cf. Pausan. VII, 2, 1. Strab. XIV, 1 p. 633.

16) Strab. XIV p. 653. Mueller. Dor. I p. 102 sqq.

tis iam sedibus omnes habitabant[17]. Erat autem universa Graecia per populos in hunc modum distributa.

§. VI.

Primum Thessaliae meliorem partem Thessali occupaverant, a Thesprotis Epirotico Pelasgicae stirpis populo oriundi[1]. Ab his prisci incolae partim pulsi partim subacti erant, ita ut alii servi Thessalorum (*πενέσται*), alii iniquo foedere iis subiuncti essent, velut Perrhaebi, Dolopes, Aenianes, Achaei Phthiotae, Melienses, Magnetes[2]. Infra Thessaliam inter Oetam et Parnasum quattuor Doridis oppida Dorienses tenebant[3], itemque Bulin in Phocidis et Boeotiae confiniis[4]. Locridem iidem qui antiquitus habuerant Leleges tenebant, nec de aliarum stirpium advenis constat, nisi quod Hyantia Locridis oppidum Hyantes e Boeotia pulsos ibi consedisse probabile facit[5]. Etiam in Phocide Leleges antiquitus et Hyantes fuerunt[6]: sed quum nomen populi a Phoco quodam Ornytionis filio, qui Corinthius erat, et ab altero Phoco Aeaci filio Aegineta deducatur[7], advenae aliquando ex Aegina et Corintho priscis incolis admixti esse videntur. —

---

17) Thucyd. 1, 12. Hinc Ephorus historiae contexendae initium sumpsit a Doriensium in Peloponnesum migratione. Vid. Ephor. fragm. Marx. p. 55 sq.

1) Herodot. VII, 176. Vellei. 1, 3. Buttmann. de Aleuadis. Mytholog. II p. 261. Mueller. Dor. II p. 65 sq.

2) Vid. infra P. VI §. 18 quae de foedere Thessalico dicentur.

3) Herod. VIII, 31. Thuc. III, 92. Strab. IX, 4 p. 427. Scymn. v. 591. De urbium numero et nominibus cf. Meurs. Miscell. Lacon. III, 9. Hemsterh. ad schol. Aristoph. Plut. v. 385. Mueller. Dor. 1 p. 35.

4) Pausan. X, 37, 2.

5) Steph. Byz. s. v. Ὕαντες.

6) Dicaearch. descr. Gr. v. 72. Scymn. v. 571. Strab. IX, 1, p. 402. Schol. Ven ad Iliad. II, 517.

7) Pausan. X, 1, 1. Scymn. v. 485. Mueller. Aegin. p. 23 not. t.

In Aetolia veteribus Lelegibus et Curetibus [8]) primum Hyantes e Boeotia a Cadmionibus aut a Boeotis expulsi [9]), deinde Epei ex Elide [10]), mox barbari non pauci ex Epiro mixti esse dicuntur, qui omnes in commune Aetolorum nomen coaluerunt. Acarnaniam veterum item Curetum, Lelegum, Teleboarum, Cephallenum [11]) posteri tenebant, quibus postea coloni e Corintho accesserunt [12]). Boeotiam Boeoti habebant Aeolenses e Thessalia oriundi, cum quibus Minyarum et Cadmionum reliquiae paullatim coaluerant: aliquot tamen oppida, St:ris, Thespiae, Hyle etiam Ionicae stirpis incolas habuisse dicuntur [13]). Attica Ionum erat, Pelasgicae stirpis, quibus tamen Hellenes e Thessalia et aliquot etiam Thracum veterum reliquiae pluresque variarum stirpium advenae admixti esse videntur [14]). Megaridem Dorienses occupaverant. Peloponnesi meliorem partem iidem Dorienses habebant, veteribus incolis, qui quidem non solum vertissent, partim subactis et in dediticiorum aut servorum condicionem detrusis, partim etiam mixtis cum Doriensibus et in unum populi corpus confusis. Illud in Laconia et Argis, hoc in Messenia, Sicyone, Phliunte, Troezene, Corinthi factum est [15]). Reliquae Peloponnesi mediam partem Arcades tenebant, Pelasgicae stirpis, et qui indigenae credebantur [16]). Inter Arcadiam, Argolidem, Laconiam angustae erant

8) Strab. X, 3 p. 463.

9) Strab. IX, 2 p. 401. Pausan. X, 35, 4. Steph. Byz. s. v. Αἰτωλία. Eustath. ad Iliad. II p. 311, 18.

10) Ephor. ap. Strab. VIII, 3 p. 357. Pausan. V, 1. Scymn. v. 473.

11) Pausan. VIII, 24, 4. Aristot. ap. Strab. VII, 7 p. 322. Schol. Apoll. Rhod. 1, 747. De fabulosis Amphilochi et Alcmaeonis coloniis cf. Scymn. v. 455. 461.

12) Cf. Mueller. Dor. I p. 117.

13) Id. Orchom. p. 385. 391. et 237.

14) Vid. infra P. V §. 2.

15) Vid. P. IV §. 1.

16) Cf. supra §. I, 11.

Cynuriorum sedes, quos et ipsos indigenas fuisse dicunt, stirpis autem Ionicae, sed ita paullatim degeneratos, ut Doriensibus quam Ionibus similiores viderentur [17]). Argolidis partem circa Hermionen et Asinen Dryopes tenebant, sedibus pristinis inter Parnasum et Oetam a Doriensibus pulsi et ab Achaeis, quorum tunc Argolis erat, recepti [18]). Elidis inferiorem partem, quae Triphylia dicitur, Minyae habebant e Lemno insula [19]) a Pelasgis Tyrrhenis eiecti et aliquamdiu in Laconia commorati, unde in hanc terram profecti pulsis Cauconibus et Paroreatis Arcadibus urbes condiderunt Lepreum, Macistum, Phrixas aliasque [20]). Neque tamen Caucones et Paroreatas omnes eiectos aut deletos esse ipsum Triphyliae nomen fidem facit a tribus gentibus inditum [21]). Superiorem Elidem Aetoli tenebant, Doriensium olim comites, cum veteribus Epeis mixti, quibuscum etiam antiqua stirpis coniunctio iis intercedebat [22]): nonnulli etiam Achaei ab iis recepti esse dicuntur [23]). Aegialeam denique Achaei ex Argolide et Laconia profugi occupaverant pulsisque prioribus incolis Ionibus terram a suo nomine Achaiam appellaverant [24]). Insularum quae Graeciae ad occidentem sunt primam Corcyram quinam antiquitus habuerint incertum est: posteris

---

17) Herod. VIII, 73. Cf. tamen Mueller. Aegin. p. 47.

18) Herodot. l. l. cf. I, 56. Diodor. IV, 37. Strab. VIII, 6 p. 373. Pausan. IV, 34, 6. Heyn. ad Apollod. p. 194. Sturz. ad Pherecyd. p. 107. Mueller. Dor. I p. 42.

19) Hinc Lemnii ab Herodoto dicuntur VIII, 73. Cf. Mueller. Orchom. p. 300 sqq. et Boeckh, üb. die auf Thera entdeckten Inschriften, e Comm. Acad. Boruss. ann. 1836. seors. expr. p. 42.

20) Herodot. IV, 148.

21) Aliter tamen Strabo statuit VIII, 3 p. 337.

22) Strab. VIII, 3 p. 354. Pausan. V, 1. Heyn. ad Apollod. p. 43. — Ceterum Meierus in Ersch. et Grub. Encycl. sect. III tom. 3 p. 296 Eleorum nobilitatem Doricae stirpis fuisse censet.

23) Pausan. V, 4, 2.

24) Pausan. VII, 1.

temporibus coloni eo Corinthii deducti sunt[25]). Leucadem, Cephalleniam, Ithacam ceterasque in ea regione minores insulas iidem qui olim incolae tenebant Cephallenes et Teleboae[26]): quamquam Teleboarum nomen usurpari mature desiit. Coloni iis ex Corintho accesserunt[27]). Euboeam pleramque Iones, aliquam partem Abantes, Dryopes, Aeolenses habebant[28]). Cretam Dorienses insederant, et quidem, si fides fabulis habenda est, iam ante illam in Peloponnesum migrationem[29]). Iidem postea e Peloponneso profecti, adiunctisque passim Minyis et Achaeis, alias complures inter Asiam et Graeciam insulas, e. c. Aeginam, Theram, Melum, Pholegandrum, Sicinum, Anaphen, Astypalaeam, Con, Rhodum et Cariae oram occupaverant[30]). Cyclades cum Lydiae ora vicinisque insulis Iones ex Attica habitabant, sed admixtis multis etiam Minyis, Abantibus aliisque[31]). Lesbum, Tenedum, Hecatonnesos, Mysiae littus Aeolenses tenebant[32]); Lemnum, Imbrum, Samothracen Pelasgi Tyrrheni[33]). Sed hi quidem a veteribus Hellenum nomine excluduntur: reliquorum, qui universi hoc nomine compre-

---

25) Cf. G. C. A. Mueller de Corcyraeorum re publica. (Goting. 1835) p. 11 sqq.

26) Vid. supr. §. II, 15. et de Cephallenibus Strab. X, 2 p. 452 sq. 456.

27) Strab. p. 452.

28) Strab. X, 1 p. 447. Pausan. IV, 34, 6. Scymn. v. 572. 576. Heyn. opusc. acad. II p. 273. Poppo. prolegg. ad Thuc. tom. 2 p. 267.

29) Diodor. IV, 60. V, 80. Hoeck. Creta tom. II p. 15 sqq. et de posterioribus Doriensium in Cretam migrationibus p. 417 sqq. Priscos incolas Homerus Eteocretas, Pelasgos, Cydones dicit Odyss. XIX, 175. cf. Strab. X, 4 p. 475.

30) Vid. quae laud. §. V, 16. Add. Mueller. Orchom. p. 307 et 317.

31) Vid. §. V, 15. Cf. L. Lehnert de foedere Ionico (Berol. 1830) p. VI.

32) Vid. §. V, 14.

33) Mueller. Orchom. p. 307 sqq. C. Rhode, res Lemnicae (Vratisl. 1829) p. 43 sqq. cf. p. 25 sqq.

henduntur, quum tres maiores stirpes numerari soleant, Aeolenses, Iones, Dorienses, longe plurimi latissimeque diffusi Aeolenses sunt[34]: quumque Iones haud dubie itemque Dorienses naturali inter se cognatione arctius coniuncti satisque manifesto a ceteris discreti essent, Aeolenses admodum varii et multiplices ac vix omnes propius inter se quam cum illorum alterutris cognati fuisse videntur.

34) His etiam Achaei accensentur, Strab. VIII, 1 p. 333. quos ex Hesiodea genealogia propius cum Ionibus coniunctos fuisse coniicias. De nomine cf. Menecl. ap. Etym. M. p. 27, 24: *Αἰολεῖς διὰ τὸ ἐκ πολλῶν ἐθνῶν συνηθροῖσθαι.*

III. De Graecarum rerum publicarum formis earumque mutationibus in universum.

A. De rebus publicis aetatis heroicae.

§. I.

Graeciae populorum qualis initio et ante ea tempora, quorum certiorem aliquam memoriam Homerus servavit, status et condicio fuerit in obscuro est. Veteres quidem scriptores, quibus Pelasgi et Leleges autochthones sunt, hos ab initio feros atque incultos bestiarum instar egisse nec nisi paullatim ad humaniorem victum cultumque corporis [1]), ad matrimonia contrahenda [2]) societatemque primum domus ac familiae dein pagorum atque oppidorum ineundam pervenisse, moribusque et legibus fundatis cultuque deorum et religionibus susceptis [3]) mansuefactos esse statuunt. Nostra autem aetate autochthones illos fuisse dudum credi desitum est, et quemadmodum ceteris Europae terris ita Graeciae quoque primos incolas ex Asia advenisse iudicamus: quamquam qui-

1) Isocr. Panegyr. c. 6 et 10. Diodor. 1, 8. Pausan. II, 19, 5. VIII, 1, 2. Cf. Varro de r. r. I, 2. II, 1. Augustin. de C. D. XVIII, 6. Larcher. Herod. tom. VII p. 274. Et de βαλανηφαγίᾳ quae coll. Meurs. ad Lycophr. v. 483.

2) Cecrops primus matrimonium sanxisse dicitur. Euseb. Praep. eu. X, 9.

3) Herodot. II, 52. Plat. Cratyl. p. 397. C. D. Meiners. histor. doctr. de vero deo p. 164 sqq.

bus hi temporibus, quibus ex sedibus quaque via advenerint, quidve secum humanioris culturae, artium, institutorum civilium ac religionum attulerint, prudentiores ne quaeri quidem debere intelligunt [4]). Hoc tamen negari non posse videtur, multarum artium initia rudiores Graecos a cultioribus Asianis accepisse, veluti scripturam a Phoenicibus, quorum antiquissima cum Graecis commercia fuisse constat. Sed quae de coloniis a Cadmo e Phoenicia [5]), a Cecrope et Danao ex Aegypto in Graeciam deductis perhibentur fabulosa sunt omnia et parum credibilia [6]). Ceterum monumenta priscae huius aetatis nulla supersunt praeter paucas quasdam sed admirandas reliquias aedificiorum [7]), de

---

4) Tractarunt hanc quaestionem praeter alios Heynius, Suspicion. de Graecor. orig. a septentrionali plaga repetenda, in Comm. Soc. Gött. tom. VIII p. 20 sqq. Adelung, Mithridat. tom. II p. 339 sqq. Beck. Weltgesch. I p. 321. Kanngiesser, Grundriss der Alterthumswissenschaft p. 215 sqq. Schnitzler. in Schoell. Gesch. der Griech Litt. tom. I p. 40—60. Plass, Vor- u. Urgesch. v. Griechenland p. 19 sqq. Conf. et Buttmann. über die mythische Verbindung zwischen Griechenland u. Asien, in Comm. Acad. Boruss. ann. 1819. 215 sqq. Mytholog. II p. 168 sqq.

5) Scripturam Graecorum e Phoenicia ortam praeter diserta veterum testimonia vel litterarum forma manifestum facere potest. Cf. Krus. Hell. I p. 577. Sed quo tempore litteras a Phoenicibus Graeci didicerint in varias partes disputatum est. Vid. Wolf. prolegg. ad Hom. p. 109—113. L. Hug, die Erfindung der Buchstabenschrift. Ulm 1801. 4. Amelang, von dem Alterthum der Schreibkunst. Gotting. 1807. 8. Kreuser, Vorfragen über Homer u. sein Zeitalter. Frankf. a. M 1828. 8. Add. Schoell, Geschichte der Gr. Litt. I p. 74. 76. et in univers. de Graecorum cultura ex oriente repetita Bernhardy Grundriss. d. Griech. Litteratur I p. 154.

6) Cf. Mueller. Orchom. p. 106—122. Prolegg. mythol. p. 146 sqq. 175 sq. 182 sqq.

7) Vid. impr. Dodwell. Sickler. II, 2 p. 42 sqq. 65 sqq. Petit Radel in Magazin encyclopedique tom. 5 p. 446. Hirt in F. A. Wolf Analect. I p. 156. Walpole Memoirs. etc. p. 315 sqq. W. Gell, Probestücke von Städtemauern des alt. Griechenlands. a. d. Engl. München 1831. Mueller. Orchom. p. 240. Handb. d. Archaeologie p. 26 sqq. Schelling, üb. das Alter der cyclop. Bauwerke in Griechenland. (Jahresbericht der Münch. Ak. d. Wiss. v. 1831—33. no. 3 p. 45.) Et de similibus in Italia reliquiis Gerhard, Gell et Petit Radel in Annali dell' instituto di corresp. archeolog. tom. I p. 36. 182. 345.

quorum conditoribus inter ipsos Graecos posteriores tam parum constabat, ut vulgo Cyclopum ea opera esse fabularentur [8]).

§. II.

Homerus autem, a quo omnis certior Graecae antiquitatis cognitio proficiscitur, totam nobis Graeciam in plurimas civitates divisam ostendit regio omnes imperio subiectas: eamque rerum publicarum formam omnium primam fuisse ceteri quoque scriptores uno ore testantur [1]). Sed post heroicam aetatem, quum Thessalorum et Doriensium migrationibus pleraeque Graeciae condicio magno opere immutata imperiaque ad alios translata, mox etiam novae extra Graeciam in Asia, Italia, Sicilia civitates conditae essent, magna coepit ubique rerum publicarum conversio et variae extiterunt civitatum formae. Sed omnis haec formarum varietas non incommode a veteribus politicis ad tria maxime genera revocari solet, prout vel penes unum, vel penes paucos, vel penes omnes summum est in re publica ius atque imperium: rursusque ex tribus his generibus unum quodque in binas species dividitur, prout, qui summam rerum tenent, potestate sua aut ad bonum publicum et communem omnium salutem utuntur, aut neglecta utilitate publica suo tantum commodo suisque opibus prospiciunt. Ita summum unius imperium aut regnum vocant aut dominationem (tyrannidem): ubi a paucis res publica administratur, aut aristocratia est aut oligarchia: denique universi populi imperium aut democratiam dicunt aut

8) Pindar. fragm. inc. no. 48 p. 245 Diss. Eurip. Herc. fur. 940 Herm. Pherecyd. Sturz. p. 82. Hecataeus Creuz. p. 72. Strab. VIII, 6 p. 369. 373. Apollod. II, 2, 1, 3. Pausan. II, 16,4. 20, 5. 25, 7. VII, 25, 3. Schol. Apoll. Rhod. IV, 1091. Eustath. ad Iliad. II p. 286, 21.

1) Thucyd. 1, 13. Arist. Polit. III, 9, 7. 10, 7. Dionys. A. R. V, 74. Polyb. VI, 4. Pausan. IX, 1.

ochlocratiam [2]). Sed haec quo rectius intelligi et iudicari possint, de omni rei publicae vi et natura paullo accuratius disputandum est [3]).

§. III.

Est igitur res publica res populi: populus autem non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus [1]). Eius autem prima causa coeundi non tam a consilio et utilitatis reputatione repeti debet, quam a naturali hominum inter se conciliatione [2]), qua permoti qui stirpe, lingua, sedibus iisdem sunt etiam vitae quandam communionem ac societatem inire cupiunt. Ita quum coiit inter se talis multitudo, quae numero suo rerumque ad usum vitae pertinentium copia satis se ipsa tueri possit [3]) quumque et iuris consensu sociatur et certa quadam

---

2) Cf. Arist. Polit. III, 5, 1—4. Hic tamen quam nos democratiam diximus, communi nomine *πολιτείαν* appellat, et democratiam huius *παρέκβασιν*, quam nos ochlocratiam diximus cum Polyb. VI, 4, 6. Ceterum ipse Aristoteles in usurpandis illis nominibus non ubique plane sibi constat, et minor etiam ceterorum scriptorum hac in re consensio est. Cf. Ethic. Nicom. VIII, 12. Rhetor. I, 8. Plat. Polit. p. 291 D sqq. de re publ. VIII p. 543 C. Diog. Laert. vit. Plat. tom. I p. 294 Huebn. Io. Stob. Eclog. eth. p. 328. Aeschin. in Timarch. p. 29. Plutarch. de monarch. c. 3. Wesseling. ad Diodor. XVIII, 74. Morus ad Isocr. Panegyr. c. 35. Wolf. ad Dem. Lept. in Schaef. app. crit. tom. III p. 88. Haase ad Xenoph. de re publ. Laced. p. 182. Luzac de Socrate cive p. 67 sq. Hüllmann, Staatsrecht des Alterthums p. 111. Rötscher, Aristophanes u. sein Zeitalter, p. 88 sq.

3) Conf. in univ. Berlin. Monatsschrift ann. 1793 p. 507 sqq. (Von den Ideen der Griechen über Staatsverfassung.) Conz, politische Meinungen der Alten, in: Museum f. Griech. u. Röm. Litt. Zürich 1795. St. 3. Schleiermacher, üb. die Begriffe der verschied. Staatsformen, in Comm. Acad. Boruss. 1814—15.

1) Cicero de re publ. I, 25.

2) Arist. Polit. I, 4, 9. III, 4, 2: *φύσει ἐστὶν ἄνθρωπος ζῶον πολιτικόν, διὸ καὶ μηδὲν δεόμενοι τῆς παρ' ἀλλήλων βοηθείας οὐκ ἔλαττον ὀρέγονται τοῦ συζῆν.*

3) Aristot. Oecon. I, 1 p. 2 Göttling.: *πόλις μὲν οὖν οἰκιῶν πλῆθός ἐστι καὶ χώρας καὶ χρημάτων αὔταρκες πρὸς τὸ εὖ ζῆν.* Cf. Polit. VII, 4, 7. III, 5, 14. Plat. republ. II p. 369 B sq.

earum rerum, quae ad tuendam conservandamque societatem pertinent, cura et administratione utitur, hanc civitatem s. civilem societatem appellamus. Atque quum ad ineundam huiusmodi societatem homo naturae voce impellatur, tum inita demum hac societate humanitatis vis tota emergit insitaque in homine virtutis semina adolescunt, ut recte dixeris hominem extra civilem societatem non vere hominem evadere posse [4]), summumque civitatis finem hunc esse, ut humaniter ab hominibus vivatur [5]). — Sed ut iniri civilis societas initaque ut retineri et conservari possit multis rebus opus est partim externis partim in hominum animo et voluntate positis [6]). Nam primum subsidia adesse oportet quibus vita sustentetur victusque ac cultus corpori paretur, qualia agrorum possessio et cultura, artesque et opificia suppeditant, dein vires bellicas ad hostiles impetus propulsandos, porro formulam quandam ac normam iuris, quo omnes inter se utantur, denique non alienum singulorum a civili societate animum et consentientem eius tuendae et conservandae voluntatem. Sine his enim rebus neque constare societas, neque id quod summum est effici poterit, ut vitae in civitate vere humanae locus fiat. Prospiciendum igitur erit ut nulla earum rerum unquam deficiat: ac primum quidem quid ubique faciendum sit, quod ad rem

---

4) Hoc est quod Aristoteles vult, quum Polit. I, 1, 11 civitatem natura priorem esse dicit quam singulos homines, quemadmodum totum natura prius sit partibus suis. Scilicet natura hominem eo consilio creavit ut civitatis membrum fieret, ideoque in procreando homine civitatem spectavit, sicut in manibus aut pedibus procreandis totum corpus: quamobrem quum ad corporis ideam membra, ad civitatis ideam hominem formaverit, recte sicut corpus membris ita civitas homine natura prior esse dicitur.

5) Finem civitatis *τὸ εὖ ζῆν* Aristoteles dicit Polit. I, 1, 8. cf. III, 4, 3. 5, 14: *τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ζῆν εὐδαιμόνως καὶ καλῶς.* Est autem *εὐδαιμονία* nihil aliud nisi *ἐνέργεια κατ' ἀρετήν.* Cf. Ethic. Nicom. I, 6 p. 9 ed. Bekk. min. ib. 8 p. 11. IX, 9 p. 164. X, 7 p. 180.

6) Cf. Aristot. Polit. VII, 7, 4. Hippodam. ap. Stobaeum tom. II p. 122 Gaisf.

publicam pertineat, consultandum ac decernendum, dein consulta decretaque exequenda et ad effectum perducenda, denique si quid commissum sit contra rem publicam, animadvertendum, sive quid controversiae extiterit, dirimendum est. Harum rerum prima consilii publici, altera magistratuum, tertia iudicum est [7]): quamquam horum munia prorsus inter se seiungi et diversis unum quodque hominibus mandari ipsa rei natura ac ratio non patitur [8]). Neque enim si aut uni alicui aut etiam pluribus hoc commissum sit, ut de omni re publica consulant quidque ubique agendum ac pro iure observandum sit statuant, hi omnia ita decretis et legibus comprehendere poterunt, ut certam ubique agendi ac iudicandi normam magistratibus et iudicibus praescribant, sed plurima semper horum consiliis et arbitrio relinquenda erunt [9]): et antiquis temporibus, quum omne ius publicum privatumque consuetudine et moribus potissimum contineretur neque leges ullae scriptae essent, non poterat non liberrima de rebus agendis consulendi ac decernendi potestas magistratuum prudentiae, iuris autem dicendi norma iudicum probitati ac sapientiae permitti, ita ut etiam consilii publici pars maxima in magistratibus et iudicibus esset [10]).

§. IV.

Iam vero omnis haec quae consulendo, exequendo, iudicando constat rei publicae administratio aut penes unum esse potest aut penes paucos aut penes populum universum. Atque unus quidem quum omnia ipse agere non possit, necesse

---

7) *Τρία μορία τῶν πολιτειῶν πασῶν — ἓν μὲν τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν, ἕτερον δὲ τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς — τρίτον δέ τι τὸ δίκαζον.* Arist. Polit. IV, 11, 1.

8) Cf. I. Bentham traité de legislation civile et pénale tom. III p. 341 sqq.

9) Aristot. Polit. III, 11, 4. 7. c. 6, 13.

10) Cf. Tittmann. p. 10. Mueller. Dor. II p. 221.

est alios ab eo adhiberi consiliarios, ministros, iudices, qui tamen, si ab illius unius voluntate munus sibi traditum habent ab eiusque nutu et imperio pendent, recte unius arbitrio et potestate omnem rem publicam administrari dicemus. Sed haec forma imperii, quae est *μοναρχία* veri nominis vel *δεσποτεία* et *παμβασιλεία* [1]), apud Graecos fere nunquam fuit: nam heroicae aetatis regna quam longe a monarchia illa remota fuerint mox apparebit [2]). Fiebat tamen postea nonnunquam ut homines factiosi per vim et astutiam summa rerum soli potirentur: quorum dominatio, legibus pariter et ingenio moribusque Graecorum contraria, *τυραννὶς* vocatur [3]). Sed si in paucorum potestate res publica est, his princeps in civitate locus aut propter generis nobilitatem aut propter divitias datus est. Et initio quidem plerumque apud nobilitatem etiam divitiae maiores esse solent; proinde liberior quoque a rei familiaris cura animus reique publicae tractandae maior facultas, itemque militarium artium maior exercitatio et praestantius armaturae genus [4]), quibus rebus quum et in pace et in bello ceteram multitudinem praecellant, non iniuria etiam in civitate principatum obtinere videntur. Horum ubi summa est minimeque limitata potestas, ibi et a consilio publico et a magistratibus et a iudiciis plebs excluditur, omniaque haec munia soli nobiles administrant, aut pari inter se iure, aut discrimine aliquo inter ipsos observato, veluti quum ad summos magistratus certis tantum familiis aditus hereditario iure patet; quod genus principatus *δυναστεία* vocatur [5]). Ubi autem non generis nobilitas sed census magnitudo

---

1) Arist. Polit. III, 10 p. tot. et II, 2.
2) Cf. id. ib. III, 10, 7.
3) Ibid. IV, 8, 3. V, 8, 22.
4) Ibid. IV, 4, 1. c. 6, 2.
5) Ibid. IV, 5, 1.

spectatur, haec *τιμοκρατία* s. *πλουτοκρατία* est [6]). Utrumque autem genus paucorum imperii, si vere illi dignos se loco suo praebent, nec natalibus solum aut censu, sed prudentia, iustitia, publicae salutis cura excellunt, optimique, quemadmodum appellari solent, ita etiam esse student, haec *ἀριστοκρατία* rite vocari poterit; ubi contra est, *ὀλιγαρχία* dicetur [7]). Ceterum et in aristocratia et in oligarchia multis modis illa paucorum potestas multitudinis iure temperari potest: velut si comitia sint in quibus et magistratus, non quidem ex plebe sed e nobilibus aut ditioribus, verum tamen a populo creentur, et de legibus quoque et rogationibus populus suffragium habeat, quamquam optimatium auctoritati obnoxium: si ad iudicia quoque populus admittitur, aliisque modis plurimis quos percensere longum est et supervacaneum [8]). Ubi autem nullo ordinis aut census discrimine ad rem publicam accedere quilibet potest, dummodo non indignus a populo iudicatus fuerit, populare imperium est s. *δημοκρατία,* quae rursus quo diligentius dignitatis rationem habet et legibus auctoritatique optimorum obtemperat, eo propius ad aristocratiam accedit [9]); ubi autem minor est dignitatis ratio, plusque plebis lubido quam leges aut optimorum auctoritas valet, ibi *ὀχλοκρατία* existit.

§. V.

Cives autem veri nominis in omni imperii forma hi demum dicendi sunt, quibus ad aliquam rei publicae partem accedere licet [1]): quamobrem in

---

6) Id. Ethic. Nicom. VIII, 12 in. Xenoph. Memm. IV, 6, 12. Cf. Wesseling. ad Diodor. XVIII, 16.

7) Aristot. Polit. III, 5, 2. Ethic. VIII, 12.

8) Id. Polit. IV, 11 sqq. VI, 1 sqq.

9) Cf. Luzac de Socrate cive p. 65. Hüllmann, Staatsrecht des Alterth. p. 111. Goettling, de aristocratia veterum, in Act. Acad. Ienens. I. p. 465.

1) Aristot. Polit. III, 1, 2 sqq. impr. §. 4: *πολίτης δὲ ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς.* §. 6:

unius aut paucorum imperio, si cetera multitudo prorsus a rei publicae administratione exclusa est, huic ne civium quidem nomen vere tribui potest, sed subditi rectius dicentur. Quodsi tamen hi quoque cives vocantur opponunturque servis aut peregrinis, civitas eorum iis tantum iuribus continetur, quibus prae illis quos dixi servis et peregrinis fruuntur, ut dominus eorum nemo privatus sit, ut connubium, commercium, sacrorum publicorum, tribulium, curialium communionem habeant, aliisque rebus similibus, quae minus ad summam rem publicam pertinent. Qui autem vere et optimo iure cives sunt, hos plurimum interest civitatis iure suo quam maxime dignos et ad rem publicam administrandam idoneos existere. Id autem fieri poterit duobus modis: primum ut a quaestu illiberali iisque negotiis, quibus animus hominum facillime corrumpi solet, arceantur [2]). Quod quum tamen huiusmodi negotiis res publica carere non possit, rectius haec aut ab inquilinis aut a servis tractabuntur [3]), (atque hanc ob causam servitus in populari imperio propemodum necessaria est [4])): nihilque magis cavendum quam ne cives propter egestatem servilia ac sordida negotia ipsi obire cogantur [5]). Deinde disciplina quaedam pu-

---

τὸν πολίτην ἕτερον ἀναγκαῖον εἶναι τὸν καθ' ἑκάστην πολιτείαν· διόπερ ὁ λεχθεὶς ἐν μὲν δημοκρατίᾳ μάλιστ' ἐστὶ πολίτης, ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις ἐνδέχεται μέν, οὐ μὴν ἀναγκαῖον. §. 8. ᾧ γὰρ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς ἢ κριτικῆς πολίτην ἤδη λέγομεν. Hi sunt οἱ ἐν τῷ πολιτεύματι. V, 1, 6. c. 5, 5. 8. III, 4, 1. c. 5, 1. V, 7, 3. Plut. Qu. Graec. c. 1.

2) Cf. Xenoph. Oecon. IV, 2. 3

3) Arist. Polit. III, 3, 1.

4) Id. ib. — Phocensibus olim et Locris nullos servos fuisse Timaeus contendit ap. Polyb. XII, 6, 7 et Athenae. VI, p. 264 C., quod plerique de Locris Epizephyriis acceperunt, haud dubie perperam. Cf. Heyn. opusc. II p. 54. Goeller. ad Timaei fragm. p. 225.

5) Huc pertinent leges de agrorum modo et de conservandis familiarum possessionibus, quales commemorat Aristot. Polit. II, 4, 3. 4.

blica institui debet[6]), qua cives boni evadant, mali turpitudine notentur et a re publica repellantur. Verum quum omnis civitas, qualiscunque est, id agere soleat, ut in statu suo se conservet, civis quoque optimus is esse iudicabitur qui ad tuendum hunc civitatis statum maxime idoneus erit: quamobrem, quum non omnis civitatis status bonus sit et laudabilis, consequitur etiam civem bonum saepenumero eum videri, quem virum bonum ac vere laudabilem dicere non possis: ut alia sit civis laus ac virtus, alia hominis[7]). Optima autem res publica ea erit, in qua minimum erit civilis et humanae virtutis dissidium et quae plurima civibus suis humanae virtutis adipiscendae incitamenta et subsidia offeret.

§. VI.

His expositis varias Graecarum civitatum formas, quantum quidem cum aliquo fructu cognitionis fieri potest, intuebimur. Primum igitur heroica aetate, ut iam supra dictum est, regna ubique fuerunt, quorum quae fuerit condicio ex Homericis tantum carminibus noscitur[1]). Quamquam genus regnorum priscis temporibus et ante Homericam aetatem credibile est nonnihil diversum fuisse ab eo quod Homerus describit, quandoquidem fabulosa priorum temporum historia sacerdotalis dignitatis cum regia potestate coniunctae vestigia quaedam et indicia servavit[2]). Homerici

6) Arist. Eth. I, 10. Polit. VIII, 1 sqq.

7) Id. Polit. III, 2.

1) Cf. E. Feith, antiquitates Homericae. Lugd. 1677. 12 Argentor. 1743. 8. et in Gronov. thes. tom. VI. J. Terpstra, antiquitas Homerica. Lugd 1831. 8. Heeren, Ideen etc. III, 1 p. 127, Platner, notiones iuris et iustitiae ex Homeri et Hesiodi carmm. expl. Marburg. 1819. 8. Des Marées, üb. den Culturzustand der Gr. im Homer. Zeitalter. Berlin 1797. Tittmann. p. 56 sqq. Wachsmuth. I, 1 p. 81 sqq.

2) Cf. Mueller. Orchom. p. 186. sq. 228. Prolegg. mythol. p. 248. Quae Kreuserus commentus est (der Hellenen Priesterstaat. Mainz 1822. 8) accuratius examinare nihil attinet.

autem reges, licet et ipsi sacra nonnunquam pro populo faciant, plane tamen sunt a sacerdotibus diversi. Neque absurde statuas sacerdotii ac regni discidium inde potissimum extitisse, quod advenae, vi subactis veteribus incolis regibusque eorum imperio spoliatis, sacris tamen antiquis se non immiscuerint, sed aut intacta ea atque intemerata illis eorumque generi procuranda reliquerint, aut spreta et neglecta in comtemptum paullatim atque oblivionem abire passi sint. Sanctissima tamen etiam Homericorum regum maiestas, ipsique diis praeter ceteros cordi esse videbantur [3]), quum non sine deorum numine imperium habere [4]) plurimique etiam cognatione quadam cum diis coniuncti esse crederentur [5]). Ius autem imperii nullis certis legibus aut pactionibus descriptum [6]), sed in usu et consuetudine positum, et propter id ipsum pro temporum et hominum condicione varium fuit [7]). Nam qui sapientia, fortitudine viribus pollerent, horum etiam potestas atque auctoritas maior fuit: contra ignavi, imbelles, aut quorum vires aetate fractae essent, regiam maiestatem retinere vix poterant [8]). Sed etiam potentissimi re-

---

3) *Διοτρεφέες βασιλῆες.* Il. I, 176. II, 98. 196. 445. 660. IV, 338. V, 464. XXIV, 803. Od. III, 480 et al. pass. Cf. Nitzsch. ad Od. I p. 189.

4) Il. II, 197. 205. IX, 98. Hesiod. Th. 96.

5) Hinc *διογενεῖς*, ut Ulysses sexcenties, Agamemno Il. IX, 106. Aiax IV, 489. VII, 234 249. Achilles XXI, 17. Eurypylus XI, 810. Patroclus I, 337 aliique passim.

6) Ex Odyss. XXIV, 545 Goettlingius (Hermes. 1825. I p. 140) contrarium consequi opinatur: quam opinionem refutare non opus est. Neque *ῥητὰ γέρα* ap. Thucyd. I, 13, de quibus infra dicendum, huc pertinent. Recte iudicat Wachsmuth. I, 1 p. 86. Cf. et Tittm. p. 68.

7) In universum maiorem militiae quam domi regum potestatem fuisse Aristot. observat Polit. III, 9, 2.

8) Hinc Achilles apud inferos Ulyssem percunctatur Od. XI, 495: *εἰπὲ δέ μοι Πηλῆος ἀμύμονος — ἢ ἔτ' ἔχει τιμὴν — ἦ μιν ἀτιμάζουσιν, οὕνεκά μιν κατὰ γῆρας ἔχει.* Et Laertem videmus senem imperium Ulyssi tradidisse, quo absente ipse privatus et neglectus ruri degit. Od. I, 190. XXIV, 206 et al. pass. Cf. Wachsm. p. 84. Nitzsch. ad Od. I p. 62.

ges parum per se ipsi valebant, nisi nobilium virorum voluntatem sibi conciliassent, qui fortitudine et opibus eximii, regio generi cognatione aut affinitate coniuncti, aut fabulosa stirpe divina clari, magna erant in re publica et regibus proxima auctoritate, quamobrem et ipsi nonnunquam *βασιλῆες* vocantur [9]). Quid quod in nonnullis civitatibus regnum inter certum quendam principum numerum partitum fuisse videtur, quibus unus tanquam praeses et primus inter pares praeesset [10]).

§. VII.

Erat autem regnum fere hereditarium [1]), ut patri aut propter senectutem invalido aut vita defuncto filius succederet [2]), nisi si hic populo minus probatus paterno honore excluderetur [3]). — Insignia regiae dignitatis nulla commemorantur [4]) praeter sceptrum s. scipionem ligneum aureis clavis ornatum [5]). Similia autem sceptra, quamquam

9) Od. I, 247. 394. VI, 54. VIII, 41. 47. Hesiod. O. et D. 38. 260.

10) Alcinous, Od. VIII, 390, de Phaeacibus: *δώδεκα γὰρ κατὰ δῆμον ἀριπρεπέες βασιλῆες ἀρχοὶ κραίνουσιν, τρισκαιδέκατος δ' ἐγὼ αὐτός.* Sed de eodem Alcinoo VII, 10: *πᾶσιν Φαιήκεσσιν ἄνασσε, θεοῦ δ' ὣς δῆμος ἄκουε.* Cf. Eustath. p. 1198, 29, ubi *κατὰ μέρος ἄρχοντες* sunt participes regni, non autem per vices imperantes, ut credidit Tittm. p. 78. In Attica quoque plures ante Theseum reges infra videbimus: item Eleusine plures commemorat hymnus Hom. in Cer. v. 474. Cf. L. Preller, Demeter u. Persephone. (Hamburg. 1837) p. 104 et in univ. Mueller. Orch. p. 187.

1) Od. I, 387. Il. II, 46. cf. 104 sq. XX, 183. Vid. tamen et Platner. not. iur. p. 111 sq.

2) Ex pluribus filiis haud dubie natu maior, quemadmodum Herod. VII, 2. Pausan. IV, 1, 2 autumant. Nonnunquam etiam divisum inter plures filios regnum dicitur, ut Attica inter filios Pandionis. Strab. IX p. 392. Si mascula suboles deesset etiam generos ad successionem vocatos fabulae perhibent. Wachsmuth. p. 84.

3) Od. III, 214. XVI, 96 cf. I, 394 sqq. Eustath. ad III, 25. Nitzsch. I p. 62. Terpstra p. 66. Tittmann. p. 75.

4) Diadematis nulla apud Homerum mentio: nec vestes purpureae (Od. IV, 115. 154.) regibus propriae fuisse videntur.

5) Iliad. I, 246. Hastam puram Iustinus dicit XLIII, 3.

haud dubie minus ornata, etiam a praeconibus regum ministris gestabantur, et a principibus civitatis, si quando aut in concione verba facerent aut iudiciali munere fungerentur [6]). Praeterea τέμενος reges possidebant de agris publicis [7]): tributa porro et munera vel gratuita vel statuta a populo accipiebant [8]): denique principe in coetibus loco et lautiore in conviviis vini et ciborum portione ornabantur [9]). Ipsis autem hoc officii impositum erat, ut identidem principes invitarent ad communes epulas [10]): quae res haud dubie ad stabiliendam concordiam non mediocriter pertinebat. — Munus regum, secundum Aristotelem [11]), tribus potissimum partibus constabat, foris ut exercitum ductarent, domi ut ius dicerent et sacra quaedam pro populo facerent. Atque exercitus quidem ductores apud Homerum reges ubivis invenimus: suscipiendi tamen aut ponendi belli arbitrium pacisque ac foederum tractandorumque cum exteris civitatibus negotiorum potestatem non reges soli habebant, sed una cum his principes [12]),

---

Ceterum cf. lepidam Wolfii notulam ad Il. II, 199. et Voss. Kritische Blätter I p. 241.

6) Iliad. XVIII, 505. XXIII, 568. Od. II, 37. Nitzsch. tom. I p. 71.

7) Od. XI, 183. VI, 293. Iliad. VI, 193. VII, 313. XX, 184. Nitzsch. I p. 28.

8) *Δωτίναι* et *θέμιστες* commemorantur Iliad. IX, 155, *δῶρα*, ut oblationes extraordinariae, ib. XVII, 225. *Θέμιστας* Nitzsch. l. l. p. 28 pro iure dicundo a litigantibus solutas arbitratur: ego de tributis accipere malim a plebe exactis, quemadmodum auctor epistolae Pisistrati (ap. Meurs. Pisistr. c. 7.) de decimis loquitur regibus antiquitus solutis, eaque esse *τὰ ῥητὰ γέρα* dicit, quorum ap. Thucyd. I, 13 mentio fit.

9) Iliad. XII, 311. VIII, 161.

10) Od. VII, 49. 189. VIII, 41. XIII, 8. Nitzsch. I p. 41 sq. Iliad. IV, 259, ubi cf. Heyn., ib. 343. IX, 70 ibiq. Heyn. XVII, 249.

11) Polit. III, 9, 7. *Κύριοι δ' ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας καὶ τῶν θυσιῶν ὅσαι μὴ ἱερατικαί, καὶ πρὸς τούτοις τὰς δίκας ἔκρινον. τοῦτο δὲ ἐποίουν οἱ μὲν ὀμνύοντες οἱ δὲ οὐκ ὀμνύοντες.*

12) Vid. Iliad. IX, 574. X, 414. Od. XXI, 21. Add. Iliad. II, 53. 404. Nam ibi inter Agamemnonem ceterosque duces eadem

quos de omni re publica consuli necesse erat. Etiam iuris dictionem reges, licet ab hac frequentissimo *δικασπόλων* aut *θεμιστοπόλων* cognomine ornatos [13]), non tamen omnem solos administrasse, sed huius quoque suas principibus partes fuisse dubitari non potest [14]). Sacra denique regibus vel foris vel domi pro populo facienda erant, quaecunque non ad sacerdotum procurationem pertinerent [15]).

§. VIII.

Erant enim sacerdotes certorum numinum ac templorum antistites [1]), quamobrem si quid rei divinae in templo faciendum esset, huic eius templi sacerdotem adhiberi oportebat [2]); quae autem sacra non in templis fierent, quilibet sine sacerdotis opera ipse peragebat, pro familiaribus pater familias, pro exercitu imperator, pro populo rex [3]). Neque lustrationes [4]), auspicia, aliaque vaticiniorum genera

---

ratio intercedit, quae in singulis civitatibus inter regem et populi principes.

13) Iliad. I, 237. Od. XI, 185.

14) Iliad. XVIII, 503 sqq. cf. Hesiod. O. et D. 38 sq. 261.

15) *Θυσίαι ὅσαι μὴ ἱερατικαί.* Arist. l. l. cf. VI, 5, 11: *τὰς κοινὰς ὅσας μὴ τοῖς ἱερεῦσιν ἀποδίδωσιν ὁ νόμος, ἀλλὰ τοῖς ἀπὸ τῆς κοινῆς ἑστίας ἔχουσι τὴν τιμήν.* Atque hi erant heroica aetate reges, postea regnis abolitis alibi prytanes alibi archontes, alii aliis nominibus appellati, nonnulli etiam *βασιλέων* nomen retinentes. Apud Homerum reges sacra facientes non commemorantur nisi primum Peleus Iliad. XI, 772. Nestor Od. III, 439 sqq.; sed haec sacrificia privata et domestica sunt. Publicum est Nestoris et Pyliorum Od. III, 5 sqq. Agamemnonis pro exercitu Iliad. II, 402 et ad foedus sanciendum III, 271 sqq. Publica etiam *τὰ θαλύσια* ab Oeneo celebrata Od. IX, 534 sq. et quae Alcinous cum ceteris principibus fieri iubet Od. XIII, 171. 181 sqq.

1) Cf. Nitzsch. ad Od. tom. I p. 220. Lobeck. Aglaoph. p. 256 sqq.

2) Iliad. VI, 297. 302 sqq.

3) Od. III, 5 sqq. 418—460. XIV, 421 sqq. Iliad. II, 402—419. IX, 219. XI, 772. — Quin non fere mactabantur bestiae absque sacrificio, quamobrem *σφάζειν* et *ἱερεύειν* saepe de eadem re dicitur. Od. II, 55. XIV, 74. Iliad. XXIV, 123. 214.

4) Od. XXII, 480—494.

sacerdotibus propria erant [5]): quamquam extispiciorum, si qua erant hac aetate, hos praecipue peritos fuisse ideoque huius rei causa saepenumero adhibitos consentaneum est [6]): et nonnullis in templis etiam vaticinandi artem ac rationem per manus traditam sacerdotes exercebant [7]). Ceterum sacerdotiis non mares tantum sed etiam feminae fungebantur [8]), erantque alia a populo data, alia hereditaria [9]). Et hereditarii sacerdotii duae imprimis causae fuisse videntur [10]). Nam quum caerimoniae quaedam certis ab initio gentibus aut familiis propriae postea publice susciperentur, has non alii nisi qui ex illis gentibus aut familiis essent rite procurare posse existimabantur. Deinde templa quoque deorum non publice omnia, sed multa etiam a privatis condita erant, quibus si postea propter varias causas publica religio accederet, antistites tamen fere ex conditorum stirpe sumendi erant. Proprium autem sacerdotibus hoc unum erat, deorum in templis ministerium; aliis in rebus eiusdem cum ceteris civibus condicionis habebantur, nec civilium officiorum immunes [11]): erant tamen omnes haud dubie ex nobilium ordine.

---

5) Distinguuntur *ἱερῆες, μάντιες, οἰωνοπόλοι, ὀνειροπόλοι, θυοσκόοι* Iliad. I, 62. XXIV, 221. De *θυοσκόοις* cf. Nitzsch. ad Od. I p. 220. Lobeck. Aglaoph. p. 261.

6) Cf. Schol. Ven. ad Iliad. I, 63. Eustath. p. 47, 35.

7) Cf. Wachsmuth. II, 2 p. 260 sqq.

8) Iliad. VI, 300.

9) Cf. Eclaiscissemens generaux sur les familles sacerdotales chez les Grecs, in Histor. de l'Acad. des Inscr. tom. XXIII p. 51 sqq. Tittmann. p. 605 sqq. Wachsmuth. II, 2 p. 302 sqq. L. Bossler, de gentibus et familiis Att. sacerdotalibus. Darmstad. 1833. 4. Meier, de gentilit. Attica p. 30. Boeckh. Explicatt. Pind. Ol. VI.

10) Conf. Mueller. de sacris Minervae Poliadis. Gotting. (1820. 4) p. 12. Prolegg. myth. p. 249 sqq. Lobeck. Aglaopham. p. 266. Meier. de gentil. Att. p. 29. 30.

11) Nitzsch. ad Odyss. I p. 221 sq. Wachsmuth. II, 1 p. 376. — Strabo IX p. 413 militiae vacationem sacerdotibus tribuit.

§. XI.

Nobiles a plebe saepenumero honorificis *ἡρώων, ἀρίστων, ἀριστήων, ἐξόχων ἀνδρῶν* appellationibus distinguuntur [1]), ut qui praeter stirpis claritatem avitasque divitias, quibus rebus nobilitas maxime constabat [2]), etiam bellica virtute et armorum tractandorum facultate rerumque usu et prudentia supra multitudinem eminerent [3]). In quibusdam autem civitatibus origo nobilitatis, si non omnis, at magnae saltem partis, ab advenis repetenda videtur, qui priscis incolis devictis et subactis optimam terrae partem inter se diviserant. Principes nobilitatis *γέροντες* dicuntur, quae non aetatis solum sed etiam honoris appellatio est [4]), ideoque non modo natu maioribus sed iunioribns quoque tribuitur [5]): quamquam plerumque haud dubie *γέροντες* senes erant, gentium ac familiarum nobilium capita [6]). Hi regibus auctoritate proximi, ut nihil maioris rei publicae iis inconsultis aut invitis agi soleret [7]). Erant igitur frequentes regibus in

1) Iliad. II, 188 cl. 198. 404. III, 250. 374. X, 214. Od. I, 272. 245. II, 51. IV, 268. VI, 34. XI, 226 et al. pass.

2) Aristot. Polit. IV, 6, 5: *ἡ γὰρ εὐγένειά ἐστιν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή.* V, 1, 3: *εὐγενεῖς γὰρ εἶναι δοκοῦσιν οἷς ὑπάρχει προγόνων ἀρετὴ καὶ πλοῦτος.* Cf. Diog. Laert. tom. I p. 247 Huebn. Welcker. ad Theogn. prolegg. p. LIX. *Αἷμα ἀγαθὸν* aliquoties est ap. Homer.

3) Nullum ex iis vocabulis, quae not. 1 commemoravi, nobilitati ita proprium est, ut non etiam de aliis virtute et probitate excellentibus dicatur, ipsumque *ἡρώων* nomen pincernis, praeconibus et cantoribus, qui haud dubie non sunt ex nobilibus, tributum videmus Od. VIII, 483. XVIII, 424. De aliis vocabuli significationibus apud posteriores vid. Creuzer. Symbol. III p. 1 sqq.

4) Iliad. IX, 570. XVIII, 503. II, 404. *δημογέροντες* III, 146. Cf. Schol. ad II, 404. Eustath. et Heyn. ib. et ad IV, 259. Huc pertinet etiam *γέρας*, i. q. *τιμή*, principatus. Heyn. ad XX, 182. Et *γερούσιος οἶνος* vinum quod ad regis mensam *τοῖς γέρουσι* ministratur, Iliad. IV, 258 ibiq. Heyn. Od. XIII, 8. Quamquem diversam de hoc sententiam profert Doederlinus, Lat. Synonym. IV p. 89.

5) Velut Iliad. II, 404 inter *γέροντας* nominantur Aiaces, Menelaus, Diomedes, Ulysses, qui certe non senes sunt.

6) Cf. Nitzsch. ad Od. I p. 68. Mueller. Dor. II p. 92.

7) Vid. exempla in Iliad. IX, 574. X, 414. Od. XXI, 21.

consilio: quod consilium βουλὴ γερόντων [8]), ipsique βουληφόροι dicuntur [9]). In bello omne robur exercitus in nobilibus erat, qui gravius armati, plerumque etiam e curribus pugnabant. Plebeiorum levior armatura et pedestris tantum militia [10]). In re publica administranda iura plebis exigua et incerta. Convocabantur quidem nonnunquam in concionem (ἀγοράν) [11]), verum non tam ut rogarentur latisque suffragiis rem sciscerent aut antiquarent, quam ut audirent quae reges cum principibus aut iam ante in consilio decrevissent [12]) aut coram concione consulerent [13]). Quamquam plerumque etiam plebs assensum suum aut dissensum clamore significabat [14]), nec facile cogi poterat si quid magno consensu recusaret. Itaque orationibus rem plebi commendari oportebat: nec tamen verba in concione nisi a principibus fieri moris erat [15]), quibus quum ad dicendum surgerent sceptrum a praecone tradebatur [16]). In dissensionibus vero principum hoc etiam fieri solebat, ut causam plebi proponerent et suae quisque parti quam plurimos posset conciliare conaretur, quorum auxilio fretus

8) Iliad. II, 53. X, 195. Etiam θῶκος. Od. II, 26. XV, 468.

9) Iliad. X, 414. Et rex ipse βουληφόρος II, 24. γέροντες βουλευταί VI, 113.

10) Cf. Wachsmuth. II, 1 p. 364 sqq. De re militari huius aetatis scripsit G. G. S. Köpke, Ueber das Kriegswesen der Griechen im heroischen Zeitalter. Berlin 1807. 8.

11) Iliad. I, 54. II, 87 sqq. 788. VII, 345. Od. II, 6. III, 127. 137. VIII, 5 sqq. XXIV, 420.

12) Aristot. Ethic. III, 5 p. 41: οἱ γὰρ βασιλεῖς ἃ προέλοιντο ἀνήγγελλον τῷ δήμῳ.

13) Cf. Platner. not. iur. et iust. p. 107.

14) Iliad. II, 334. 394. Od. III, 150.

15) Cf. Iliad. VII, 354 sqq. Od. VIII, 26. et de Iliad. II, 211. I, 69 vid. quae contra Tittmann. aliosque diximus de ord. iudic. (Proc. Attic.) p. 8. 9. Wachsmuth. I, 1 p. 90. Mueller. Dor. II p. 9. Add. Nitzsch. Od. I p. 69.

16) Nitzsch. l. l. p. 71.

adversarios aut vinceret aut deterreret [17]). Convocandae autem concionis ius non solum penes regem fuit, sed penes ceteros quoque principes, si opus esse iudicarent [18]).

§. X.

Omnis populus in tribus, phratrias [1]), gentes descriptus erat: quamquam gentium quidem diserta mentio in Homericis carminibus non extat, neque de tribuum et phratriarum ratione et iuribus quidquam ex iis disci potest. — Servorum duo genera commemorantur, unum eorum qui bello capti erant, qui proprie δμῶες dicuntur [2]), alterum eorum qui a mercatoribus aut praedonibus empti erant [3]). Quod autem post Thessalorum et Doriensium expeditiones in nonnullis Graeciae civitatibus genus servitutis extitit eorum quos glebae adscriptos dixeris, quales apud Thessalos Penestae, apud Spartanos Helotae fuerunt, huius generis vestigium apud Homerum nullum est [4]). Nam qui θῆτες vocantur liberi haud dubie erant sed tenuioris fortunae homines, qui sponte operam suam locupletioribus pacta mercede addixerant et in possessionibus eorum agebant quasi quidam clientes, quae tamen clientela non fere perpetua

17) Od. III, 137 sqq. XVI, 376. XXIV, 412.

18) Vid. Iliad. I, 54, ubi concio non ab Agamemnone sed ab Achille convocatur. Cf. Od. II, 29.

1) Φῦλα et φρῆτραι nominantur Iliad. II, 362, ubi cf. Schol. et Eustath. et Heyn. tom. IV p. 659 sq. Phratriarum indicium habet etiam adiectivum ἀφρήτωρ Iliad. IX, 63. Cf. Platner. not. iur. et iust. p. 91.

2) Od. I. 398: καὶ δμώων οὓς μοι ληίσσατο δῖος Ὀδυσσεύς. Quamquam vocantur δμῶες etiam qui in herili domo e servorum contubernio nati sunt, ut Od. XVIII, 221 cl. 312. Ceterum cf. Nitzsch. tom. I p. 231 sq.

3) Od. I, 430. XIV, 452. XV, 427. 482.

4) Neque tamen propterea nullam huiusmodi servitutem fuisse ante Thess. et Dor. expeditiones negaverim. Cf. et C. H. Lachmann, die Spartanische Staatsverfassung (Bresl. 1836. 8) p. 106.

sed temporaria tantum esse solebat [5]). Ceterum quae ab his et a servis opera fiebant, eorum etiam domini, ipsique adeo nobilissimi, aliquam partem obibant, ut aut arva colerent, aut pecus pascerent atque tuerentur [6]), aut res necessarias fabricarentur [7]): quemadmodum etiam regum uxores et filias nendo, texendo, vestimentis lavandis occupatas videmus [8]). Neque tamen deerant, qui certa quaedam genera artificiorum quaestus causa exercerent, ut fabri aerarii, lignarii, aliique, qui communi δημιοέργων nomine comprehenduntur [9]), quorum nonnullis certe civitatibus iam mature sat magna multitudo fuisse videtur [10]). Mercaturam denique cum extraneis, imprimis maritimam, pauci factitabant, nec Graeci memorantur mercatores praeter Taphios, Lemnios, Cretenses [11]). Pleraque autem peregrina mercimonia a Phoenicibus in Graeciam advehebantur [12]).

§. XI.

Iura publice privatimque non certis legum praescriptionibus sancita, sed usu et moribus recepta, ideoque non tanquam humano consilio sed tamquam deorum numine constituta valebant [1]), ut

---

5) Od. IV, 644. XI, 488. XVIII, 356. Iliad. XXI, 444. Nitzsch. I p. 295 sq.

6) Iliad. V, 313. VI, 424. XI, 101. XX, 188. Odd. XXIV, 225.

7) Ita lectum Ulysses αὐτὸς κάμεν οὐδέ τις ἄλλος Od. XXIII, 189, et peritissimum fabricandi se praestat etiam in nave construenda V, 225 sqq. Paris quoque Iliad. VI, 314 domum suam αὐτὸς ἔτευξε σὺν ἀνδράσιν οἳ τότ' ἄριστοι ἦσαν ἐνὶ Τροίῃ ἐριβώλακι τέκτονες ἄνδρες. Cf. Nitzsch. I p. 103.

8) Iliad. III, 125. 387. VI, 491. Od. I, 356. IV, 120. VI, 58 sq. XV, 126. XXI, 350.

9) Cf. Nitzsch. I p. 218. Platner. p. 114.

10) Vid. quae infra de Atheniensium δημιουργοῖς dicentur.

11) Mueller. Aeginet. p. 75. Orchom. p. 305.

12) Od. XIV, 288. XV, 414. Iliad. XXIII, 742.

1) Iovis maxime et Themidis, ἥτ' ἀνδρῶν ἀγορὰς ἠμὲν λύει ἠδὲ καθίζει. Od. II, 69. Cf. Platner. not. iur. et iust. p. 32 sqq.

eodem et oracula deorum et iura inter homines vocabulo *θέμιστες* appellarentur [2]), ac nullam rem a dis gravius ferri quam iuris neglectum ac violationem, nullum sanctius regum officium quam iuris dictionem existimarent [3]). Huius aliquam partem, si quid controversiae inter eiusdem familiae membra ortum esset, ipsi patres familias exercuisse videntur [4]): inter alienos autem ius reges dicebant aut soli aut cum principibus: certe si quid maioris rei incidisset, hoc non sine *γερόντων* consilio iudicatum [5]). Considebant autem hi in loco publico et religioso [6]): aderant praecones tanquam publici ministri [7]): numerosa hominum multitudo circumstabat, quorum plerique quasi quidam advocati alterutri ex litigantibus favorem suum quum praesentia tum etiam acclamationibus significabant [8]). Causam quisque suam orabat testesque adhibebat [9]): etiam provocationum et depositae ante iudicium ab utroque pecuniae, quae victori

---

2) Cf. Platner. p. 81.

3) Iliad. XVI, 384 sq. Od. XIX, 109. Hesiod. O. et D. 225. — Od. XI, 185. Il. I, 238. Platn. p. 96.

4) Od. I, 397: *οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο καὶ δμώων.* Cf. IX, 114 de Cyclopibus: *θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων ἠδ' ἀλόχων.*

5) Iliad. XVIII, 503 *γέροντες* iudicant; rex non diserte commemoratur. Hesiodus autem de sua cum fratre lite loquens *βασιλῆας* plurali numero dicit, O. et D. 38. cf. 260.

6) Iliad. XVIII, 504: *ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ,* qui locus in foro est. Et forum commemoratur etiam Od. XII, 438. cf. Iliad. XI, 807. XVI, 387.

7) Iliad. XVIII, 503.

8) Ibid. v. 502. Quod v. 500 reus loquitur *δήμῳ πιφαύσκων* nonnullos in eam opinionem induxit, ut populi iudicia fuisse statuerent. Sed nimirum, quum multi undique adstarent auditores alterutri faventes, consentaneum fuit litigantium orationem ad hos quoque identidem converti, etiamsi sententiam non hi sed *γέροντες* tantum dicebant. Idem etiam in Atheniensium iudiciis fiebat saepenumero, ut ad circumstantium auditorum coronam oratores se converterent. Cf. Aeschin. de f. leg. p. 191. in Ctesiph. p. 443. Isae. de Dicaeog. her. §. 20.

9) Testes non solum *μάρτυρες* sed etiam *ἴστορες* dicuntur, ut in Solonis legibus *ἰδυῖοι.* Hesych. tom. II p. 22 c. nott. intt.

cederet, vestigia apud Homerum invenimus [10]). Iudices sententias palam dicebant, sceptrum a praecone traditum manibus tenentes [11]): quod maior pars censuisset ratum erat.

§. XII.

Ita iudiciis constitutis frenata quidem vis atque ultio privata; neque tamen hoc eo valebat, ut omnium quibus cives laesi erant delictorum civitas ipsa vindictam tanquam ad se pertinentem susciperet. Homicidii e. c., quod satis frequens erat illis temporibus crimen, nullum erat publicum iudicium, sed privatim de satisfactione (*ποίνῃ*) transigebatur cum occisi propinquis [1]). Quodsi de hac non convenisset, non licebat interfectori in civitate morari, sed in exilium ire oportebat [2]):

---

10) Provocationem agnoscimus in verbis Iliad. XVIII, 501: *ἄμφω δ' ἱέσθην ἐπὶ ἵστορι πεῖραρ ἑλέσθαι*. Scilicet provocabant inter se ut secundum testem a se producendum lis dirimeretur, quemadmodum etiam Athenis nonnunquam fiebat. Vid. Proc. Att. p. 679. Hudtwalck. de diaet. p. 44 not. 43. — Qui *ἵστορα* arbitrum interpretantur his quum alia obstant tum quod re semel in *γερόντων* iudicium deducta arbitri postulatio haud dubie sera foret. — Pecunia deposita, quasi quaedam *παρακαταβολή*, commemoratur v. 507: *κεῖτο δ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα, τῷ δόμεν ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι.* Nam haec talenta de iudicis mercede, quod nonnulli voluerunt, accipi non possunt, quum quod novo iudicio opus fuisset quo decerneretur cuiusnam sententia iustissima esset (cf. Platner. l. l. p. 80) tum quod *δίκην εἰπεῖν* nunquam non de litigantibus dicitur. Cf. Od. XI, 568, et quae laud. ad Isae. p. p. 240. Add. Diog. Laert. tom. I. p. 58 et 143 Huebn. Atque huc fortasse pertinent etiam *δίκης τάλαντα* Hymn. in Mercur. 324: *κεῖθι γὰρ ἀμφοτέροις δίκης ἔκειτο τάλαντα*, qui versus mihi cum Groddeckio et Ilgenio loco alieno insertus videtur. De talentis Homeri vid. Eustath. ad Iliad. IX, 122.

11) Iliad. XVIII, 505. 506.

1) Terpstra p. 88 sq. Platner. p. 118 sqq.

2) Od. XXIII, 118: *καὶ γάρ τίς θ' ἕνα φῶτα κατακτείνας ἐνὶ δήμῳ, ᾧ μὴ πολλοὶ ἔωσιν ἀοσσητῆρες ὀπίσσω, φεύγει πηούς τε προλιπὼν καὶ πατρίδα γαῖαν.* Relativum non ad subiectum enunciati *τὶς* sed ad obiectum *ἕνα φῶτα* trahendum, ut sensus sit, interfectori utique fugiendum esse, etiamsi inopem aliquem et tenuioris condicionis hominem interfecerit. Huius rei causa haud dubie in religione posita erat, quum piaculum interfector contraxisse videretur neque expiari in patria nisi placatis interfecti propinquis posset.

sin convenisset tutus erat a vi [3]), ac si quid postea de persolvenda poena controversiae incidisset, ad iudices ibatur [4]). — Furta et rapinae erga cives commissae iudicio vindicabantur; erga exteros, nisi qui foedere cum civitate iuncti erant, nihil turpitudinis habere iudicabantur [5]). — Contractuum varia genera, ut empti, venditi, locati, conducti aliaque, sine quibus commercia inter homines nulla esse possunt, plerumque haud dubie coram testibus fiebant [6]), quo facilius, si opus esset, in iudicio probari possent. — Iustae nuptiae parentum consensu contrahebantur [7]). His qui petebant puellam *ἕδνα* offerebant, raraque erant matrimonia sine *ἕδνοις* [8]), quae quum accommodata esse oporteret eorum quibus offerrentur opibus, apparet nobilium et locupletium nuptias peti nisi a nobilibus et locupletibus vix potuisse: quamquam licita quidem etiam inter plebem et nobilitatem connubia fuisse nihil est quod credere vetet. Dotem his temporibus non fere datam invenimus; sed parapherna filiabus a parentibus impertiri solita [9]),

---

Nam etiamsi piaculi et expiationis Homerus nusquam diserte mentionem facit, tamen purum illis temporibus homicidium et expiatione non opus fuisse (Lobeck. Aglaopham. p. 300.) nunquam adducar ut credam. Cf. Mueller. Dor. I p. 335 et ad Aeschyli Eumenid. p. 136 sq. Add. Platner. p. 118—121.

3) Iliad. IX, 632 sqq.

4) Huiusmodi litem Homerus repraesentat Iliad. XVIII, 499 sqq. ubi alter contendit poenam a se persolutam, alter se quidquam accepisse negat. Perperam hunc locum alii sic acceperunt, quasi alter poenam offerret, alter eam accipere recusaret, et Klotzius Quaestt. crit. I p. 85 hoc errore inductus criticam adeo exercet, qua supersederi poterat.

5) Vid. Od. XVI, 424 impr. 427. Cf. Terpstra p. 91 sqq. Platner. p. 123 sq.

6) Huc pertinet Hesiod. O. et D. v. 371: *καί τε κασιγνήτῳ γελάσας ἐπὶ μάρτυρα θέσθαι.* — Sponsionem (*ῥήτραν*) iure iurando confirmatam videmus apud Homer. Od. XIV, 393 sqq.

7) Iliad. IX, 394. XIX, 291. Od. IV, 10. VI, 287. II, 114. XV, 16.

8) Conf. Terpstra p. 106.

9) Cf. Nitzsch. ad Od. I p. 50 et 74. Terpstra p. 107 sq.

quorum uxor dominium, maritus haud dubie usum haberet, quamobrem remissa e mariti domo uxore haec quoque parapherna reddi oportebat[10]. Soluto uxoris culpa matrimonio, v. c. si propter adulterium a marito repudiata esset, *ἔδνα* marito a parentibus reddenda erant[11]. Ceterum legitimum cum una tantum uxore matrimonium: pellices viro habere licebat, laudabantur tamen qui legitimae uxoris respectu hac licentia abstinerent[12]. Omnino matronis honor et existimatio non deerat[13], etiamsi a publico remotae intra domesticos parietes agebant reique familiaris curam operaque muliebria tractabant[14]. Filii legitimi hereditatem parentum aequis inter se portionibus dividebant: naturalibus pro facultatum modo *νοθεῖα* quaedam dari solebant[15]. Si masculi nulli essent, hereditas filiabus cedebat[16]: alioquin hae nihil praeterquam alimenta et, si nuberent, parapherna accipiebant. Orborum heredes agnati erant, qui *χηρωσταὶ* dicebantur[17].

B. De rebus publicis post aetatem heroicam.

§. XIII.

Ex iis quae de regum potestate ac nobilitatis iure exposuimus, formam imperii aetatis heroi-

---

10) Od. II, 132. c. schol. Add. Platn. p. 131.

11) Od. VIII, 318.

12) Vid. Platner. p. 129. Terpstra p. 117 sqq.

13) Cf. Iliad. IX, 341. — Filiorum erga matres reverentiam significant frequentia epitheta *πότνια* et *αἰδοίη*.

14) Iliad. VI, 480. Od. I, 356. In univers. cf. Lenz, Geschichte der Weiber im heroischen Zeitalter. Hannov. 1780. 8. et Jacobs, die hellenischen Frauen, in opp. miscell. (Vermischte Schriften Th. IV. Abhandl. üb. Gegenst. des Alterthums. p. 234 sq.)

15) Terpstra p. 101.

16) Ita secundum fabulas Menelao mortuo hereditas Hermionae eiusque marito Oresti cedebat, quum filius Megapenthes naturalis esset.

17) Terpstra p. 103. Cf. Geist. disquisitt. Homer. p. 12. 13.

cae aristocraticam rectius paene quam regiam dici posse apparet, neque mirum est etiam supersederi regis persona non aegre potuisse, id quod bello Troiano in plerisque civitatibus per decennium factum esse dicitur. Itaque si aliqua de causa regnum plane aboleretur, non admodum magna haec fuit rei publicae conversio. Id iam ante Heraclidarum migrationem Cretae factum esse perhibetur [1]), ubi simul idem evenit, quod postea etiam alibi regnis abolitis plerumque evenisse videmus, ut quae antea sub uno rege coniunctae fuerant civitates iam suam quaeque seperatim rem publicam habere inciperent, et cum ceteris eiusdem populi civitatibus aut nullo aut infirmo foederis ac societatis vinculo coniungerentur. Post Heraclidarum migrationem regnum Thebis [2]) sublatum est et Athenis [3]): in reliqua Graecia diutius permansit, licet mutata per hanc ipsam migrationem multarum civitatum condicione: atque etiam quae paullo post in Asia civitates ab Aeolensibus, Ionibus, Doriensibus conditae sunt, sub regibus aliquamdiu fuerunt [4]), donec paullatim regna ubique fere et in Graecia et in coloniis sublata sunt [5]). Huius rei causae quum alibi aliae essent, tum haec imprimis frequens fuisse videtur, quod reges insolentiores facti potestate sua immodeste uterentur et plus sibi licere vellent, quam impatiens dominationis populus aut nobilitas ferre posset [6]). Hinc illi aut plane amoti aut ita circumscripti, ut nomen tantum et speciem quandam dignitatis re-

1) Cf. Meursii Creta III c. 5 in.

2) Pausan. IX, 5, 8.

3) Vid. infra P. V §. 5.

4) Cf. Wachsmuth. I, 1 p. 147. Mueller. Dor. II p. 108—110. Lehnert de foedere Ionico p. 2. 21. 25. Plehn. Lesbiac. p. 46. 87.

5) De singulis parum constat quo tempore quave ratione regna sublata sint. In univers. cf. Wachsmuth. I, 1 p. 148.

6) Cf. Arist. Polit. V, 8, 22. Polyb. VI, 4, 8. 7, 6—9. Add. Plat. Legg. III, 690 D.

tinerent, imprimis quantum cum sacrorum administratione coniunctum esset [7]); summa autem re publica nobiles potiebantur [8]), plebe adhuc fere ubique invalida: quamquam in nonnullis civitatibus statim post regni abolitionem populare imperium institutum esse memoratur [9]).

§. XIV.

Nobiles gentes, *εὐπατρίδαι, εὐγενεῖς,* quae quidem principem in administranda republica locum hereditario iure obtinerent, licet haud ita multas disertius commemoratas inveniamus [1]), fuerunt tamen sine dubio in plerisque olim civitatibus, antiqua stirpe regia aut heroica clarae avitisque opibus et dignitate pollentes. Sicubi autem antiquae huiusmodi gentes aut nullae aut pauciores essent quam quae rempublicam in potestate solae retinere possent, principatum ii occuparunt, qui maioribus agrorum possessionibus simulque armaturae genere praeter ceteros valerent: quo pertinent *γεωμόρων, ἱπποβοτῶν, ἱππέων* nomina [2]), quibus nominibus etiamsi proprie nihil nisi posses-

---

7) Arist. Pol. III, 9, 8.

8) Id. ib. IV, 10, 10. cf. Wachsmuth. p. 149 sqq.

9) Ut in Achaia a Polyb. II, 41, 5.

1) Ut Codridas s. Medontidas Athenis (vid. P. V §. 5.) Bacchiadas Corinthi (Herod. V, 92. Pausan. II, 4, 4) Thespiadas Thespiis (Diod. IV, 29. 41. V, 15) Aleuadas Larissae (Buttm. in Comm. Acad. Boruss. ann. 1822. 23.) Scopadas Pharsali (Schneider. ad Arist. Polit. V, 5. Addend. p. 490. Kortüm. p. 81) Androclidas Ephesi (Strab. XIV, 1 p. 633.) Basilidas Erythris (Arist. Polit. V, 5, 4.) Penthilidas Mytilenae. (Id. V, 8, 13.) Aliorum nomina, sed nomina tantummodo, vid. ap. Wachsmuth. I, 1 p. 150 sq

2) *Γεωμόροι* commemorantur Sami, (Plut. Quaestt. Gr. no. 57. cf. Thucyd. VIII. 21. Panofka, Res Samior. Berol. 1822. p. 83.) Syracusis (Herod. VII, 155. Marm. Par. ep. 36. Boeckh. C. I. II p. 317) et alibi. Cf. Ducker. ad Thuc. l. l. Valcken. ad Herod. V, 77. VI, 22. Wesseling. ad Diodor. tom. IV p. 297 Bip. — *Ἱπποβόται*, ap. Chalcidenses Euboeae (Herod. V, 77. VI, 100 cf. Arist. Polit. IV, 3, 2. Strab X, 1 p. 447) *ἱππεῖς* apud Eretrios aliosque multos. Arist. Pol. V, 5, 10. Wachsmuth. I, 1 p. 155.

siones et equestris militia significantur, tamen quum fere opes in iisdem gentibus ac familiis conservari solerent, propter hanc ipsam causam etiam *γεωμόρων*, *ἱπποβοτῶν* et *ἱππέων* hereditaria exstitit nobilitas. Ac paucae olim erant civitates, quarum non in agris potissimum opes consisterent. Ubi autem efflorescente mercatura rebusque maritimis aliud genus divitiarum ortum est, ad quod cuiuslibet industria et sollertia facilius pervenire posset, ibi, posteaquam multi praeter fundorum possessores ditati erant, *τιμοκρατίαν* s. *πλουτοκρατίαν* existere necesse erat eiusmodi, quae e census magnitudine civium iura definiret [3]): idque aliquanto maturius quam in ipsa Graecia in coloniis evenit, quippe in quibus mercatura opesque citius efflorescerent, multaeque earum causarum deessent, quae hereditariae stirpium nobilitatis potentiam et auctoritatem in Graecia diutius stabiliebant [4]). In iis autem civitatibus, quas devictis in Peloponneso Achaeis Dorienses instituerunt, novum quoddam genus hereditariae nobilitatis ex eo ortum est, quod victores potestatem in re publica aut omnem aut pleramque sibi suisque posteris propriam fecerunt, veteribus incolis in deteriorem condicionem abiectis [5]). Neque admodum dissimilis nobilitas etiam in coloniis quibusdam exstitit, quum qui primi e metropoli deducti erant horumque posteri rempublicam soli administrabant, ex-

3) Hinc rei publicae principes *οἱ πλούσιοι, οἱ εὔποροι, οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες*, Pausan. III, 8, 2. *οἱ παχέες.* Herodot. V, 30: quamquam haec nomina de utroque genere divitiarum dici possunt. Prorsus incerta utrum ad generis nobilitatem an ad divitiarum honorem pertineant, haec sunt: *οἱ γνώριμοι, οἱ ἐπιεικεῖς, οἱ χαρίεντες, οἱ ἄριστοι, οἱ καλοὶ κἀγαθοὶ* aliaque, quorum exempla vid. ap. Kortuem. p. 14 sq. Wachsmuth. I, 2 p. 439. Wesseling. ad Diod. tom. I p. 534. Held. ad Plutarch. Timol. p. 310. Cf. et Aristot. Polit. IV, 6, 2: *δοκοῦσιν ἔχειν οἱ εὔποροι ὧν ἕνεκεν οἱ ἀδικοῦντες ἀδικοῦσιν, ὅθεν καὶ καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς καὶ γνωρίμους τούτους προσαγορεύουσιν.*

4) Cf. H. Leo, Histor. univ. I p. 189. Heeren. Ideen. III, 1 p. 148.

5) Vid. Mueller. Dor. II p. 21—32. 53. 57 sq.

clusis iis qui aut aliunde accesserant aut posteris temporibus recepti erant[6]).

§. XV.

Quae autem civitates agriculturam potissimum et rustica opera tractabant, roburque in equitatu aut gravi armatura habebant, in his nobiles atque optimates fere urbes locaque munita tenere solebant[1]), quo facilius plebem in potestate haberent, plebeii autem in agris dispersi erant[2]), illorum magna quidem ex parte coloni et clientes. Contra ubi mercatura, res maritimae artesque urbanae florebant, ibi etiam plebis multitudinem in ipsis urbibus habitare necesse erat: eaque ipsa multitudinis congregatio plerumque nonnihil faciebat ad frangendam paucorum potestatem[3]). Ceterum omnis ubique populus in tribus et phratrias descriptus; sed non eadem ubique ratione. Aut enim aliae erant nobilium aliae plebis tribus, aut eaedem utrorumque. Illud ibi maxime factum, ubi diversarum utrique stirpium erant: hoc ubi aut una omnium stirps, aut si qui advenae accesserant, hi tamen in unum cum indigenis coaluerant[4]). Atque hic etiam qui non optimo iure

---

6) Aristot. Polit. IV, 3, 8. V, 2, 11. Polyb. XII, 5, 6—8. Strab. VI, 1 p. 257. cf. Mueller. l. l. p. 61 sqq.

1) Hinc Etym. M. p. 395, 50: *εὐπατρίδαι οἱ αὐτὸ τὸ ἄστυ οἰκοῦντες.* Cf. Mueller. Dor. II p. 71.

2) Aristot. Polit. V, 8, 7. VI, 2, 8. Plut. Quaestt. Gr. no. 1.

3) Arist. l. l. IV, 4, 1. VI, 2, 7. Cf. Wachsmuth. I, 1 p. 162.

4) Diversas advenarum et indigenarum tribus multis locis invenimus, velut Argis et alibi tres Doriensium, Hyllenses, Dymanes, Pamphylos, cum una Hyrnethia, quae fuit non Dorica. cf. Steph. Byz. s. v. *Δυμᾶν.* Boeckh. Corp. Inscr. no. 1130. 1131. cf. p. 579. Mueller. Aegin. p. 140. item Sicyone tres Doricas, unam Aegialensium. Herodot. V, 68. Porro quae Cyzici commemorantur sex tribus, harum quattuor Ionicas fuisse nomina ostendunt Geleontum, Hopletum, Aegicorensium, Argadensium; reliquae duae *Βωρεῖς* et *Οἴνωπες* diversae stirpis erant. Vid. Inscriptt. ap. Caylus. Recueil d'antiquités tom. II tab. 59 sqq. Similis tribuum ratio apud Milesios fuisse videtur. Boeckh. Corp. Inscr. II p. 554. Apud Ephesios quinque tribus commemorantur (Steph. Byz.

civitatis gaudebant, erant tamen cum optimatibus ipso stirpis et cognationis vinculo et sacrorum tribulium, curialium, gentilitiorum communione arctius coniuncti, cuius coniunctionis ne extranei participes fierent, sedulo plerumque caveri solebat: quamobrem pro civibus non habebantur, nisi qui civibus orti essent [5]. Contra ubi alia nobilium, alia reliquae multitudinis stirps, ibi haec nonnunquam ne civium quidem loco erat. Atque huius duplex genus invenimus: alterum eorum, qui liberi quidem erant suaque bona possidebant, sed tributa tamen imperantibus pendebant remque publicam aut nullam aut illorum imperio subiectam habebant, quales *περίοικοι* appellari solent [6]: alterum autem eorum, qui ne liberi quidem erant, sed tanquam glebae adscripti dominorum aut rei publicae agros colebant, quales erant, qui apud Spartanos Helotae, apud Thessalos Penestae vocantur [7]. Rursus aliud erat in

---

s. v. *Βέννα*, ubi pro *βουλή* scr. *φυλή*.) diversarum stirpium. Cf. Lehnert. de foed. Ion. p. 7. Alia exempla vid. ap. Wachsmuth. II, 1 p. 15—17. Quamquam de harum omnium iuribus et condicione parum constat. Nonnullis in civitatibus diversarum stirpium homines statim ab initio pari inter se iure fuisse dicuntur, ut Corinthi et Sicyone. Cf. Mueller. Dor. II p. 59. 60. De aliis cf. loc. a Wachsmuth. cit. I, 1 p. 164.

5) Cf. Aristot. Polit. III, 1, 9: *ὁρίζονται δὲ πολίτην τὸν ἐξ ἀμφοτέρων πολιτῶν καὶ μὴ θατέρου μόνον, οἷον πατρὸς ἢ μητρός.* Sed in quibusdam tamen civitatibus cives habebantur etiam qui alterutro parente cive nati essent. Vid. Meier. de bon. damn. p. 73. Extranei rarius olim ubique in civitatem recepti. Wachsmuth. l. l, p. 165. 166.

6) Vid. Mueller. Dor. II p. 21 — 32. 53. 57 sq. et quae a nobis infra de Spartanis et Cretensibus dicentur. Non semper autem eodem sensu *περίοικοι* dicuntur: veluti quum Thespiae aliaeque Boeotiae urbes *περίοικοι* Thebarum dicuntur, Xenoph. Hellen. V, 4, 46 non videtur nisi foedus iniquum significari, ex quo Thespienses Thebanorum principatui subiecti erant. Similis ratio erat Triphyliorum erga Eleos Xen. l. l. III, 2, 23. multorumque Thessaliae populorum erga Thessalos. Cf. infra P. VI. cap. 5.

7) De Helotis vid. P. IV §. 4. 5. de Penestis VI, 5 §. 1. Similis condicio fuit Maryandynorum apud Heracleenses ad Pontum. Plat. Legg. VI p. 776. D. ibiq. Ast. p. 322, qui etiam *δωροφόροι* dicti a pensionibus quas dominis ferebant, Athenae. VI p. 263 E. Fortasse etiam Cylicranum apud Heracleenses Trachinios,

quibusdam civitatibus genus hominum, qui non quidem privatis aut rei publicae, sed deo alicui et templo serviebant certasque pensiones et operas praestabant, ceteroquin liberi, a re publica tamen et ipsi exclusi [8]).

§. XVI.

Qui autem cives erant optimo iure, hi rei publicae administrationem tractabant in conciliis, magistratibus, iudiciis. Concilia erant ex optimatibus certo numero in perpetuum aut creatis aut hereditario iure admissis [1]). Huiusmodi concilia plerumque *γερουσίας*, rarius *βουλῆς* nomine appellantur [2]). Nam *βουλὴ* solet fere in annuum tempus non ex optimatibus sed ex universis civibus creari [3]): et quae ad populare imperium magis vergebant res publicae, hae nonnunquam utroque conciliorum genere, *γερουσίᾳ* et *βουλῇ*, uti solebant [4]), atque

---

de quib. vid. Polemon. ap. Athen. VI p. 271. Pelasgorum apud Italiotas. Steph. Byz. s. v. *Χίος*. Cillicyriorum apud Syracusanos. Mueller. Dor. II, p. 62. Gymnesiorum apud Argivos. Id. ib. p. 55. cf. P. IV §. 2, 5. De Cretensium servis vid. infra P. IV, 2 §. 3.

8) Cf. Hirt, Boeckh, Buttmann: Die Hierodulen. (Berolin. 1818) impr. p. 51. Mueller. Dor. I p. 43. 255.

1) Ita ducentorum senatus apud Corinthios erat e solis Bacchiadis. Herodot. V, 92. apud Eleos nonaginta senatores perpetui e certis tantum familiis et fortasse iure hereditario. Aristot. Polit. V, 5, 8. apud Cnidios sexaginta perpetui ex optimatibus creati, qui *ἀμνήμονες* dicebantur. Plut. Quaestt. Gr. no. 4. apud Epidaurios collegium virorum centum et octoginta, qui rursus e suo numero aliquot *ἀρτύνους* creabant, quorum unus quisque, ut videtur, magistratu aliquo fungebatur, omnes autem coniuncti minoris cuiusdam senatus loco erant. Plut. l. l. no. 1. apud Massilienses sexcenti ex optimatibus senatores erant perpetui, *τιμοῦχοι* dicti: ex his rursus quindecim tanquam minor quidam senatus, eorumque tres praesides. Strab. IV, 1 p. 179. In univ. cf. Hüllmann, Staatsrecht des Alterth. p. 328.

2) *Γερουσία* (*γερρία, γερωΐα, γερωχία, γερωνία*). Arist. Polit. II, 7, 3. 5. Mueller. Dor. II p. 91. Tittmann. p. 419.

3) Hinc *βουλὴν δημοτικὸν* dicit Arist. VI, 5, 13.

4) Exempla vid. ap. Tittmann. p. 481. Huc pertinet etiam Argis *ἡ βουλὴ* et praeter hanc *οἱ ὀγδοήκοντα*. Thucyd. V, 47. et Athenis quoque senatus Areopagiticus et senatus quingentorum.

etiam omnium civium conventus convocare, qui res a senatu propositas aut sciscerent aut antiquarent [5]), ita tamen ut ipsi nihil novi statuere possent. In nonnullis tamen civitatibus erat quiddam inter senatum, qui pauciorum tantummodo est, et universi populi conventus intermedium, quum comitia non omnium, sed certorum tantummodo civium convocarentur, quales *σύγκλητοι* dicuntur [6]). Ubi autem summum rei publicae consilium penes pauciores ex optimatibus erat, hi *πρόβουλοι* vocari solent, iisque et *γερουσία* et *βουλή* et conventus etiam totius civitatis subiuncti esse possunt [7]).

§. XVII.

Magistratuum, qui vel senatus decreta populive scita vel iura moribus aut legibus sancita vel quae in quaque rei publicae parte ad tuendum civitatis statum bonumque publicum necessaria videantur, etiamsi legibus ac decretis non praescripta sint, exequenda et perficienda curent, quaeque

---

5) Aristot. IV, 11, 10. cf. Wachsmuth. I, 1 p. 189.

6) Aristot. III, 1, 7: *ἐνίαις γὰρ οὐκ ἔστι δῆμος οὐδ' ἐκκλησίαν νομίζουσιν ἀλλὰ συγκλήτους.* Tales fuerunt *ἐπίκλητοι* illi, quos Lysimachus Ephesi instituit, Strab. XIV, 1, 21; tales etiam *οἱ πεντακισχίλιοι* Atheniensium ad finem belli Peloponnesiaci. Thucyd. VIII, 97. neque diversum Maliensium institutum, apud quos *ἡ πολιτεία* (h. e. cives optimo iure.) *ἦν ἐκ τῶν ὡπλιτευκότων.* Aristot. IV, 10, 10. Et *χίλιοι* quoque Locrensium Epizephyriorum eiusmodi *σύγκλητοι* fuisse videntur. Polyb. XII, 16, 10. Demosth. in Timocr. p. 743. Tamen Crotoniatarum *τοὺς χιλίους* Iamblich. vit. Pyth. s. 45 et Porphyr. vit. Pyth. s. 18 *γέροντας* dicunt ex Dicaearcho. Iamblichus s. 160 etiam ecclesiam commemorat in qua nihil agi potuerit nisi ex illorum mille virorum auctoritate. Cf. Krische, de Pythagora p. 15 sq.

7) Ita *πρόβουλοι* a Plutarcho vocantur sexaginta Cnidiorum senatores Quaestt. Gr. no. 4. Etiam quindecimviri in senatu Massiliensium videntur *προβούλων* loco fuisse. Praeterea *πρόβουλοι* commemorantur apud Megarenses. Schol. Aristoph. Acharn. 763, et Athenis quoque aliquando *προβούλους* fuisse infra videbimus. In univ. cf. Arist. Polit. IV, 11, 10: *ἀρχεῖον οἷον ἐν ἐνίαις πολιτείαις ἐστὶ οὓς καλοῦσι προβούλους καὶ νομοφύλακας· καὶ περὶ τούτων χρηματίζειν περὶ ὧν ἂν οὗτοι προβουλεύσωσιν.* Id. ib. 12, 8. *ὅπου μὲν ἄμφω αὗται αἱ ἀρχαί, οἱ πρόβουλοι καθεστᾶσιν ἐπὶ τοῖς βουλευταῖς.* Add. VI, 5, 8. 13.

opus sint imperent, imperiisque cives obsequi cogant [1]), non unum in civitate genus esse debere manifestum est [2]). Potest tamen omnis magistratuum procuratio ad haec potissimum genera revocari: primum ut externa vitae subsidia, qualia sunt agri, pascua, silvae, metalla, portus, mercatura, opificia, reditusque a re publica percipiendos curent atque custodiant, acceptique et expensi rationem conficiant: porro ut rem militarem administrent, milites conscribant, instruant, exerceant iisque imperent: ut senatus populive concilia convocent, sententiaeque dicendae et suffragii ferendi rationem moderentur [3]): ut iudiciis praesint publicis privatisque: ut disciplinam publicam regant: denique ut rem divinam pro civitate faciant: eaque genera rursus possunt in plures species dividi et aut a diversis singula hominibus, aut ab iisdem plura simul administrari [4]). Fieri autem etiam potest, ut iidem et magistratum suum quisque gerant, et coniuncti omnes de summa re publica consultent ac decernant, ita ut magistratuum collegium pro consilio sit rei publicae [5]). Sed summi in civitatibus, quae paucorum potestate reguntur, magistratus ii esse solebant, qui simul et consilio rei publicae praeessent et rerum

---

1) Cf. magistratus definitionem ap. Arist. Polit. IV, 12, 3. add. VII, 4, 7. Cic. de legg. III, 1, 2. Ullrich. üb. die Eilfmänner p. 257 et impr. C. F. Hermann. quaestt. de iure et auctoritate magistratuum apud Athenienses p. 33 sq.

2) Aristot. Polit. VI, 5, 2 sqq.

3) Aristot. l. l. §. 10: *τὸ συνάγον τὸ κύριον τῆς πολιτείας.* §. 12: *αἱ περὶ τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν.* Hanc *ἀρχὴν* §. 10 dicit *τὴν μάλιστα κυρίαν πάντων. ἡ γὰρ αὐτὴ πολλάκις ἔχει τὸ τέλος καὶ τὴν εἰσφοράν.*

4) Arist. IV, 12, 4. 5. — Nonnullis magistratibus propter negotiorum multitudinem etiam assessores (*πάρεδροι*) addi solebant, quibus partem rerum administrandarum demandare possent. (Vid. infra de Ath. r. p.) Et tales fuisse credo *τοὺς παρασίτους* quorum Aristoteles mentionem fecit in Methonensium *πολιτείᾳ*. Athenae. VI, 27 p. 235. E.

5) Aristot. IV, 11, 3: *βουλεύονται αἱ συναρχίαι συνιοῦσαι.* Apud Epidaurios eos magistratus, qui *ἄρτυνοι* vocantur, senatus cuiusdam minoris loco fuisse supra vidimus §. 16, 1.

divinarum pro civitate procurationem iudiciorumque gravissimorum moderationem, nonnunquam etiam summum imperium militare haberent. Hi vel *ἄρχοντες* vocabantur [6]), communi omnium nomine ipsis tanquam proprio tributo, vel *βασιλεῖς* [7]), vel *πρυτάνεις* [8]), *κόσμοι* [9]), *δημιουργοὶ* [10]), *ἄρτυνοι* [11]).

---

6) Arist. Polit. VI, 5, 11.

7) Id. ib. *Βασιλέας* invenimus apud Mitylenaeos, Pittaci tempore. Theophrast. ap. Stobae. tom. II p. 201 Gaisf., in Ionia Bacchylid. ap. Ioann. Sicel. in Walz. Rhett. Gr. VI p. 241, apud Theraeos. Herod. IV, 150. in Samothracia. Boeckh. Corp. Inscr. t. II p. 180. apud Cumaeos. Plut. Quaestt. Gr. no. 2. Delphis. ib. n. 12. apud Siphnios. Isocr. Aeginet. c. 17. Chalcedone. Caylus, recueil d'ant. II, 55. Cyzici. ib. 71. 72. Argis. Herod. VII, 149. Megaris. Boeckh. C. Inscr. I p. 559. Tarenti. Herod. III, 136. cf. Lorentz. de civit. vett. Tarent. p. 32. Atheniensium quoque archontes perpetuos *βασιλέας* appellatos infra videbimus. Ceterum ex illis quos commemoravi multi etiam serioribus temporibus fuerunt, potestate exigua aut nulla, et tantum sacrorum causa creati, quemadmodum etiam apud Athenienses e novem archontibus is qui sacris praeerat *βασιλέως* nomen retinebat.

8) *Πρυτάνεις* erant apud Corinthios, ubi unum quotannis Bacchiadae e suo numero creabant. Diodor. fr. 2 lib. VII. apud Corcyraeos, Milesios, Eresios, Mitylenaeos (Stobae. Gaisford. tom. II p. 201) Tenedios, Pergamenos, Coos, Rhodios, Crotoniatas aliosque. Cf. Casaub. ad Athen. XV, 19 p. 700 D. Spanhem. de Vesta et prytan. in Graevii thesaur. tom 5. van Dale diss. antiquitt. et marmm. illustr. p. 389. Wesseling ad Diod. tom. IX p. 489. Bip. Boeckh. Corp. Inscr. II p. 189. Plehn. Lesbiac. p. 93. Panofka res Sam. p. 84. Mueller. Dor. II p. 134 sqq. Wachsmuth. I, 1 p. 194 sq. Sed horum quoque plerique posterioribus temporibus exigua potestate et in sacris potissimum occupati erant, quae fiebant *ἐν τῷ πρυτανείῳ* h. e. *ἐν τῇ κοινῇ τῆς πόλεως ἑστίᾳ*. Vid. Spanhem. l. l. et ad Callimach. hymn. in Cer. v. 129. Dissen. ad Pind. Nem. XI, 1 p. 471. Wachsmuth. II, 2 p. 118. Nonnulli tamen diu satis potestatis retinebant, quod de Milesiorum prytanibus Aristot. ait. V, 4, 5. cf. de Rhodiis Liv. 42, 45, 4. De nominis originatione a *πρῶτος* cf. Welck. Prolegg. ad Theogn. p. XXXIII.

9) Apud Cretenses. de quib. infra dicetur. *Κοσμόπολις* apud Locros Epizephyrios. Polyb. XII, 16.

10) Apud Eleos, Mantinenses, Asinaeos. Thuc. V, 47. Mueller. p. 141. 3. Achaeos. Polyb. XXIV, 5, 16. Plut. Arat. 43. Argivos et Thessalos. Etym. M. p. 265, 45. Zonar. s. v. Epidamiurgi apud Potidaeatas. Thuc. I, 56. Cf. Schneid. ad Arist. Polit. IV, 3. 4. V, 8, 3. Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 11.

11) Epidauri. Plut. Quaestt. Gr. no. 1. Argis. Mueller. Dor. II p. 140.

Creabantur autem magistratus aut in perpetuum, aut in certum quoddam tempus[12]: aut e certis quibusdam familiis[13], aut ex omni nobilitate, aut ex iis, qui censum haberent: creandorumque magistratuum ius aut penes eosdem erat, ex quibus creabantur, aut penes plures, genere aut censu praecipuos, aut etiam penes universum populum[14]. Nonnunquam tamen summi magistratus non suffragiis creabantur, sed aut hereditate[15] aut sortito e certis familiis et gentibus capiebantur[16]. Administrati autem muneris rationem reddere fere omnes oportebat, aut apud certos quosdam magistratus ac iudices propter id ipsum constitutos[17], aut in senatu[18], aut etiam in maioribus conciliis eorum, qui optimo iure cives erant[19].

§. XVIII.

Iudiciorum, pro iudicandarum rerum varietate, tria maxime genera statui possunt, unum de controversiis privatorum, alterum de criminibus a privatis aut contra privatos aut contra rem publicam commissis, tertium de magistratuum in administrando

---

12) Cf. Arist. Polit. IV, 12, 1.

13) Velut Prytanes Corinthiorum e Bacchiadis, Atheniensium archontes, etiam postquam hereditarii esse disierant, aliquamdiu e Codridis.

14) Aristot. V, 6, 5. II, 8, 5. IV, 12, 10. III, 3, 4. Idem IV, 10, 10 de Maliensibus: *ἡ μὲν πολιτεία* (cives c. suffragio) *ἦν ἐκ τῶν ὡπλιτευκότων, τὰς δ' ἀρχὰς ᾑροῦντο ἐκ τῶν στρατευομένων.* Singulare fuit aliquando Megarensium institutum, qui magistratus creabant *ἐκ τῶν συγκατελθόντων καὶ συμμαχεσαμένων πρὸς τὸν δῆμον.* Id. IV, 12, 10.

15) *Δυναστεία, ὅταν παῖς ἀντὶ πατρὸς εἰσίῃ.* Arist. IV, 5, 1.

16) Id. IV, 12, 12.

17) Hi *εὔθυνοι, λογισταὶ, ἐξετασταὶ, συνήγοροι, ἀπόλογοι* vocantur. Arist. VI, 5, 10. Boeckh. Corp. Inscr. II p. 184.

18) Id. e. c. Spartae factum videbimus de regum delictis.

19) Aristot. III, 6, 7. II, 9, 4, ex quo loco colligi potest, etiam in aristocraticis civitatibus nonnullis hanc potestatem populo concessam fuisse.

munere delictis [1]). Atque de his quidem aut a senatu aut a populo aut ab iis quos modo commemoravimus magistratibus iudicari solebat. Criminum autem, quae quidem graviora essent et capitis poena aut exilio aut bonorum publicatione vindicanda, imprimis si ad ipsam rem publicam pertinerent, vix unquam aliud quam senatus aut populi iudicium fuit [2]): de caedibus vero, utpote quarum expiatio et vindicta cum religione coniuncta videretur, ubique aut senatus aut collegium quoddam maximae dignitatis iudicasse videtur: denique de privatis controversiis delictisque levioribus in civitatibus paucorum imperio administratis multo saepius singuli magistratus, quam iudicum collegia iudicare solebant [3]): si qua autem erant eiusmodi collegia, in haec aut optimates tantum admittebantur [4]), aut si etiam plebeiis aditus dabatur, provisum tamen erat, ne horum numerus optimatium auctoritati officere posset [5]).

§. XIX.

Retinendae autem in optimatium potestate rei publicae quum duae res maxime necessariae sint, primum ut divitiae opesque eorum quam integerrimae conserventur, deinde ut moribus atque animo ad tuendam dignitatem suam idonei et cetera mul-

---

1) Aliam divisionem, sed quae cum nostra facile conciliari possit, Aristot. proponit Polit. IV, 13, 1—3.

2) Hanc ob causam Aristot. Polit. IV, 12, 1, postquam rei publicae administrationem distribuit in *τὸ βουλευόμενον*, *τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς* et *τὸ δίκαζον*, *τῷ βουλευομένῳ* hoc tribuit, ut consultet quum de aliis rebus tum *περὶ θανάτου καὶ φυγῆς καὶ δημεύσεως καὶ τῶν εὐθυνῶν*.

3) Ita de Spartanis (et Carthag.) Aristot. III, 1, 7. Et Athenis queque olim *οἱ ἄρχοντες αὐτοτελεῖς ἐποιοῦντο τὰς δίκας*. Suid. s. v. *ἄρχων*. Diog. Laert. Solon. c. 38.

4) Singulare est quod Arist. V, 5, 5 de Heraclea Pontica narrat, *τὰ δικαστήρια* non fuisse *ἐκ τοῦ πολιτεύματος* h. e. non ex iis civibus qui ius honorum et suffragii haberent.

5) E. c. *ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις ζημίαν τοῖς εὐπόροις τάττουσι ἐὰν μὴ δικάζωσι, τοῖς δ' ἀπόροις οὐδένα μισθόν*. Arist. IV, 7, 2.

titudine praestantiores sint [1]), harum rerum alteri in quibusdam civitatibus, quarum opes potissimum agrorum possessionibus consistebant, eo provisum erat, quod venum dari aut aliquo modo abalienari patrimonia non licebat [2]), altera autem nimis saepe negligebatur. Nam quod unum huc maxime pertinet, disciplinae publicae cura [3]), haec aut nulla erat, aut non qualis esse debebat [4]). Quamquam *παιδονόμους* in multis civitatibus fuisse novimus, qui puerorum, *γυναικονόμους*, qui mulierum vitam inspicerent ac regerent [5]): de educatione tamen puerorum atque institutione accuratius apud Cretenses tantummodo et Spartanos cautum fuisse videtur [6]), apud quos etiam virilis aetatis mores custodiebantur ab Ephoris, quemadmodum Athenis olim ab Areopago, Romae a censoribus. Ceterum hoc dubitari non potest, quin ubique eorum qui magistratus atque honores capturi erant, *δοκιμασία* quaedam instituta fuerit, quae etiam mores et vitae genus examinaret, et qui indigni propter flagitia aut delicta viderentur, excluderet. Atque apud Thebanos aliquando sancitum erat, ne quis honores caperet, nisi qui per decennium forensi quaestu et vilibus opificiis absti-

---

1) Cf. §. 5.

2) Aristot. II, 4, 4. VI. 2, 5. — Idem II, 4, 3 etiam de definiendo liberorum numero loquitur, ne nimis multae ac minutae fiant patrimoniorum partes; sed legibus neque hac de re cautum usquam fuisse videtur, neque ut primogenitorum tantum hereditas esset, exclusis minoribus. De Spartanorum instituto vid. P. III, 1 §. 7, 9. Sed exponere liberos ad vitandam patrimoniorum distractionem ubique licitum fuisse videtur praeterquam Thebis. Aelian. V. H. II, 7.

3) Aristot. VIII, 1, 1.

4) Id. ib. et V, 7, 8 et 20. Xenoph. Cyrop. I, 2, 2. Cf. Hegewisch, ob bei den Alten öffentl. Erziehung war. Alton. 1811. 8. Koenig de publica educatione, in Opuscull. p. 66 sq. et 81 sq.

5) Aristot. IV, 12, 9. VI, 5, 13.

6) Charondam tamen Diodor. XII, 12 sanxisse scribit *τῶν πολιτῶν τοὺς υἱοὺς ἅπαντας μανθάνειν γράμματα χορηγούσης τῆς πόλεως τοὺς μισθοὺς τοῖς διδασκάλοις.*

nuisset[7]), qua re simul hoc cavebatur, ut a locupletioribus tantum magistratus caperentur, simul ut horum quoque ii arcerentur, qui tractandis eiusmodi negotiis aliquam labem animi contraxissent.

§. XX.

Labefactabatur autem paucorum imperium variis ubique de causis[1]), quarum una imprimis latissime patebat, si populus, virium suarum sibi conscius, paucorum dominationem minus patienter ferre videretur, illi autem ad frangendos eius animos gravius imperium exercerent atque in administranda re publica non iam id sequerentur, quo omnium utilitati consulerent, sed quo suas opes augerent plebe debilitata et oppressa[2]): qua re fieri non potuit quin plebs magis in dies ab optimatibus abalienata novarum rerum cupiditate incenderetur. Opportunitates autem rebus novandis aliae alibi extiterunt, quas enumerare longum est[3]), omnesque Graeciae civitates, imprimis inde a saeculo septimo, multis magnisque inter optimates ac plebem certaminibus intestinisque seditionibus concutiebantur, eo plerumque eventu, ut aut homines factiosi plebis defendendae[4]) aut discordiae componendae specie regno ipsi per vim aut dolum potirentur, aut ut partium consensu unus vir, cuius probitati et sapientiae omnes confiderent, civitati vel in certum quoddam temporis spatium vel quoad viveret praeficeretur eique res publica ordinanda committeretur. Hi *αἰσυμνῆται* vo-

---

7) Aristot. III, 3, 4. VI, 4. 5. Idem III, 2, 8 in universum testatur: *οὐ μετεῖχον οἱ δημιουργοὶ τὸ παλαιὸν ἀρχῶν, πρὶν δῆμον γενέσθαι·* et 3, 2: *ἡ δὲ βελτίστη πόλις οὐ ποιήσει βάναυσον πολίτην.*

1) Aristot. V, 5 et 6. Polyb. VI, 8, 3—6.

2) Imprimis in iure dicendo, nullis adhuc scriptis legibus, quae magistratuum arbitrium frenarent. Inde ortum ubique scriptarum legum desiderium.

3) Vid. Aristot. ll. ll. et V, 2 8. ib. 10, 6. III, 10, 8.

4) Id. V, 8, 2—4.

cabantur [5]), ex quorum numero licet unus tantum Pittacus diserte ab historicis commemoretur [6]), qui Mitylenaeorum rem publicam, diuturnis seditionibus et tyrannorum quoque factionibus perturbatam, salubribus institutis ordinasse dicitur, fuerunt tamen haud dubie etiam alii complures in multis Graeciae civitatibus [7]), et simillimi certe aesymnetis etiam ii dicendi sunt, quibus propter turbatum rerum publicarum statum summi magistratus cum legum describendarum potestate mandabantur, Draco, Solon, et qui primus omnium scriptas leges tulisse fertur, Zaleucus Locrus eiusque aetati suppar Charondas Catanensis [8]).

§. XXI.

Tyrannorum autem dominatio, utpote contra leges institutaque maiorum per vim aut astutiam

---

5) Id. III, 9, 5: (*εἶδος μοναρχίας*) *ὅπερ ἦν ἐν τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν οὓς καλοῦσιν αἰσυμνήτας. ἐστὶ δὲ τοῦθ' ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν αἱρετὴ τυραννίς. — ἦρχον δὲ οἱ μὲν διὰ βίου τὴν ἀρχὴν ταύτην, οἱ δὲ μέχρι τινῶν ὡρισμένων χρόνων ἢ πράξεων.* cf. IV, 8, 2. III, 10 extr. Dionys. A. R. V, 73. De nomine vid. Hesych. s. v. c. intt. Add. Welcker. Nachtrag zur Trilogie p. 252. Tittmann. p. 76 sq. Ebert. dissertt. Sicul. p. 17 sq. Neumann. ad Arist. rer. publ. fragm. p. 122. — Fuerunt autem etiam ordinarii magistratus in quibusdam civitatibus *αἰσυμνῆται* dicti, velut apud Cumaeos teste Aristot. ap. Etym. M. p. 39, 16. Teiorum *αἰσυμνήτης*, quem inscriptio commemorat Corp. Inscr. no. 3044 tom. II p. 628 extraordinarius fuisse videtur, cum Romanorum dictatore comparandus.

6) De Pittaco vid. Aristot. IV, 8, 2. Dionys. A. R. V, 73. Strab. XIII p. 917. Plutarch. Solon. c. 14. Diog. Laert. tom. I p. 50 Hueb. Plehn. Lesbiac. p. 46 et 88. Matthiae ad Alcaei fragm. p. 1. 2. 15. Mueller. in Museo Rhenano I p. 290.

7) Pittaco Phoebiam Samium, Chaeremonem Apolloniaten, quin Periandrum quoque Corinthium adiungit Theodorus Metochita p. 668. Sed plures fuisse Aristotelis et Dionysii verba manifestum faciunt.

8) De Zaleuco vid. Bentleii opuscc. p. 340. Heyn. opuscc. Acad. tom. II p. 2—73. Sainte Croix sur la legislation de la grande Grèce, in Comm. Acad. Inscript. tom. XLII. De Charonda, Bentl. p. 354. Heyn. p. 76—120. 157—170. De utroque C. G. Richter, animadvv. de veteribus legum latoribus. (Lips. 1791. 8) p. 7—29. Zaleucum primum leges scripto consignasse negavit nuper Nitzschius de histor. Homeri I p. 59. 64, contra quem bene disputatum est a Muellero in Diar. Gotting. 1831. p. 292.

parta, nullis proinde legum aut pactionum limitibus circumscripta, sed prorsus monarchica fuit longeque a veteribus regnis heroici temporis diversa [1]); ceterum multo magis plerumque optimatibus quam plebi infesta, quum ipsius tyranni nihil magis interesset quam ut nimias eorum opes frangeret plebemque ab iniuriis tutam praestaret [2]). Fuerunt etiam qui imperio suo satis modeste uterentur, superbia et arrogantia erga privatos abstinerent [3]), artibus ac litteris maximo studio faverent, operibus publicis exstruendis simul decus sibi ac splendorem, simul alimenta tenuioribus procurarent, leges etiam ferrent rei publicae salutares, bellisque strenue gerendis gloriam quaererent [4]): quamquam minus plerumque haec rei publicae causa suscepta, quam quo magis populum sibi obnoxium haberent [5]). Laborabat autem omne tyrannorum imperium, quamvis ceteroquin laudabile, hoc imprimis malo, quod non moribus patriis avitoque iure ac voluntario civium obsequio fulciebatur, sed quemadmodum partum iniuria erat, ita etiam retineri tantummodo per vim poterat. Hinc milites tyrannis mercenarii et satellites alendi [6]), tributa civibus molesta imperanda [7]), diffidendum fortissimo cuique et qui minus patienter unius imperium laturus videretur [8]), ipsius etiam multitudinis animi suspiciose observandi, ne quid aut

---

1) Aristot. IV, 8. cf. Wachsmuth. I, 1 p. 279.

2) Aristot. V, 8, 2. ib. 4, 5.

3) Cf. de Pisistrato Aristot. V, 9, 21. Plut. Solon. c. 31. Thucyd. VI, 54. De Cypselo, Arist. V, 9, 22. de Gelone, Diodor. XI. 26, aliaque ap. Wachsmuth. p. 282.

4) Wachsmuth. p. 287. 288.

5) *ἵν' ἐν χρείᾳ ἡγεμόνος ὁ δῆμος ᾖ.* Arist. V, 9, 5. Idem Periandrum *πολεμικὸν* dicit §. 22. Quamquam historia bellicosos tyrannos vix alios commemorat quam Sicilienses. Cf. Thucyd. I, 17.

6) Aristot. III, 9, 4. Xenoph. Hier. 5, 3.

7) Aristot, V, 9, 5.

8) Id. ib. 8. et 8, 7.

aliorum instinctu aut virium fiducia et libertatis amore contra dominum moliretur [9]. Quod quum imperium non civium voluntate et amore, sed mercenariis copiis aut extraneis subsidiis niteretur, non poterat non fragile et infirmum esse. Accedebat ut plerique tyranni ipsius regni vitiis corrupti insolentius, avarius, crudelius agerent, aut ut successores haberent instrenuos, temerarios, luxuriosos, qui traditam a patribus potestatem paternis artibus retinere non possent [10]. Ita in Graecia tyrannides haud fere diuturnae erant, sed intra breve tempus subvertebantur [11], imprimis Spartanorum ope, qui optimatium semper fautores, promptique erant ad auxilia contra tyrannos ferenda [12]. Recuperata autem libertate in aliis civitatibus optimatium imperium, quale fuerat, restitutum, in aliis, ubi fractae horum opes erant plebsque creverat, popularis rei publicae forma invaluit.

§. XXII.

Ceterum per haec tempora in tam multiplicibus rerum publicarum conversionibus non mirum est exstitisse multos ubique viros sapientes, qui de optima ratione rei publicae constituendae et administrandae subtilius quaererent, artemque quandam et disciplinam civilis prudentiae mente conciperent. Ex horum numero imprimis fuerunt septem illi qui dicuntur sapientes, qui omnes praeter, Milesium Thalen, civitatibus suis praefuerunt legibusque latis aut administrata sapienter re pu-

9) Id. ib. 9, 2 sqq. Hinc etiam tyranni plebem urbanam metuebant et rusticis potissimum operibus populum occupari volebant. Cf. de Periandro Diog. Laert. I, 98. Heraclid. Pont. p. 8 Koel. de Pisistrato Meurs. Pisistr. c. 7. de Cephalleniorum quodam tyranno Heraclid. p. 19.

10) Aristot. V, 8, 20.

11) Id. ib. 9, 21 sqq. Enumerationem variorum in Graecia tyrannorum vid. ap. Wachsmuth. p. 274.

12) Plutarch. de malign. Herod. c. 21. cf. Thucyd. I, 18. Mueller. Dor. I p. 160.

blica gloriam adepti sunt [1]). His etiam Epimenides Cretensis accensendus est, qui Solonem in ordinanda Atheniensium re publica auctoritate et consiliis non mediocriter adiuvisse dicitur [2]), neque minus ii, quorum supra mentionem fecimus, Zaleucus et Charondas, aliique plures quorum obscurior fama est [3]). Insignis autem in hoc studio etiam Pythagoras fuit, qui quum sibi persuasisset, eam optimam esse rem publicam, quae in potestate esset optimorum, optimos autem non genere aut divitiis, sed virtute et sapientia censendos, adolescentes Italiae nobilissimos quam plurimos sibi conciliavit, quos quum disciplina et praeceptis ad omnem civilem humanamque virtutem et sapientiam informasset, auctor iis fuit rei publicae capessendae, plurimique eorum brevi tempore, quum communi omnes consilio coniunctisque opibus agerent, suarum quique civitatum principes facti sunt. Hi aliquamdiu rem publicam egregie administrarunt, donec gliscente in eos invidia et adversariorum calumniis plebe incitata foedissime omnes aut interempti sunt aut in fugam ire coacti [4]): civitates autem Italiae discordiis ac sedi-

---

1) Cicero de orat. III, 34. de re publ. I, 7. — De Solone, Pittaco, Periandro testimonia congerere non opus est. Chilonem Spartae ephorum fuisse novimus e Diog. Laert. I, 3 p. 45 Huebn. et fuerunt qui ephoratum ab eo institutum opinarentur. Cleobulus Lindiorum legislator et tyrannus fuit. Plut. de *El* ap. Delph. tom. VII p. 514 Hutt. Clem. Alex. Strom. IV p. 523 B. Bias denique apud Prienenses plurimum potuit prudentia et eloquentia, Diog. Laert. I p. 58, et carmen quoque composuisse dicitur *περὶ Ἰωνίας, τίνα μάλιστα ἂν τρόπον εὐδοκιμοίη*. ib. p. 59. Ceterum Thalen quoque non remotum a re publica fuisse ostendit Herodot. I, 170. In univers. cf. Meiners. Geschichte der Wissensch. in Gr. u. R. I p. 44 sqq.

2) Plut. Solon. c. 12. Scripsisse etiam dicitur *περὶ τῆς ἐν Κρήτῃ πολιτείας*. Diog. Laert. I p. 82 Huebn. Add. C. F. Heinrich, Epimenides aus Kreta. Leipz. 1801. 8.

3) Cf. Wachsmuth. I p. 198 sq.

4) De Pythagora et Pythagoreorum administratione rei publicae cf. Heyn. opuscc. Acad. II p. 186 sqq. Meiners, Gesch. der Wissensch. in Gr. u. R. I p. 401. 464. 469 sqq. Mueller. Dor. II p. 178. Welcker. Prolegg. ad Theogn. p. XLII. et im-

tionibus per multos annos concussae vix tandem statum quietum recuperare potuerunt, Achaeorum praecipue opera, ad quorum exemplum populare ubique imperium, sed temperatum illud neque immodicum, institutum esse videtur [5]).

§. XXIII.

Et apud Achaeos quidem popularis forma rei publicae statim post regnum abolitum obtinuisse dicitur [1]); in aliis autem civitatibus tantummodo inchoata, mox, fractis praesertim per tyrannos optimatium viribus, plus paullatim incrementi capiebat, imprimis ubi res maritimae, opificia artesque urbanae maiorem plebis numerum in urbibus congregarunt [2]). Non mediocre autem postea momentum ad augendas plebis opes bella Persica habuerunt, primum propter navale genus belli, iu quo quum robur civitatum in classiariis et nautis esset, plebeiis fere hominibus, hi fieri non potuit quin maiores spiritus sumerent atque etiam in re publica optimatibus obnoxii esse recusarent [3]). Praeterea multorum ex optimatibus opes belli damnis attritae, tenuiores autem non pauci praeda locupletati erant [4]). Ita paucorum imperia in plerisque civitatibus aut concussa aut prorsus subversa, iis imprimis, quae Atheniensium partes sequebantur: nam Spartani ubique plebis adversarii optimatium partes tueri solebant: qui autem neu-

---

primis A. B. Krische, de societatis a Pythagora in urbe Croton. conditae scopo politico. (Gotting. 1830. 4) p. 82 sqq.

5) Polyb. II, 39. cf. Mueller. p. 181.

1) Polyb. II, 41, 5.

2) Aristot. III, 10, 8: *ἐπεὶ δὲ καὶ μείζους εἶναι συμβέβηκε τὰς πόλεις ἴσως οὐδὲ ῥᾴδιον ἔτι γίγνεσθαι πολιτείαν ἑτέραν παρὰ δημοκρατίαν.* Et ubicunque plures pagi in unam urbem contrahebantur (*συνοικισμός, συμπολισμός*) plebis potentia crevit. Cf. ex. ap. Poppon. prolegg. Thuc. I, 2 p. 13; contra *διοικισμὸς* est dissolvendae democratiae. Kortuem. p. 131. Add. Wachsmuth. I, 1 p. 160 sqq.

3) Cf. Aristot. VI, 4, 3. V, 3, 5. VII, 3, 5.

4) Cf. Plutarch. Aristid. c. 13.

trorum socii erant, hi formas rei publicae varias pro varia locorum aut temporum condicione habebant. Quamquam difficile est, de singulis certi aliquid pronunciare, quum propter testimoniorum paucitatem, tum propterea quod admodum multiplicia sunt inter aristocratiam et democratiam temperamenta, multaque utrique communia instituta, ex quibus, utra rei publicae forma praevaluerit, non satis certo dignosci possit [5]).

---

5) Aristot. IV, 7, 4. — Laudanda est virorum doctissimorum, Tittmanni, Kortuemi, Wachsmuthi diligentia, qui de singulis Graeciae civitatibus quot poterant testimonia atque indicia congesserunt; cavendum tamen ne nimis credule illorum de formis rerum publ. sententias, satis ceteroquin haud raro inter se diversas, amplectamur. Qui sobrie testimonia examinaverit, pleraque illos e coniecturis admodum incertis ne dicam hariolationibus posuisse intelliget. Quae certiora iudicari possunt haec fere sunt. Apud Thessalos nobilitas dominabatur, Aleuadae imprimis apud Larissaeos, Scopadae apud Crannonios et Pharsalios. Hi Persarum partes amplexi sunt, contra populi voluntatem (Herod. VII, 172.) Aliquando tamen apud Larissaeos res publica magis popularis extitit, magistratusque (πολιτοφύλακες) a plebe creati sunt (Aristot. V, 5, 5), multique in civitatem recepti peregrini. In Boeotia optimatium imperium diu perduravit. Bello Persico primo Thebis pro oligarchia ἰσονόμῳ extiterat δυναστεία ὀλίγων ἀνδρῶν, qui Persis se adiunxerunt (Thuc. III, 62); sed hanc Pausan. IX, 6, 1 opponit τῇ πατρίῳ πολιτείᾳ. Postea aliquando democratia fuit; sed hanc iam circ. ann. 456 post proelium ad Oenophyta eversam ab optimatibus esse Aristot. docet Polit. V, 2, 6. posteaque saepius variatum. Vid. infr. P. VI c. 5. Orchomeni equites rem publicam in potestate retinebant. Diod. XV, 79. Thespiis demuchi e nobili Thespiadarum gente (id. IV, 29), turpeque apud eos habebatur agri culturae aut opificiis operam dare. Heraclid. fr. p. 22 Koel. Plataeenses iam ante bell. Pers. Atheniensium socii facti popularem habebant r. p. formam. Megaris post Theagenis tyrannidem aliquamdiu plebs dominabatur: dein multa inter plebem et optimates certamina, victoria varia, plerumque tamen optimatibus praevalentibus. Cf. Aristot. V, 2, 6. 4, 3. Thuc. IV, 74. V, 31. Welck. prolegg. ad Theogn. p. X – XIII. Corinthi plerumque optimatium potestas vigebat. Plut. Timol. c. 5. Dion. c. 53. Argis democratia praevalebat inde a bello Cleomenis I Spartanorum regis. Kortuem. p. 125 sqq. Epidauri et Aeginae optimates rem publ. administrabant. Mueller. Aegin. p. 133. In Arcadia populare imperium, velut Mantineae (Arist. VI, 2, 2) et Tegeae. Kortuem. p. 131. 135. In Elide optimatium imperium, Arist. V, 5, 8, sed, ut videtur, populariter temperatum, quum βουλὴ sexcentorum commemoretur. Thucyd. V, 47.

§. XXIV.

Est autem democratiae hoc maxime proprium, ut in administranda re publica omnes, qui quidem cives sint, aequabili iure et libertate utantur [1]). Sed ipsa haec iuris aequabilitas duobus modis prorsus inter se diversis definiri potest, dignitate aut numero [2]). Et dignitate quidem, si quo quis plura ac graviora munia civilia sustinet, eo ampliores etiam administrandae rei publicae partes ei tribuantur: numero autem, si nulla dignitatis ratione habita pari omnes iure sunt [3]). Atque hoc ubi fit, ibi multitudinis rectius quam populi imperium esse dicemus [4]), estque haec quasi quaedam popularis imperii degeneratio: altera autem iuris distributio non potest non vel timocraticam vel aristocraticam efficere formam rei publicae. Nam quum graviora munia civilia ab iis sustinentur, qui facultatibus maxime pollent, tenuiores autem leviora tantummodo sustinent, ibi non iniquum videri potest, in administranda quoque re publica ampliores esse ditiorum quam pauperiorum partes: quamobrem descriptis e censu classibus civium quemadmodum munia ita etiam iura pro por-

---

1) Arist. IV, 4, 2: *εἰ γὰρ ἐλευθερία μάλιστ' ἐστὶν ἐν δημοκρατίᾳ, καθάπερ ὑπολαμβάνουσί τινες, οὕτως ἂν εἴη μάλιστα, κοινωνούντων ἁπάντων μάλιστα τῆς πολιτείας ὁμοίως.* Hinc *ἰσονομία, ἰσοτιμία, ἰσηγορία* de democratia dici solent. Cf. Markland. ad Lysiam p. 77 Reisk. Herodot. III, 80. Valck. ad Eur. Phoen. v. 541. Wachsmuth. I, 2 p. 21.

2) Aristot. V, 1, 7: *ἔστι δὲ διττὸν τὸ ἴσον· τὸ μὲν γὰρ ἀριθμῷ, τὸ δὲ κατ' ἀξίαν ἐστί. λέγω δὲ ἀριθμῷ μὲν τὸ πλήθει ἢ μεγέθει ταὐτὸν καὶ ἴσον, κατ' ἀξίαν δὲ τὸ τῷ λόγῳ.* Cf. §. 2: *τὸ κατ' ἀναλογίαν ἴσον.*

3) Id. VI, 1, 6: *τὸ δίκαιον τὸ δημοτικὸν τὸ ἴσον ἔχειν ἐστὶ κατ' ἀριθμὸν ἀλλὰ μὴ κατ' ἀξίαν.* Loquitur autem de extrema democratia, non de moderata, quae ipsi potius *πολιτεία* dici solet. Cf. IV, 4, 2. Plutarch. Quaest. sympos. VIII, 2, 2. Plato de r. p. VIII p. 558 C.

4) Arist. VI, 1, 6: *τούτου δ' ὄντος τοῦ δικαίου τὸ πλῆθος ἀναγκαῖον εἶναι κύριον, καὶ ὅ τι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι τοῦτ' εἶναι τὸ τέλος καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ δίκαιον. — ὥστε ἐν ταῖς δημοκρατίαις συμβαίνει κυριωτέρους εἶναι τοὺς ἀπόρους τῶν εὐπόρων· πλείους γάρ εἰσι· κύριον δὲ τὸ τοῖς πλείοσι δόξαν.*

tione aquabiliter temperantur [5]. Attamen neque facile est eiusmodi temperamentum ac proportionem invenire, et qui semel maiorem potestatem nacti sunt, hac fere abuti solent ad graviora munia atque onera declinanda aliisque imponenda. Praeterea multa sunt eaque amplissima munia civium atque officia, quae minus facultatum ope, quam virtute et prudentia administranda sunt, a quibus viros bonos propter censum exiguum arcere summae est iniquitatis. Itaque in his aut nulla omnino census ratio habenda videbitur, aut tam modicus exigetur [6], ut nemo arceatur, nisi quem vix credibile sit propter rei familiaris angustias bene administrandae rei publicae idoneum esse, possitque ad honores et magistratus pervenire non solum qui pecuniosus, sed qui propter virtutem ac prudentiam civibus suis maxime probatus sit. Hanc ob causam in democratia bene constituta nonnulla sane census ratio habebitur, maior autem virtutis et prudentiae, licebitque populo eos sibi consiliarios, magistratus, iudices praeficere, quos viros optimos et sapientissimos iudicaverit. Rursus autem haec ipsa populi libertas, ut praeficiat sibi quos velit, facilem affert rei publicae in deterius mutationem. Neque enim de civium dignitate populus recte iudicare poterit, nisi ipse sit moribus probis atque incorruptis [7]: ubi

---

5) Id. IV, 6, 2 de moderata democratia, quam ipse *πολιτείαν* vocat: *ἔστι γὰρ πολιτεία ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν μίξις ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας.* III, 11, 11: *πολιτικὸν δὲ πλῆθος — δυνάμενον ἄρχειν τε καὶ ἄρχεσθαι κατὰ νόμον τὸν κατ' ἀξίαν διανέμοντα τοῖς εὐπόροις τὰς ἀρχάς.*

6) Id. c. 7 3: *ἀριστοκρατικὸν δὲ καὶ πολιτικὸν τὸ ἐξ ἑκατέρας (ἔκ τε δημοκρ. καὶ ἐξ ὀλιγαρχίας) ἑκάτερον λαβεῖν· ἐκ μὲν ὀλιγαρχίας τὸ αἱρετὰς ποιεῖν τὰς ἀρχάς, ἐκ δὲ τῆς δημοκρατίας τὸ μὴ ἀπὸ τιμήματος.* Id. IV, 4 3: *ἄλλο δὲ (εἶδος δημοκρατίας) τὸ τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τιμημάτων εἶναι, βραχέων δὲ τούτων ὄντων, δεῖ δὲ τῷ κτωμένῳ ἐξουσίαν εἶναι μετέχειν, καὶ τὸν ἀποβαλόντα μὴ μετέχειν.* Reapse eodem fere redit quod est III, 5, 3: *κατὰ ταύτην τὴν πολιτείαν κυριώτατον τὸ προπολέμουν, καὶ μετέχουσιν αὐτῆς οἱ κεκτημένοι τὰ ὅπλα.* Sunt enim hi qui non nimis exiguum censum habent: tenuiores fere *ψιλοὶ* esse solent. Cf. et IV, 5, 3, 10, 9.

7) Secundum Aristot. III, 10, 5: *καθ' ἕνα μὲν συμβαλλόμενος*

autem depravari mores coeperint, id quod facillime in urbana multitudine, rarius in rusticis evenire solet [8]), ibi fieri non potest, quin gratia multitudinis et favore ii maxime floreant, qui auram popularem artibus quamvis malis captare non dedignentur. Ita fit ut perniciosum in democratiis existat genus demagogorum [9]), qui quo plus ipsi possint, eo magis imperitae multitudinis potestatem augere omnemque rem publicam, legibus et auctoritate optimorum neglectis, plebis arbitrio et lubidini obnoxiam facere contendant [10]). Atque haec est illa democratiae degeneratio, quam ochlocratiam nonnulli dixerunt.

§. XXV.

Communia autem democratiis instituta haec fere solent esse [1]): primum ut comitia sint omnium civium, senatusque annuus, item ex omnibus lectus [2]), qui comitiis praesit, de rebus ad populum ferendis antea deliberet consultaque faciat, agendique cum populo ac suffragii ferendi ratio-

---

ὁστισοῦν ἴσως χείρων, ἀλλ' ἐστὶν ἡ πόλις ἐκ πολλῶν ὥσπερ ἑστίασις συμφορητὸς καλλίων μιᾶς καὶ ἁπλᾶς. διὰ τοῦτο καὶ κρίνει ἄμεινον ὄχλος πολλὰ ἢ εἷς ὁστισοῦν. Cf. VI, 2, 3.

8) Id. VI, 2, 1. 7.

9) Id. V, 9, 6. Cf. IV, 4, 5. 6. Add. Valcken. diatr. in Eurip. fragm. c. 23 p. 253 sqq. Wyttenbach. ad Plutarch. Moral. tom. I p. 186 sq. Lips.

10) Aristot. V, 4, 6. IV, 4, 4. 6.

1) In magna popularium institutorum varietate quum singula persequi non liceat, ea indicare sufficit, quae in plerisque civitatibus fuisse constat, omissis iis quae pauciorum propria fuerunt, velut quum commune sit de summa re publica consulendi ac decernendi potestatem omnibus civibus permitti, huius tamen ipsius rei plures modi sunt, e. c. *τὸ κατὰ μέρος ἀλλὰ μὴ πάντας ἀθρόους, ὥσπερ ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ Τηλεκλέους ἐστὶ τοῦ Μιλησίου· καὶ ἐν ἄλλαις δὲ πολιτείαις βουλεύονται αἱ συναρχίαι συνιοῦσαι, εἰς δὲ τὰς ἀρχὰς βαδίζουσι πάντες κατὰ μέρος ἐκ τῶν φυλῶν καὶ τῶν μορίων τῶν ἐλαχίστων παντελῶς ἕως ἂν διέλθῃ διὰ πάντων.* Aristot. IV, 11, 3. Quamquam ambigi potest utrum talis ordo re vera in civitatibus usurpatus fuerit, an excogitatus tantummodo a politicis scriptoribus, qualis fuit Telecles.

2) Haec est quae proprie *βουλὴ* vocatur. Vid. supra §. 16, 3.

nem moderetur [3]): feratur autem ad populum de legibus civitati dandis aut abrogandis, de bello, pace, foederibus, de magistratibus creandis et, si quid deliquerint, removendis et castigandis, denique de criminibus capitalibus, si qua ad summam rem publicam pertinere videantur [4]). — Porro magistratus ut capi ab omnibus possint, qui quidem cives sint, censu aut nullo aut non magno constituto: ut annui sint, aut etiam brevioris temporis [5]), nec liceat plures simul ab uno magistratus neve saepius eosdem capi, nisi certis temporum intervallis [6]): ut ius magistratuum certis ac legitimis finibus definitum sit [7]): ut gesti magistratus rationes reddendae sint. — Item ut iudices quoque capiantur ex omnibus [8]), iudiciis autem praesint magistratus in suo quique genere causarum, qui instructam apud se litem ad iudicum collegia deferant, ordinem iudicii moderentur, suffragium dent, sententiam a iudicibus latam pronuntient, quaeque opus sit ad eam exsequendam procurent [9]). Denique quum omnis democratia quantum fieri potest aequabilitatem inter cives sequatur, haec ne perturbetur paucorum opibus supra modum auctis, sedulo cavendum est. Huc pertinet definitus possessionum modus, supra quem habere nemini liceat [10]), et si qui cives propter nimias opes aequabili omnium libertati periculum afferre videantur, horum in aliquod tempus a re publica remotio [11]).

---

3) Aristot. IV, 12, 8. VI, 5, 10.

4) Id. IV, 11, 1. Add. II, 9, 4.

5) Id. IV, 12, 1.

6) Id. VI, 1, 8.

7) Ἄρχειν τὸν νόμον. Id. IV, 4, 3.

8) Id. VI, 1, 8. IV, 13, 4.

9) Cf. quae infra P. V c. 6 de Atheniensium iudiciis dicentur.

10) Arist. II, 4, 4. VI, 2, 5. Cf. et Kortuem. p. 11.

11) Arist. V, 2, 4. 5. III, 8, 2. Lectu digna est etiam Iacobsii oratio de ostracismo in opp. misc. (Vermischte Schriften)

§. XXVI.

Differunt autem inter se moderata et absoluta democratia his maxime rebus. Primum quum utrobique summa sit penes universum populum potestas, exerceri autem ab universis potestas non possit nisi in comitiis, haec in moderatis democratiis ad eum modum instituuntur, ut non facile plus valeat imperitae et egenae plebis multitudo quam locupletium et prudentiorum auctoritas. Itaque licet quidem comitiis interesse qui voluerint, sed neque alliciuntur tenuiores mercede comitiorum proposita, neque si non adfuerint mulctantur: quamobrem plerique haud frequentes adesse solent, nimirum magis operibus ad victum quaerendum intenti [1]). Contra in absolutis democratiis mercenaria fiunt comitia, quo etiam tenuissimus quisque quaestu proposito invitetur: locupletiores autem interesse comitiis nulla poena coguntur [2]). Porro in moderatis democratiis nec multa haberi solent comitia, eaque ipsa de certis tantummodo rerum generibus, quae ad summam rem publicam maxime pertineant et de quibus non rogari populum iniquum sit, iudicari autem etiam a multitudine satis recte possit: cetera autem senatui et magistratibus administranda permittuntur [3]): neque ferri quidquam ad populum licet nisi ex auctoritate senatus [4]), neque scita populi aut ipsa

vol. VI p. 168 sqq. Ostracismi instituto praeter Athenienses etiam alias civitates usas esse, velut Argivos, Megarenses, Milesios, Syracusanos (πεταλισμῷ) notum est. Cf. locc. ap. Meierum in Ersch. et Grub. Encyclop. artt. et litt. Sect. III tom. 7 s. v. Ostracism. Neque proprium hoc institutum extremae democratiae dicendum esse vel Athenarum exemplum demonstrat, ubi ostracismum dubitari non potest a Clisthene institutum, postea multo magis aucta plebis potestate rursus abolitum esse, quum aliae tuendae aequalitatis viae non deessent. Cf. de comitt. Ath. p. 247.

1) Aristot. IV, 5, 3. Cf. quae Plato suae civitati sancienda statuit Legg. VI p. 764 in.

2) Aristot. IV, 10, 8. cf. ib. 5, 5.

3) Id. ibid. c. 11, 3. 4.

4) Μηδὲν ἀπροβούλευτον. Cf. de comitt. Ath. p. 96 sq

etiam senatus consulta valent, si legibus contraria esse comperiantur [5]). Contra in absolutis democratiis plurima habentur comitia, senatus auctoritas aut nulla est aut admodum exigua [6]), omnis rei publicae administratio populi scitis magis quam magistratuum potestate regitur [7]), neque quidquam tam certum est definitumque legibus, ut non plus ubique valeat populi arbitrium [8]). Magistratus porro in moderatis democratiis creari populi suffragiis solent, ut ad honores optimo cuique et qui civibus suis maxime probatus fuerit pervenire liceat [9]): in absolutis autem sorte capiuntur, ut promiscue omnibus aditus pateat [10]). Iudiciorum denique in moderatis democratiis nulla merces est, qua re tenuiores fere absterrentur: in absolutis autem quemadmodum ad comitiatus ita ad iudicia quoque mercede data tenuiores alliciuntur, locupletioribus autem abstinere iudiciis impune licet [11]).

§. XXVII.

Iam vero manifestum est in tali rei publicae forma, ubi nulla facultatum, prudentiae, dignitatis ratione habita eodem omnes iure utantur, ipsam hanc iuris aequalitatem summo opere iniquam esse et iniustam [1]). Nam quum plures ubique esse soleant pauperes quam locupletes, imperiti quam prudentes, quumque quod pluribus placuerit ab

---

5) Demosth. in Aristocr. p. 649: *Ψήφισμα μηδὲν μήτε βουλῆς μήτε δήμου νόμου κυριώτερον εἶναι.*

6) Aristot. Pol. IV, 12, 9. VI, 1, 9.

7) Id. VI, 1, 8. cf. IV, 4, 6 et 11, 5.

8) Id. IV, 4, 3. 11, 8. V, 4, 7. 7, 19. Cf. Plat. de re publ. VIII p. 563 D. Orat. in Neaer. p. 1375, 1.

9) Aristot. IV, 7, 3. 12, 12.

10) Id. VI, 1, 8. — De Pythagoreo praecepto *κυάμων ἀπέχεσθαι*, quod ad sortitionem magistratuum pertinet, vid. Krische p. 35.

11) Aristot. IV, 7, 2.

1) Cf. Cicero de re publ. I c. 24 et 27.

omnibus pro lege observandum sit [2]), apparet prorsus contra naturam rectamque rationem in ochlocratia eos minimum posse, qui in bene constituta re publica plurimum valere deberent. Quamobrem nec placere ista aequabilitas iis potest, qui se potiore quodam iure dignos esse censeant, neque plebes non potest non iis adversaria esse, quibus suam potestatem ingratam esse intelligat: quo fit ut non concordibus inter se animis placide rem publicam tractent, sed in duas factiones divisi suum utrique commodum magis quam commune civitatis bonum quaerant [3]). Et plebi quidem utile videbitur optimates quantum fieri potest opprimi atque in ordinem cogi, quo et horum animi frangantur, et suae opes crescant: quamobrem facile calumniatoribus credet [4]), iniusta adversus optimates iudicia exercebit, mulctas imponet graves, bona eorum publicabit, ipsos in exilium aget [5]), liturgiarum sumptibus locupletium facultates exhauriet [6]), denique omnia faciet, quae ad conservandam et stabiliendam multitudinis potestatem pertinere iudicaverit. Optimates autem vexati iniuriis et oppressi non poterunt non rerum novarum cupiditate incendi plebisque opprimendae consilia agitare [7]): quod quum per vim apertam effici nequeat, clandestinas inter se coniurationes facient [8])

---

2) Arist. VI, 1, 6. 9. 12. vid. supra §. 24, 4.

3) Id. III, 5, 4; *ἡ ὀλιγαρχία ἐστὶ πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τῶν εὐπόρων, ἡ δὲ δημοκρατία πρὸς τὸ τῶν ἀπόρων· πρὸς δὲ τὸ τῷ κοινῷ λυσιτελοῦν οὐδεμία αὐτῶν.*

4) De sycophantis cf. Wachsmuth. I, 2 p. 157.

5) Cf. quae laudat Meier. de bon. damn. p. 175 sqq.

6) Xenoph. de re publ. Ath. I, 13.

7) Aristot. V, 4, 1.

8) *Ἑταιρεῖαι, συνωμοσίαι.* Quamquam ex *ἑταιρείαις* s. *ἑταιρίαις* (nam nihili est discrimen harum formarum a Strangio ad Isocr. p. 51 excogitatum. Cf. Sinten. ad Plut. Pericl. p. 145) sunt etiam quae non ad evertendam rem publ. pertineant, sed ut facilius coniunctis opibus aut ad honores pervenire aut in iudiciis resistere adversariis possint, *συνωμοσίαι ἐπὶ δίκαις καὶ ἀρχαῖς,* ut ait Thucyd. VIII, 54. In univ. cf. quae infra P. V, 9 §. 91, 3 dicentur.

neque ab externis et rei publicae hostibus auxilia petere dubitabunt [9]).

§. XXVIII.

Talis in pleraque Graecia fieri coepit rerum status inde a bello Peloponnesiaco, quo in bello qui ubique plebis partium erant, Atheniensibus, qui optimatium, Spartanis se adiungebant [1]), variaque victoria inter utrosque certatum est, donec aliquantisper, devictis a Lysandro Atheniensibus, optimatium in plerisque civitatibus imperium restitutum est, minus tamen illud pro portione censuum et dignitatis ordinatum, quam ex factionibus et Lysandri gratia et arbitrio [2]). Itaque hic quoque haud diuturnus fuit rerum status, quum praesertim neque qui vicerant victoria modeste uti, nec qui victi erant quiescere possent [3]). Mox igitur rursus turbis omnia et seditionibus plena, caedibus, rapinis, omni iniuriarum genere saevitum, nihil non licere visum, quo adversariis noceretur, dummodo his superiores fierent [4]). Hinc exulum ubique magna multitudo [5]): recepti in civitatem homines libertini et peregrini, quorum numero adiuti civibus invisis facilius resisterent [6]): mercenarii milites conducti, quorum ingentes eo tempore per omnem Graeciam copiae, ex profu-

---

9) Plat. de re publ. VIII, p. 556 E.

1) Thucyd. III, 82. Cf. Wachsmuth. I, 2 p. 124.

2) Plutarch. Lysand. c. 13.

3) Cf. impr. Wachsmuth. l. l. p. 245 et 298 sqq.

4) Huc pertinet quod Aristoteles refert Polit. V, 7, 19: *νῦν μὲν γὰρ ἐν ἐνίαις (ὀλιγαρχίαις) ὀμνύουσι· καὶ τῷ δήμῳ κακόνους ἔσομαι καὶ βουλεύσω ὅ τι ἂν ἔχω κακόν.* Conf. de Argivorum *σκυταλισμῷ* Diodor. XV, 58. Sed plurimis eius generis exemplis plena est horum temporum historia (cf. Wachsmuth. II, 1 p. 299—307.) et quae Thucyd. III, 82. 83 de sua aetate conqueritur, eadem et graviora etiam posterior aetas videbat.

5) Cf. Drumann. Versuch. einer Gesch. des Verfalls d. Gr. Staaten (Berl. 1820. 8) p. 607—632. Wachsmuth. l. l. p. 308 sqq.

6) Aristot. VI, 2, 9.

gis maxime et exulibus undique collectae, et cuivis causae servire paratae, dummodo praemia sat ampla offerrentur [7]). Non mirum igitur extitisse in plurimis civitatibus qui fesso tot malis et exhausto viribus populo libertatem eriperent regnumque sibi pararent horum ipsorum mercenariorum opera [8]), et postquam Philippus non minore calliditate quam fortitudine principatum Graeciae affectare coepit, plerosque aut muneribus corruptos [9]) aut artibus deceptos ac pristinae virtutis oblitos resistere nec voluisse nec potuisse, qui autem restiterunt, una clade fractos victori concedere coactos esse.

---

7) Wachsmuth. p. 308 sqq. cf. Drumann. p. 644 sqq.

8) Wachsmuth. p. 317—332. Drumann. p. 545 sqq.

9) Cf. Demosth. Phil. III, 125, 11. 126, 17. de coron. p. 241. 245 Diodor. XVI, 53. 54. Wachsmuth. p. 333 sqq. Drumann. p. 35 sqq.

IV. 1. De Spartanorum re publica.

§. I.

Dorica gens antiquissimas sedes in Thessalia habuisse dicitur, ubi ex Phthiotide in Hestiaeotin et ad Olympum Ossamque montes concesserit, hinc autem expulsa ad Pindum ac deinceps relicta Thessalia circa eam regionem consederit, quae inter Oetam et Parnassum ab ipsa Doridis nomen accepit [1]. Ceterum admisti in Hestiaeotide Doriensibus Heraclidae perhibentur adoptatusque a rege Aegimio Hyllus Herculis filius [2], abs quo una gentis tribus Hylleensium nomine appellata: reliquae Dymanes fuerunt et Pamphyli [3]. — In Peloponnesum postquam identidem frustra irrumpere conati erant, tandem octogesimo circiter post Tro-

1) Herodot. I, 56. Strab. IX, 5. p. 437. X, 4 p. 475. Larcher. ad Herod. VIII p. 258. Beck. Weltgesch. I p. 826. Mueller. Dor. I p. 17 sqq. Lachmann. de Spartan. re publ. p. 89 sqq.

2) Diodor. I, 58 coll. 37. Aliter Strab. IX, 4 p. 427 qui adiunctos Heraclidas in Doride perhibet, Ephorum haud dubie sequutus. Vid huius fragm. ap. Steph. Byz. v. Δυμᾶν et ap. Meier. Marx p. 95 sq. Ceterum cf. Heyn. ad Apollodor. p. 195, et de Hercule Dorico non eodem ab origine cum Achaico Mueller. Dor. I p. 49 sqq.

3) Herodot. V, 68 ibiq. Valck. Boeckh. explicatt. Pind. p. 234. Corp. Inscr. I p. 579. Mueller. Dor. II p. 75. Pamphylorum tribum e variarum stirpium advenis, qui cum Doriensibus coaluerint, extitisse nomen ipsum fidem facit: sed ut hanc tribum in Peloponneso demum ceteris additam credamus cum Lachmanno l. l. p. 103, causa nulla est. Rectius statuit C. F. Hermannus diss. de causis turbatae apud Lacedaemonios agrorum aequalitatis (Marburg. 1834.) p. 16.

iam eversam anno [4]) ducibus Heraclidis Temeno, Cresphonte et Aristodemo, adiunctisque sub Oxylo Aetolis a Naupacto, Locrorum oppido, transmiserunt, victisque Achaeis plerasque peninsulae partes occupare coeperunt [5]). Traiiciendi causae a Thessalorum ex Epiro in Thessaliam irruptione repetendae videntur, quae haud dubie non Boeotos solum Thessalia cedere coegit, sed alias quoque gentes complures sedibus priscis excitavit. Peloponnesi tunc temporis partes duae, Argolis et Laconica cum viciuis Messeniae regionibus sub Achaeorum imperio erant, rege, ut aiunt, Tisameno, filio Orestis [6]): Corinthus Aeolensium erat sub Sisyphidis [7]), Aegialea Ionum [8]), Elis Epeorum [9]): Pisatidi cum Triphylia et Messenia pleraque Nelidae imperabant [10]): Arcadiam denique iidem qui antiquitus insederant Arcades tenebant, stirpis Pelasgicae populus. Atque hi quidem cum Doriensibus foedus et amicitiam iunxisse perhibentur sedesque suas quieti retinebant [11]). Epei cognatos sibi Aetolos sine bello videntur recepisse [12]), et in unum facile populum coaliti post haec etiam Pisaeos et Triphylios sibi subiunxerunt [13]). Nelidae e Messenia a Doriensibus pulsi Athenas con-

4) Secundum Thucydidis, Eratosthenis et Apollodori computationem. Cf. Thuc. I, 12. Diod. I, 5. Clem. Alex. Strom. I p. 336. B. Heyn. in Apollod. fr. p. 410. Diversas aliorum sententias vid. ap. Meursium de regn. Lac. c. 8 extr.

5) Diod. IV, 58. Apollod. II, 8, 2, 4 sqq. Pausan. V, 3, 5.

6) Pausan. II, 18, 5.

7) Id. II, 4, 2. cf. C. Wagner, rerum Corinthiarum specimen. (Darmstad. 1824. 8.) p. 78 sq.

8) Herod. I, 146. Heyn. ad Iliad. II, 574. 5. Mueller. Orchom. p. 367.

9) Iliad. II, 615 sqq. Heyn. tom. IV p. 342. Pausan. V, I, 3. 4, 5.

10) Strab. VIII, 3 p. 337. 4 p. 359.

11) Pausan. VIII, 5, 3.

12) Id. V, 4, 1 cl. 18, 2.

13) Cf. Ephor. ap. Strab. VIII, 3 p. 357 sq.

fugerunt [14]). Achaeorum plerique ex Laconica eiecti in Aegialeam concesserunt, pulsisque Ionibus, qui et ipsi in Atticam migrarunt, terram dehinc a se Achaiam appellabant [15]). Alii, duce, ut ferunt, Penthilo Orestis filio, relicta Peloponneso adiunctisque multis aliorum populorum hominibus novas sibi sedes in Lesbo insula et in oppositis Asiae littoribus ceperunt [16]). In Peloponneso autem quae Achaeorum fuerant a Doriensibus omnia occupata sunt, ita quidem, ut Temeno Argolis, Cresphonti Messenia, Aristodemo Laconica obtingeret [17]). Mox etiam Corinthum Aletes, unus ex Heraclidarum gente, ipsis principibus non invitis, in suam potestatem accepit [18]), unde brevi post tempore incursione in Atticam facta Megaridem quoque Atheniensibus Dorienses eripuerunt [19]).

§. II.

Harum autem quas Dorienses insederunt terrarum veteres incolae haudquaquam omnes aut statim subacti aut expulsi sunt. Alios enim sero demum et post plura saecula devictos esse constat [1]), alii in civitatis communionem admissi cum

14) Pausan. II, 18, 7. cf. Mueller. Dor. I p. 97 sq.

15) Pausan. VII, 1, 3 sqq. supra P. II §. 6, 24.

16) Cf. supra P. II §. 5, 14.

17) Plat. Legg. III p. 683. Apollod. II, 8, 4. Pausan. III, 1, 4. 3, 3. Manso. Spart. 1, 1 p. 59. Mueller. Dor. I p. 63.

18) Pausan. II, 4, 3. Schol. Pind. Olymp. XIII, 17. Wagner. l. l. p. 84. Mueller. I p. 84.

19) Herodot. V, 76. Strab. IX, 1 p. 393. Vellei. I, 2. Pausan. I, 39, 4. Mueller. p. 88.

1) In Laconica Aegyn ab Archelao demum et Charilao (c. ann. 884 — 827) expugnatam refert Pausan. III, 2, 5, Pharin, Amyclas, Geronthras a Teleclo (ann. 827 — 787) id. ib. §. 6. Helos ab huius filio Alcamene: §. 7. Quamquam utrum tunc primum devicti an rebellantes coerciti sint non satis liquet e Pausaniae verbis, nec dubitari potest quin veterum scriptorum plerique hoc potius quam illud verum crediderint. Cf. et Cononis de Amyclis narrationem no. 36 (Phot. p. 137 Bekk.) Altera sententia Muellero placet, qui de universa ratione, qua Dorienses in occupandis Achaeorum sedibus usi sint, prudenter exposuit Dor. I p. 77 sqq. et 91 sqq. Quod autem hic Mycenas quoque et Tirynthem

Doriensibus coaluerunt[2]): unde etiam tribus in pluribus horum civitatibus praeter tres illas Doricas aliae complures commemorantur, quas manifestum est veterum incolarum fuisse[3]). Qui autem non in civitatem admissi, hi aut imperio victorum subiecti et vectigales facti sunt, quales fuerunt, qui *περίοικοι* apud Spartanos aliosque vocantur[4]), aut etiam servorum loco habiti, quales fuerunt apud Spartanos Helotae, apud Argivos *γύμνητες* s. *γυμνήσιοι* apud Sicyonios *κορυνηφόροι, κατωνακοφόροι*[5]). Atque horum quidem condicio fortasse etiam antiquior fuit Doriensium migratione, quum iam ante hos Achaei aliique advenae devictos a se priscos terrarum incolas in servitutem redegisse videantur[6]). — Ceterum in nulla harum civitatum Dorienses minus cum alienigenis mixti sunt institutaque eorum et mores constantius respuerunt, quam Lacedaemone: quamobrem quum in ceteris civitatibus quasi quadam peregrinitatis contagione prisca et genuina Doriensium indoles

---

diu Achaeorum fuisse nec nisi post bella Persica in Doriensium potestatem pervenisse coniicit p. 83, minus probabile videtur. Probabilius est quod de Orneatis statuit Aegin. p. 48. De Hermione et Asine cf. supr. P. II §. 6, 18.

2) Cf. Mueller. Dor. I p. 87.

3) Ita apud Argivos, Epidaurios, Aeginetas quarta tribus fuit Hyrnethia. cf. supr. P. III §. 15, 4. apud Sicyonios tribus Aegialensium vid. ib. apud Corinthios octo tribus fuisse dicuntur. Suid. s. v. *πάντα ὀκτώ.*

4) Cf. supra P. III §. 15, 6. infr. §. 5. Argivorum *περιοίκους* Aristoteles commemorat Polit. V, 2, 18, quos Tirynthe, Hysiis, Orneis, Mycenis, Mideae aliisque in oppidis minoribus habitasse e Pausania apparet VIII, 27, 1. Quod autem Herodot. VIII, 73 de Cynuriis dicit: *ἐκδεδωρίευνται δὲ ὑπό τε Ἀργείων ἀρχόμενοι καὶ τοῦ χρόνου, ἐόντες Ὀρνεῆται καὶ περίοικοι,* colligi posse videtur, post devictos Orneatas horum nomen, si non in omnes, tamen in multos ceterorum quoque *περιοίκων,* qui simili cum illis condicione essent, transferri coepisse: et fuit fortasse non una omnium condicio. Cf. et Mueller. Aegin. p. 48.

5) Cf. Pollux III, 83. Athenae. VI p. 271. Steph. Byz. s. v. *Χίος.* Hesych. tom. II p. 612. Etym. Gud. p. 165, 53. Ruhnken. ad Timae. p. 212 sqq. Mueller. Dor. II p. 55. 59.

6) Cf. Mueller. Dor. I p. 74. Lachmann. de Spartan. re publ. p. 106.

plus minus paullatim degeneraverit, Lacedaemoniorum res publica una omnium maxime Dorica permansit [7]).

§. III.

In nulla unquam civitate plus quam apud Lacedaemonios provisum erat, ut cives omnes quaestu et rei familiaris cura soluti totos se rei publicae dare possent: nam agrorum cultura, opificia, mercatura aliaque id genus, quae etsi necessaria sunt civitati, facile tamen eorum a quibus tractantur animos privati commodi cura occupatos a re publica abalienare posse videntur, apud hos non civibus sed inferiorum ordinum hominibus demandata erant, qui servirent quidem civitati resque ad victum cultumque corporis necessarias subministrarent, ipsi autem participes civitatis non essent. De his igitur ante omnia dicendum est: et primum quidem de Helotis [1]). — Hos plerique appellatos tradunt ab oppido Laconicae cui Ἕλος nomen fuit [2]): huius

7) Mueller. ib. p. 14. — Scriptores de re publica Lacedaemoniorum hi potissimum commemorandi sunt. Nic. Cragii de rep. Lac. libri IV. Genev. 1593. 4. Lugd. B. 1670. 4. et in Gronov. thes. t. 5. J. Meursii miscellanea Laconica s. variar. antiquitt. Lacon. libri IV. Amst. 1661. 4. Eiusd. de regno Laconico libri II. Ultrai. 1687. 4. et in Gron. th. t. 5. Nic. Sienicii (I. Keckermanni Dantiscani) de re publ. s. politia Spart. liber. Dantisc. 1606. 4. et repet. in Keckermanni systemate systematum. Hanov. 1613. Heynii de Spart. re publ. et institutis iudicium in Comm. soc. Gotting. tom. IX p. 3 sqq. I. C. F. Manso, Sparta. Ein Versuch zur Aufklärung der Geschichte u. Verfassung dieses Staats. Lpz. 1800—1805 III. 8. K. H. Lachmann, die Spartanische Staatsverfassung in ihrer Entwickelung und ihrem Verfalle. Bresl. 1836. 8. Muelleri, Tittmanni, Wachsmuthii, Kortuemii libros iam supra indicavimus.

1) Cf. I. C. Schlaeger, diss. de Helotibus Lacedaemoniorum servis. Helmstad. 1730. 4. Capperonier, recherches sur l'histoire et l'esclavage des Hilotes, in Comm. Acad. Inscriptt. tom. XXIII. C. G. Nykopp. de Helotibus Spartanorum servis. Aboae 1820 et 1821. 4. Cf. Cragius de r. p. L. lib. I c. 11. Manso Spart. I, 2 p. 135. Wachsmuth. I, 1 p. 219. Mueller 1 p. 33. Lachmann. p. 113.

2) Hellanic. ap. Harpocr. s. v. εἱλωτεύειν. Theopomp. ap. Athenae. VI, 103 p. 272. Pausan. III. 20. 6. Tuetur hanc originationem Göttling. Herm. ann. 1825, I p. 138. 141. contra Mülle-

enim cives quum subactis ceteris pertinacius aliquamdiu Doriensibus restitissent, devictos tandem et in servitutem detrusos [3]), nomenque eorum postea omnibus eiusdem condicionis hominibus, etiam qui non ex illo oppido essent, inditum esse. Multitudinem Helotarum permagnam fuisse constat [4]), maxime post bellum Messeniacum secundum, quum quicunque Messenii in patria remanebant Helotae facti sint [5]). Florentibus quidem Spartanorum rebus facile vel ducenta viginti quattuor millia numerari posse videntur [6]): sed horum bona pars post pugnam Leuctricam restitutamque ab Epaminonda Messeniam libertatem recuperavit [7]). Servi autem non singulorum magis quam civitatis fuisse dicendi sunt [8]): neque enim interfici ne-

---

rum l. l. et Prolegg. mythol p. 428, cui nomen potius a verbo *ἑλεῖν*, ut *δμώς* a *δαμᾶν* deducendum videtur. Et Ephorus quidem ap. Strabon. VIII, 5 p. 365, si vera esset loci lectio, *εἵλωτας* apellatos diceret, iam ante Helos devictum, omnes perioecos a Spartanis subactos: sed hoc parum veri simile, locusque emendandus cum Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 268. Lachmannus *εἵλωτας ἀπὸ τῶν ἑλῶν*, a palustribus et humidis campis vocatos putat, quos insederint: quam sententiam iam Kortuem. p. 33 protulerat. Ceterum ab urbe *Ἕλος* gentile *Ἑλεάτης* est ap. Theopomp. l. l., *Ἕλειος* ap. Ephorum l. l.

3) Hoc alii iam ab Agide, Eurysthenis filio, alii a Soo, alii ab Alcamene factum tradunt. Nimirum quod illi inchoarant Alcamenes perfecit. Vid. Strab. l. l. Plut. Lycurg c. 2. Pausan. III, 2, 7. Cf. Ritschel, sched. critt. (Hal. 1829. 8.) p. 7.

4) Tucyd. VIII, 40.

5) Id. I, 101. Theopomp. ap. Athenae. l. l. Pausan. IV, 23, 1. 24, 2. Post primum bellum qualis fuerit Messeniorum condicio Pausan. refert IV, 14, 13 allatis Tyrtaei versibus (p. 92 Bach) quos Muellerus p. 35. minus recte ad Helotas retulit.

6) Ex Muelleri computatione, quae nobis verior videtur quam Clintoni, qui Fast. Hell. p. 421 Krüg. centum septuaginta millia numerat.

7) Cf. Manso. Spart. III, 2 p. 80. Sed quam magna etiam posthac Helotarum multitudo fuerit ex eo apparet quod Aetoli aliquando quinquaginta millia eorum abduxisse traduntur a Plutarch. Cleom. c. 18. de cuius rei tempore, paucis ante Cleomenem IV annis, vid. Manso. p. 128 et Lucas. üb. Polybius Darstellung des aetolischen Bundes (Königsb. 1827. 4) p. 86.

8) *Δημόσιοι οἰκέται*, Ephor. ap. Strab. p. 365. *δοῦλοι τοῦ κοινοῦ*. Pausan. III, 20, 6.

que manumitti nisi publico consilio poterant, venum dari autem extra patriae fines ne a re publica quidem ex vetusta pactione [9]. Privatis, quorum heredia colebant, certam quandam frugum et fructuum mensuram quotannis ferebant [10]), supra quam exigi ab heris nefas erat et exsecrationibus sancitum [11]): quidquid igitur amplius collegissent sibi retinebant, quo factum est, ut non pauci facultatibus satis pollerent [12]). Praeterea ministeria vel apud heros [13]), vel si quis alius civis iis opus haberet [14]) obire et proficiscentes in bellum heros comitari solebant [15]): fuerunt etiam fortasse qui non privatorum sed rei publicae fundos incolerent et publicis ministeriis adhiberentur. Denique ex Helotis qui aetate et viribus valerent in Lacedaemoniorum exercitu militabant, numero quidem haud exiguo, sed armis plerumque tantummodo velitaribus [16]), aut in classe, postquam maritimis quoque bellis Lacedaemonii operam dare coeperant, tanquam nautae sociique navales [17]): quodsi qui ad gravem armaturam conscriberentur, id quod bello Peloponnesiaco saepius factum est, his pro praemio libertas promitti solebat [18]).

---

9) Ephor. l. l. cf. Müller p. 34.

10) Plutarch. Lycurg. c. 8: *ἀποφορὰν φέρειν ἀνδρὶ μὲν ἑβδομήκοντα κριθῶν μεδίμνους, γυναικὶ δὲ δώδεκα, καὶ τῶν ὑγρῶν καρπῶν ἀναλόγως τὸ πλῆθος.* cf. c. 24, et Müller p. 36.

11) Plutarch. Institt. Lacon. no. 40. tom II. p. 180. ed. Tauchn.

12) Hoc apparet e Plutarch. Cleom. c. 23. Etiam Thessalorum penestas nonnullos locupletes fuisse Athenaeus docet VI, 85 p. 264 ex Archemacho.

13) Plutarch. comp. Lycurg. c. Numa c. 2: *ἡ περὶ τὸ δεῖπνον καὶ ὄψον διακονία.*

14) Xenoph. de re publ. Lac. c. 6, 3. Aristot. Polit. II, 2, 5. Plutarch. Institt. Lac. no. 10 p. 175.

15) *Θεράποντες, ἐρυκτῆρες, ἀμπίτταρες* (*ἀμφιστάντες.*) Vid. qu. laud. Müller. p. 38.

16) Cf. Herodot. IX, 10 cl. 28.

17) Xenoph. Hell. VII, 1, 12. Hi *δεσποσιοναῦται* dicti videntur, Myron ap. Athenae. VI, 102 p. 271. extr. Eustath. ad Iliad. p. 1024. 45.

18) Thucyd. IV, 80. V. 34. VII, 19. Diodor. XII, 67.

§. IV.

Universam Helotarum condicionem, etiamsi venalium servitute aliquanto meliorem[1], satis tamen duram ac molestam fuisse apparet, quippe qui glebae adscripti agrique non sui cultores, omnis honoris ac libertates civilis expertes sub alieno arbitrio vitam agerent. Quamobrem fieri non poterat, quin multi sortis suae pertaesi quamlibet vindicandi sui occasionem studiose arriperent[2], nec mirum Spartanos omni modo sibi cavendum putasse, ne quid illi spiritus ac virium caperent, neve periculum dominis crearent[3]. Huc spectabant quum alia multa[4] tum imprimis cryptiae institutum: dimissae certis temporibus adolescentum Spartanorum catervae qui omnes Helotarum regiones quam poterant occultissime et interdiu et noctu circuirent, ipsis studiose invigilarent et quisquis delinquere aliquid aut moliri videretur contra rei publicae commodum, hunc celeriter coercerent aut e medio tollerent[5]. Non tamen omnis ad libertatem via Helotis interclusa erat. Nam primum qui fidelem in bellis operam praestitissent saepenumero manumittebantur[6]: deinde non raro ex Helotarum pueris

---

1) Hinc etiam μεταξὺ ἐλευθέρων καὶ δούλων fuisse dicuntur a Polluce III, 83.

2) Aristot. Polit. II, 6, 2.

3) Thucyd. IV, 80.

4) Conf. Myron ap. Athenae. XIV, 84 p. 657. Quamquam nonnulla eorum quae ab hoc invidiose proferuntur satis confutavit Müller p. 40, qui etiam contra Plutarchi relationem, Lycurg. c. 28, conferendus est p. 41. Quid de Myrone iudicandum sit Pausanias ostendit IV, 6, 2.

5) Ita se rem habuisse colligi potest comparatis inter se Plutarch Lycurg. c. 28. et Plat. Legg. I p. 633 c. p. 763 B. Schol. ad Plat. Legg. tom. VI. p. 515 Tauchn. Cohortem Spartanorum κρυπτίαν v. κρυπτείαν dictam etiam in exercitu militasse apparet e Plutarch. Cleom. c. 28. In univers. cf. Müller. p. 42. Manso. I, 2 p. 141. Heyn. Comm. Gott. IX. p. 30. Lachmann. p. 149. C. F. Hermann. de vestigiis institutt. vett. per Platonis de legibus libros indagandis (Marburg. 1836) p. 31.

6) Vid. §. 3, 18.

Spartani patres filiis suis sodales sumebant, qui civilis disciplinae participes facti mox libertatem, multi etiam civitatem nanciscebantur [7]). Messeniaco autem bello secundo, quum civium penuria res publica laboraret, ad viduarum matronarum connubia Helotae vocati hisque non libertas solum sed etiam civitas data esse perhibetur [8]). Atque hi quidem *ἐπεύνακτοι* vocati sunt: alios libertinos *νεοδαμώδεις* dixerunt [9]), qui media quodammodo inter cives et peregrinos condicione fuisse videntur, quemadmodum apud Romanos qui Latini Juniani vocantur. — Ceterum fuerunt apud Spartanos etiam venales servi, sed admodum pauci [10]).

§. V.

Perioeci dicti sunt qui circa Spartam Spartanorumque agros habitabant, Achaicae stirpis homines [1]) victoribus Doriensibus iniquo foedere

---

7) Hi *μόθακες* dicuntur aut *μόθωνες*. Vid. Phylarch. ap. Athenae. VI, 102 p. 271. (I. F. Lucht, Phylarchi histor. fragm, Lips. 1836. 8. p. 103.) Plutarch. Cleom. c. 8. Aelian. V. H. XII, 43. Harpocr. Hesych. s. v. Schol. Aristoph. Plut. v. 279. Cf. C. F. Hermann, de cond. atque origine eorum qui Homoei ap. Lac. dicebantur. (Marburg. 1832.) p. 10. Müller. Dor. II. p. 45. Inter *μόθωνας* et *μόθακας* hoc fortasse discriminis fuit, ut illo nomine ante manumissionem vocarentur, hoc post adeptam libertatem. Cf. Lachmann. p. 295. Ex his etiam esse videntur quos Xenoph. commemorat Hellen. V, 3, 9, *νόθοι τῶν Σπαρτιατῶν — τῶν ἐν τῇ πόλει καλῶν οὐκ ἄπειροι:* nam credibile est eos plerumque legitimis filiis sodales datos, qui a patribus ex ancillis heloticis procreati essent: atque ita explicari potest, quod Lysander et Gylippus, qui *μόθακες* fuerunt (Aelian. l. l.) alter Aristocriti Heraclidae filius dicitur Plut. Lysand. c. 2, alter Cleandridae, Thuc. VI, 93.

8) Theopomp. ap. Athenae. VI, 101 p. 271. Justin. III, 5. Intt. ad Hesych. s. v. *ἐπεύνακτοι*.

9) Thucyd. V, 34 ibiq. intt. ap. Poppon. tom. III, 2 p. 528. Schneider. Ind. ad Xen. Hell. et Sturz. Lex. Xen. h. v. Add. Müller. p. 45. Manso. I, 1 p. 234. Fuerunt etiam qui *ἀφέται* et *ἀδέσποτοι* dicebantur, deteriore ut opinor quam Neodamodes iure. Myron ap. Athenae. l. l.

10) Cf. Müller. Dor. II p. 39 extr.

1) Videntur tamen praeter Achaeos etiam alii eadem condicione Spartanis subditi fuisse: nam ne de Minyis dicam, de quibus vid. Lachmann. p. 111, coll. 77—80, Cynurii certe vix dubi-

subiuncti. Horum quanta multitudo fuerit ex eo colligi potest, quod heredia tricies mille a Lycurgo aut, quod verius arbitror, a Polydoro assignata habebant [2]), oppidaque eorum aliquando haud minus centum fuisse dicuntur [3]). Omnis autem perioecorum regio in partes quasdam divisa fuit [4]), quibus magistratus praeerant a Spartanis impositi [5]): singulorum oppidorum rem publicam incolae ipsi administrasse, magistratusque oppidanos et curatores e suo numero creasse videntur [6]). Maioris autem rei publicae ac civitatis Spartanae prorsus expertes nec suffragium nec ius honorum neque connubium habebant [7]), sed tantummodo tributa conferebant [8]), militesque imperatos dabant,

tari potest quin perioecis adnumerandi sint. Horum terram primus Echestratus Agidis f. subiecisse dicitur, Pausan. III, 2, 3; postea diu inter Spartanos et Argivos controversa tandem post nobilem Othryadae pugnam circ. ol. 58 in illorum ditione per multa saecula permansit. Pausan. II, 38, 5. cf. Thucyd. V, 41. Et Sciritae quoque, Arcadiae populus, etiamsi distinguuntur a perioecis Xen. Hell. V, 2, 16, haud absimili tamen condicione fuisse videntur. De terra Sciritide vid. Steph. Byz. s. v. Σκῖρος. Xen. Hell. VII, 4, 21. Mueller. Dor. II p. 450. et de eorum in Spartanorum exercitu militia id. p. 242 et Haasium ad Xen. de re publ. Lac. p. 235.

2) Plutarch. Lycurg. c. 8 cf. et not. prox.

3) Steph. Byz. s. v. Αἴθαια et Αἰπωλία. cf. Mueller. Dor. I. p. 23. Horum oppidorum quum nonnulla in Messenia fuerint apparet non ante subactam Messeniam hanc distributionem factam esse: cum hac autem dubitari non potest quin etiam altera in 30000 heredia coniuncta fuerit, quamobrem hanc quoque eidem tempori, rege Polydoro, assignandam censui.

4) Quinque. Vid. Mueller. I p. 94. II p. 24. Sed post Messeniam subactam plures factas esse arbitror, decem fortasse.

5) Κυθηροδίκην in Cytheram insulam quotannis Sparta missum commemorat Thucyd. IV, 53. Et similes magistratus fortasse in ceteris partibus fuerunt bini, ut viginti essent universi. Atque hi esse videntur viginti harmostae a schol. Pind. Olymp. VI, 154 memorati. Cf. Haas. l. l. p. 286 et Lachmann. p. 181.

6) Vid. Mueller. II p. 39. Lachmann. p. 180.

7) Cf. Mueller. p. 24 sq. Quod ap. Thucyd. VIII, 22 Diniades περίοικος classi praefectus fuisse dicitur, non Spartanorum haec sed Chiorum classis fuit.

8) Συντελεῖν τῇ Σπάρτῃ. Strab. VIII, 5 p. 365. Cf. Lachm. p. 180.

quorum alii gravis armaturae alii velites erant [9]). Ceterum non agris solum colendis, sed opificiis quoque artibusque et mercaturae operam dabant [10]), Spartanae disciplinae legibus non adstricti [11]): universaque eorum condicio, praeter imminutum libertatis ius, nihil admodum grave ac molestum habebat, quam ob rem eos multo quam Helotas firmius in Spartanorum fide perstitisse videmus [12]).

§. VI.

Spartanis s. Spartiatis nomen ab urbe inditum, quam Dorienses Laconica potiti sedem imperii totiusque regionis caput fecerant: unde haec postea, terrae nomine in urbem translato, etiam Lacedaemon vocari coepit [1]). Doriensibus Spartiatis ab initio aliquot etiam aliarum stirpium homines admixti erant [2]): procedente tempore numerus eorum identidem Helotis suppletus est, qui Spartana disciplina instituti ad libertatem civitatemque pervenerunt [3]): etiam peregrinis nonnunquam di-

---

9) Thucyd. IV, 18. Herod. VII, 234. Mueller. p. 25 sq.

10) Thucyd. IV, 53. VII, 57. Mueller. p. 26 — 29.

11) Cf. Sosib. ap. Athenae XV, 15 p. 674, ubi *οἱ ἀπὸ τῆς χώρας* (h. e. *οἱ περίοικοι*) opponuntur *τοῖς ἐκ τῆς ἀγωγῆς παισίν*. Sed tamen mores etiam perioecorum a Spartanis magistratibus cum severitate coercitos esse demonstrare videtur Plat. Legg. I p. 637 B: *οὔτ᾽ ἂν ἐπ᾽ ἀγρῶν ἴδοις οὔτ᾽ ἐν ἄστεσιν ὅσων Σπαρτιάταις μέλει συμπόσια οὐδ᾽ ὁπόσα τούτοις ξυνεπόμενα.*

12) Cf. Mueller. p. 26.

1) Ita certe Pausan. III, 11, 1. Cf. Ael. Dionys. ap. Eustath. ad Iliad. p. 294, 41. quae sententia si vera est, Homerus Od. IV, 1 urbem Lacedaemonem per prolepsin dixisse censendus erit. Quamquam ambigua est eius loci interpretatio quum praesertim paullo post, v. 10, Spartam a Lacedaemone distinguat; et fuerunt etiam qui *αὐτῆς τῆς πόλεως τὸ μέν τι Λακεδαίμονα, τὸ δὲ Σπάρτην ἐκάλουν.* Didym. schol. ad Iliad. II, 581, id quod Lachmann. p. 123 arripuit, Spartam proprie eam partem dici statuens in qua arx fuerit. Ceterum cf. Mueller. Dor. I p. 93 et qu. laud. Nitzsch. ad Odyss. IV, 1.

2) Cf. Mueller. Orchom. p. 329, de Aegidis. Dor. II p. 30 sq. de Talthybiadis. Add. infr. §. 7 not. 6.

3) Vid. supra §. 4, 7. Cf. Teles ap. Stobae. serm. 40 p. 233.

sciplinae communione aditus ad civitatem datus esse videtur [4]): aliis autem haec perraro impertita [5]) ante Agin III et Cleomenem III, qui ut vires rei publicae augerent plurimos et Helotas et Perioecos et peregrinos quoque receperunt [6]). Spartanorum tribus tres erant, veteres illae Doricae, de quibus supra dictum est: harum denae erant curiae, quas Spartani obas dixerunt: obae rursus in gentes item denas divisae fuisse videntur, gentes denique in familias (οἴκους) tricenas, certe inde a Polydoro rege, ut universus harum numerus esset novem millium [7]). Post Cleomenem autem, plurimis alienigenis in civitatem receptis, vetus haec populi divisio abolita aliaeque tribus factae videntur ex urbis regionibus, quas quinque fuisse vix dubitari potest [8]).

---

4) Apud Xenoph. Hell. V, 3, 9 in Agesilai exercitu commemorantur ξένοι τῶν τροφίμων καλουμένων, quos licet non Spartiatas esse appareat, consentaneum tamen est facilius quam alios ad civitatem pervenire potuisse. Atque huc pertinet etiam Plutarch. Institt. Lacon. no. 21 tom. II p. 178 Tauchn., quamquam locus lacunosus et corruptus est.

5) Herodot. IX, 33 et 35. Cf. Plutarch. Dion. c. 17. Meurs. Miscell. Lacon. IV, 10.

6) Plutarch. Ag. c. 8. Cleom. c. 11 et 23.

7) De obis vid. Plutarch. Lycurg. c. 6. Mueller. Dor. II p. 78. Gentes (γένη) quod sciam a nemine diserte vocantur; sed quas Herodotus I, 65 commemorat τριακάδας probabile est gentes fuisse, quemadmodum hae apud Athenienses quoque τριακάδες dicebantur a familiarum quae in iis erant numero. Cf. Mueller. p. 81 sq. Lachmann. p. 133, qui tamen in eo fallitur quod denas gentibus familias, tricenas obis gentes tribuit, in errorem inductus falsa voc. τριακάς interpretatione, quam partem trigesimam significare credit, quum significet totum aliquod triginta partibus constans. Nam quod Aratus Phaenom. v. 554 et 702 (citatus a Boeckhio Corp. Inscr. I p. 900.) poetica licentia δυωδεκάδα dixit pro δωδεκατημορίῳ non opinor quidquam valere ad illam sententiam probandam.

8) *Μεσόα, Πιτάνα, Κυνόσουρα, Λίμναι* et, ut videtur, *Δύμα*. Vid. loc. ap. Mueller. II p. 49 et Boeckh. C. J. I p. 609. Has qui tribus vocant tituli et scriptores omnes sunt Cleomene recentiores, et mutationem qualem supra posui cum Cleomenis legibus coniunctam fuisse res ipsa ut credamus persuadet. Quamquam quum etiam a tyrannis Machanida et Nabide plurimos in civitatem adscriptos esse constet (Liv. XXXVIII. 34, 6) fieri potest,

§. VII.

Ordines civium aut classes e censu descriptae ab initio nullae erant [1]), sed pari omnes inter se iure et aequabili fere possessionum modo vivebant. Agrorum quos occupaverant omnium proprietatem quadammodo res publica habebat [2]): haec aliquam haud dubie partem ad publicas necessitates retinebat [3]), reliquos civibus possidendos dabat, aequatis quantum fieri poterat singulorum portionibus [4]). Procedente autem tempore, porlatisque subinde imperii finibus, quum propter auctam hominum multitudinem multis familiis possessiones suae non sufficerent, novae agrorum distributiones egentibus civibus factae sunt: cuiusmodi distributionum postrema rege Polydoro post Messeniam divictam instituta videtur, quo tempore universus portionum numerus factus est novem

---

ut his potius ea mutatio tribuum debeatur. Ceterum pro *Δύμας* Lachm. posuit *Σπάρταν*, nec multum ab hac ratione discedit Mueller, *πόλιν* ponens. Vid. Philological. Meuseum II p. 51. Haasius denique ad Xen. de r. p. L. p. 203 non quinque sed sex urbis regiones statuit, rationibus non satis validis permotus.

1) Aliter statuunt, sed temere et historiam suo arbitratu diffingentes, Kortuem, Wesen u. Schicksale der dorisch-lakonischen Ackergesetzgeb., in Schlossers u. Bercht's Archiv f. Gesch. u. Litt. tom. IV. et Lachmann. p. 128 sqq. Horum alteri satis respondit Hermann. de causis turb. ap. Laced. agr. aequalit. p. 17 sq., de altero ego dixi in diss. de ecclesiis Lacedaemoniorum (Gryph. 1836. 4). p. 10 sqq.

2) Nam vere proprii privatorum agri non erant, quos abalienare non liceret.

3) Cf. Mueller. Dor. II p. 190.

4) Plat. Legg. III p. 684 fortunam Spartanae rei publicae praedicat cui facile licuerit *ἰσότητά τινα τῆς οὐσίας* inter cives instituere absque invidiosis legibus agrariis aut tabulis novis, quum occupata Laconica copiam agrorum aequabiliter distribuendorum suppeditaret. Is igitur hanc aequabilitatem distributionis ad ipsa initia rei publ. refert, nec Lycurgi, quem alii primum huius auctorem perhibent, ullam mentionem facit. Et sane credibile est Lycurgum nec primum nec solum hoc instituisse, sed tantummodo aut novos agros civibus divisisse, aut etiam turbatam aliquo modo aequabilitatem restituisse. De Kortuemii et Lachmanni temeritate, qui omnem hanc de aequabilitate narrationem fabulis adnumerant conf. Hermann. l. l. p. 12 nosque l. l. p. 12. 13.

millium [5]), quum antea quattuor millia et quingentae, primo initio autem duo millia aut paullo amplius fuissent [6]). Neque tamen facile fuit hanc possessionum aequabilitatem perpetuo servari [7]). Quamvis enim nec abalienari heredia nec dividi liceret [8]), quo integrae semper familiis possessiones suae manerent, tamen si plures unius patris filios in eadem domo eodemque agro ali oporteret [9]), haec ipsa res, dispari in singulis familiis marium numero, non potuit non alias aliis aut pauperiores aut locupletiores facere: cui malo etiamsi saepenumero aut attribuendis agris vacantibus aut adoptionibus in orborum domos aut filiarum epiclerorum [10]) nuptiis aut etiam coloniis deducendis [11]) mederi licuit, non semper tamen ortam semel inaequabilitatem huiusmodi remediis plane

---

5) Cf. Mueller. p. 191 impr. not. 4. et de magnitudine sortium cf. Goettling. Herm. vol. 25 fasc. I p. 135.

6) Plut. Lycurg. c. 8. Isocr. Panath. c. 100: *οὐ πλείους δισχιλίων*. Apparet hunc numerum rotundum esse, nec intererat oratoris accuratius loqui etiamsi re vera fortasse 2400 *οἶκοι* fuerint. Ceterum probabile est auctum numerum non solum civium prole sed etiam receptis in civitatem multis eorum quos Spartani devicerant. Nam, ut ait Aristot. Polit. II, 6, 12: *λέγουσιν ὡς ἐπὶ τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν τῆς πολιτείας, ὥστ' οὐ γίνεσθαι τότε ὀλιγανθρωπίαν, πολεμούντων πολὺν χρόνον· καὶ φασιν εἶναί ποτε τοὺς Σπαρτιάτας καὶ μυρίους.*

7) Conf. imprimis C. F. Hermanni dissertationem de causis turb. ap. Laced. agr. aequal. Marburg. 1834.

8) Plutarch. Agid. c. 5. Institt. Lacon. no. 22. Heraclid. Pont. c. 2 p. 5 Koel.

9) E pluribus filiis unus haud dubie natu maximus pro herede erat: quo pertinere videtur Procli ad Hesiod. O. et D. v. 374 annotatio, Lycurgum censuisse *δεῖν ἕνα κληρονόμον καταλιπεῖν*. Is igitur reditus agrorum percipiebat et tanquam pater familias (*ἑστιοπάμων*) fratribus (*παώταις*) alimenta praebebat. Hemsterh. ad Iul. Poll. X, 3, 20. Hesych. s. v. *παῶται*. Valcken. ad Ammon. III, 7. Mueller. p. 193. Lachmann. p. 171.

10) Hae apud Dorienses *ἐπιπαματίδες* vocabantur aut *ἐπιπάμονες, αὐτοπάμονες, ἐμπάμονες, παμοῦχοι, πατροῦχοι*. Cf. schol. Aristoph. Vesp. 603 (581). Suid. s. v. *ἐπίκληρος*. Hemsterh. ad Hesych. I p. 1197. Ruhnken. ad Timae. s. v. *πατροῦχος*.

11) De his vid. Herod. I, 174. Aristot. Polit. II, 7, 1. III, 3, 1. Conon. narrat. 36. Mueller. Dor. I p. 125 sqq. II p. 193.

tolli potuisse apparet: quae ne latius serperet neve egenorum civium suboles nimis cresceret, factum non raro est, ut plures fratres in una domo consortes unius etiam inter se uxoris consortium haberent[12]). Rursus autem etiam augeri opibus supra ceterarum modum familiae poterant, si quando plures agri hereditatis iure ad unam pervenirent, neque plures essent in ea liberi, inter quos dividerentur[13]): idque tum praecipue fieri necesse erat, si quando clade aliqua magnus civium numerus absumptus esset filiis non relictis, qualis fuit e. c. ingens ille terrae motus, qui anno 466 ephebos plerosque interemit[14]). Accedebat tandem Epitadei lex, quae liberam cuivis agrorum vel donandorum inter vivos vel testamento legandorum potestatem permisit[15]): qua lege, quum facile locupletiores tenuiorum possessiones, summotis heredibus, ad se traherent, adeo paullatim et bonorum inaequalitas crevit, et hominum numerus imminutus est, ut Agidis III aetate e septingentis qui tunc erant civibus centum tantummodo agros haberent. Quamquam non omnis huius mali causa ab Epitadei lege repetenda est: nam plurimum haud dubie valuit etiam Messenia post Leuctricam pugnam Spartanis erepta. Sed posteaquam semel bonorum inaequalitas irrepserat mox etiam iuris inter cives aequalitas turbari atque ordinum quoddam discrimen existere coepit. Nam qui propter egestatem sumptui ad communia civium convivia ferendo impares essent, horum etiam civitatis ius

12) Polyb. Excerpt. Vatican. XII, 6. cf. Philological. Museum tom. II p. 70.

13) Cf. Hermann. de causis etc. p. 44. Lachmann. p. 177.

14) Thucyd. I, 101. Diodor. XI, 63. Plutarch. Cimon. c. 16 aliique ap. Poppon. ad Thucyd. l. l.

15) Plut. Agid. c. 5. Latam hanc legem esse post Lysandri aetatem ipsa Plutarchi verba demonstrant, sed iam valuisse Aristotelis aetate ex huius verbis Polit. II, 6, 10 manifestum fit, quamquam Aristoteles non recte Lycurgo tribuit quod Epitadeo tribuendum erat.

imminutum esse constat[16]), neque dubium videtur quin hi praecipue fuerint, qui *ὑπομείονες* dicuntur opponunturque *τοῖς ὁμοίοις* s. civibus pari inter se et optimo civitatis iure gaudentibus[17]). Attamen ad homoeorum dignitatem retinendam non satis erat census idonea magnitudo, sed requirebatur etiam vita civili disciplinae conveniens, contra quam qui gravius deliquissent, aut qui puerili institutione ea, quam leges homoeis praescribebant, non usi essent, hi et ipsi *ὑπομείονες* fiebant[18]), etiamsi facultatibus satis pollerent. Quamquam factum videtur, antiqua severitate amissa, ut aliquanto maior facultatum et generis quum vitae ac morum ratio haberetur[19]). — His autem duobus *τῶν ὁμοίων* et *τῶν ὑπόμειονων* ordinibus adnumerandus est etiam tertius *τῶν νεοδαμωδῶν*, quos civitatis non prorsus expertes fuisse ipsum nomen demonstrat[20]), deteriore tamen quam veteres cives iure fuisse apparet: quamquam qualis eorum condicio fuerit accuratius definire non licet[21]).

---

16) Aristot. Polit. II, 6, 21. 7, 4.

17) Xenoph. de r. p. Lac. X, 4 (7). Demosth. Leptin. p. 489. Xenoph. Hellen. III, 3, 5. Cf. Mueller. Dor. II p. 83. C. F. Hermann. de conditione atque origine eorum qui Homoei ap. Laced. dicebantur. Marburg. 1832. 4. Haas. ad Xenoph. r. p. L. p. 183 et 320. Homoeos nonnunquam Spartiatas *κατ' ἐξοχὴν* dici iam Muellerus observavit p. 84, et post hunc Lachmann. p. 119 sqq. quamquam hic multos locos perperam interpretatur et in universum de homoeis ea profert quae probari nullo modo possint. Ceterum satis mature homoeorum ordinem extitisse conieceris ex Arist. Polit. V, 6, 1 si certum esset hunc accurate loquutum esse.

18) Xenoph. l. l. *εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι τοῦτον ἐκεῖ ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων.* cf. id. III, 3. Plut. Institt. Lac. no. 21. Supra verum rem auget Teles ap. Stobae. serm 40 p. 233: *τὸν μὴ ἐμμένοντα (τῇ ἀγωγῇ), κἂν ἐξ αὐτοῦ τοῦ βασιλέως ᾖ, εἰς τοὺς εἵλωτας ἀποστέλλουσιν.*

19) Hinc Cinadonis indignatio apud Xenoph. Hellen. III, 3, 11.

20) Nam *δαμώδεις* apparet *δημότας* esse; hi autem cives sunt Tyrtae. fr. ap. Plut. Lycurg. c. 6. Obscura sunt Hesychii verba: *δαμώδεις δημόται ἢ οἱ ἐντελεῖς παρὰ Λάκωσι:* sed videtur *ἐντελεῖς* dicere cives optimo iure.

21) Lachmanni hariolationes referre non opus est.

§. VIII.

Forma omnis Spartanorum rei publicae, senatus, comitiorum, magistratuum, iudiciorum totiusque civilis disciplinae descriptio a plerisque ad Lycurgum auctorem refertur, quem turbatam diu intestinis discordiis civitatem [1]) legibus latis ordinasse et confirmasse volunt. Sed quae de huius vita et aetate traduntur adeo pleraque fabulosa sunt et inter se pugnantia [2]), ut nonnulli fictam potius personam quam testatam historiae fide memoriam Lycurgi existimaverint [3]). Nos etiamsi fuisse quendam Lycurgum Spartanorum legislatorem non dubitamus, tamen quando is vixerit quaeve ab eo leges latae sint non arbitramur certo dignosci posse: pleraque autem eorum, quae a Lycurgo instituta perhibentur, non unius hominis consilio excogitata, sed ex ipsius populi indole atque ingenio sua quasi sponte prognata paullatim invaluisse censemus [4]), ut non absurde ipsis veteribus numini potius divino quam humanae prudentiae tribuenda et ad Apollinem, patritum Doricae gentis deum [5]), referenda visa sint [6]).

---

1) Herodot. I, 65. Plut. Lycurg. c. 2. Thucyd. I, 18.

2) Vid. Plutarchi ipsius professionem Lycurg. c. 1. Cf. Mueller. Dor. I p. 137. Clinton. Fast. Hellen. p. 408 not. t. Krische de Pythagora p. 10.

3) J. C. G. Winkelmann, de dignitate rei publ. Spartan. (Berolin. 1826. 8.) p. 50.

4) Non omnia nova Lycurgum instituisse, sed pristinos mores atque instituta gentis revocasse, consentiens est prudentissimorum virorum iudicium, Muelleri Dor. II p. 14 sq. Schlosseri, Universalhistor. Uebersicht etc. I, 1 p. 370. Goettlingii ad Aristot. Polit. p. 463. C. F. Hermanni, de caus. turb. aequal. p. 17. Cf. et Nitzsch. de historia Homeri I p. 56.

5) Vid. Boeckh. explicatt. Pind. p. 288. Mueller. Aegin. p. 150. Dor. I p. 199 sqq.

6) Cf. Plat. Legg. 1 init. et Ast. comm. p. 6. — Etiam ῥήτρας, quo nomine leges apud Spartanos vocabantur, fuerunt qui χρησμοὺς interpretarentur. Plut. Lycurg. c. 13. Sed significat haec vox apud Dorienses et Aeolenses etiam pactum vel decretum humanum, nulla divinae auctoritatis significatione adiuncta. Cf. Inscript. Eliaca in Corp. Inscr. no. 11. Decret. Byzant. ap. De-

§. IX.

Fuit autem genus imperii antiquitus ex regum, optimorum et populari potestate mixtum et temperatum [1]), quum summa rerum penes senatum populumque esset, his autem reges tanquam praesides et moderatores praepositi. Senatores octo et viginti vel regibus adnumeratis triginta numero erant [2]), qui numerus quum obis respondeat, non inepte nonnulli singulos ex singulis obis fuisse coniecerunt [3]). Creabantur populi universi suffragiis per acclamationem, sed tantummodo e senioribus, qui sexagesimum aetatis annum explessent vitaque et moribus prae ceteris probati essent [4]): ex quo apparet, postquam homoeorum ordo a ceteris discerni coeperat, senatores non potuisse nisi ex homoeis creari [5]). Dignitatem

---

mosth. or. de coron. p. 255 (quem locum Schaeferus perperam interpretatur: recte Mueller. Dor. II p. 170.) Plutarch. Agid. c. 5. 8. 11. Ruhnken. ad Timae. s. v. ῥήτρα. Boeckh. ad C. J. I p. 28. Boissonad. in Diar. classico (Classical Journal.) vol. XX p. 287. Nitzsch. de hist. Hom. p. 52.

1) Polyb. VI, 3, 8. Plut. Lycurg. c. 5. Tyrtaei fragm. Eunomiae 2 p. 84 Bach. Aristocraticam Spartanae rei publ. formam multi dixerunt; sed nonnulli etiam democraticam. Isocr. Areop. c. 24 ibiq. Bergmann. p. 162 sq. Cf. et Aristot. II, 3, 10 et Archyt. ap. Stobae. tom. II p. 168 Gaisf., quamquam hi loci minus ad antiquiorem rei publ. formam spectant.

2) Plut. Lycurg. c. 5.

3) Mueller. Dor. II p. 79. Goettling. ad Aristot. Pol. p. 468. Add. Lachmann. p. 156, cuius commenta de duobus senatibus, Hylleensium et Dymanum, cui tertius a Lycurgo additus sit e Pamphylis, refutare nihil attinet. Ceterum admodum incerta est ista de senatoribus ex obis singulis coniectura, quandoquidem neminem e veteribus, etiam qui in causas numeri senatorum data opera inquisiverunt, de obis cogitasse apparet e Plutarch. l. l.

4) Πρεσβυγενέες in rhetra ap. Plut. Lyc. c. 6. cf. Mueller. II p. 91. Modum creandi, a Plutarcho c. 26 accurate descriptum, Aristot. II, 6, 18 ait παιδαριώδη κατὰ τὴν κρίσιν, fortasse quia haec ipsa κρίσις illa aetate non recte magisque dicis causa quam vere agebatur. Olim certe ut ipse dicit §. 15 et Demosth. Leptin. p. 489 senatoria dignitas ἆθλον ἀρετῆς erat. Non sine petitione creatos esse Aristot. reprehendit §. 18.

5) Arist. II, 5, 8 senatorum αἵρεσιν δυναστευτικὴν vocat ex quo

perpetuam, non annuam, habebant [6]), nullique erant ad rationem reddendam obnoxii [7]). Munus duplex, ut iudicia quaedam exercerent de capite civium [8]) ac de regum delictis [9]), et ut consulerent de re publica. Consulta autem Senatus, si non omnia, at certe pleraque ad populum ferri oportebat, cuius suffragiis aut comprobarentur aut antiquarentur [10]).

§. X.

Populi concilia aut ordinaria erant, quae ex lege certis temporibus convocabantur loco suburbano inter Babycam et Cnacionem [1]), aut extraordinaria, ubi res posceret a magistratibus indicta [2]), quibus ius erat cum populo agendi. Lato ad populum Senatus consulto ad suadendum, si opus videretur, verba fiebant a magistratibus: privato nemini concionari licuit [3]), nisi forte venia

---

conieceris illa aetate plerumque e certis tantum familiis creari solitos.

6) Arist. II, 6, 17. Polyb. VI, 45, 5. Plut. Lyc. l. l. et Ages. c. 4.

7) Arist. l. l. §. 18. et c. 7, 6.

8) Xenoph. de r. p. L. 10, 2. Cf. Arist. III, 1, 7. Plut. Lycurg. c. 26.

9) Pausan. III, 5, 3.

10) Hinc Plut. Agid. c. 11: *οἷς τὸ κράτος ἦν ἐν τῷ προβουλεύειν.* Multarum tamen rerum senatus ipse per se arbitrium habuit; *κύριον τῶν μεγίστων* Plut. dicit Lyc. 26. *κύριον μεγάλων κρίσεων* Aristot. II, 6, 17 ubi cave ne *κρίσεις* de iudiciis tantum accipias.

1) Vid. rhetram ap. Plut. Lycurg. c. 6: *ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν μεταξὺ Βαβύκας καὶ Κναχιῶνος.* In his *ὥρας ἐξ ὥρας* interpr. certis temporum vicibus, docetque Schol. Thucyd. I, 67 ordinaria comitia plenilunii tempore haberi solita. Babycam Plut. pontem, Cnacionem rivum fuisse dicit. Cf. Mueller. Dor. II, 87. De *ἀπελλάζειν* vid. id. p. 85 not. 2 et Schneider. Lex. h. v., rectius haud dubie statuentes quam Goettling. Herm. 1825. I p. 143. *Ἀλίαν* Spart. comitia Herod. VII, 134 dicit, vocabulo apud Dorienses usitatissimo. Cf. de sortitione iudic. (Gryph. 1820. 8) p. 37. Mueller. p. 86. Posteriore tempore etiam in Sciade, quod aedificium in urbe erat, comitia habebantur. Pausan. III, 12, 8.

2) Herodot. VII, 34.

3) Plut. Lycurg. c. 26.

a magistratibus impetrata, neque ipsius populi ius amplius fuit nisi ut aut comprobaret Senatus consulta ant antiquaret [4]). Quodsi tamen aliquid praeter Senatus auctoritatem aut additum aut demptum aut immutatum esset populi scito [5]), id senatui et regibus irritum facere licuit [6]). Sed fiebat tamen nonnunquam, si aut non convenisset de aliqua re in Senatu [7]), aut si quacunque de causa rem integram populo permitti placuisset [8]), ut liberiorem comitia disceptandi et sciscendi potestatem haberent. Suffragium habebant cives triginta annis non minores [9]), nisi si quis capite deminutus per *ἀτιμίαν* esset [10]). Quod nonnullis visum est etiam perioecos nonnunquam aut perioecorum delegatos comitiis interfuisse, parum habet probabilitatis [11]). Ferebatur suffragium non calculis neque porrectis manubus, sed clamore: nonnunquam tamen, si ex clamore populi voluntas non satis cognosci poterat, in partes discedere iubebantur [12]). — Posterioribus autem rei publicae

---

4) Rhetrae verba, *δάμῳ δὲ τὰν κυρίαν ἦμεν καὶ κράτος* (ita scrib. videtur cum Sinteni ad Plut. Pericl. p. 285.) ipse Plutarch. explicat: *τὴν ὑπὸ τῶν γερόντων καὶ τῶν βασιλέων προτεθεῖσαν γνώμην ἐπικρῖναι κύριος ἦν ὁ δῆμος,* in quo inest necessario etiam reprobandi ius, quod miror a Goettlingio ad Aristot. Polit. p. 478 et Lachmanno p. 199 in dubium vocatum esse. Cf. dissert. nostr. de ecclesiis Lacedaemonior. p. 19 sq.

5) Apparet hoc fieri non potuisse nisi rogationibus praeter Scltum ad populum latis sive ab aliquo magistratu aut senatore sive etiam a privato ad verba facienda admisso. Ceterum cf. Manso I p. 247. sq.

6) Lege Theopompi et Polydori: *αἰ δὲ σκολιὰν ὁ δᾶμος ἕλοιτο, τοὺς πρεσβυγενέας καὶ ἀρχαγέτας ἀποστατῆρας εἶμεν,* de qua cf. Mueller. p 85. Nitzsch. de histor. Hom. I p. 54. Franck. Callin. p. 199.

7) Plut. Agid. c. 9.

8) Conf. diss. de eccles. Laced. p. 20 sq.

9) Plut. Lycurg. c. 25. Minus recte argum. Liban. decl. 24 tom. IV, 420: *τὸν εἴσω τριάκοντα ἐτῶν μὴ δημηγορεῖν* pro *μὴ ἐκκλησιάζειν.*

10) Cf. infra §. 14.

11) Crag. I c. 7. Mans. I p. 92. Tittmann. p. 89 et contra hos Mueller. II p. 24 sq.

12) Thucyd. I 87.

temporibus, quum homoeorum et inferioris civium ordinis discrimen invaluisset, etiam minora quaedam comitia commemorantur, ad quae, excluso inferiore ordine, homoei tantummodo convocati esse videntur [13]). Rerum ad populum latarum genera haec fere invenimus: de magistratuum quorundam ac de Senatorum creatione [14]), de controversis regum successionibus [15]), de manumittendis Helotis [16]), de legibus sanciendis aut abrogandis [17]), denique de bello, pace, foederibus [18]): sed quaenam ex his in maximo comitiatu, quae in minori concilio agenda fuerint non satis liquet, nec fuit fortasse legibus accurate definitum [19]).

§. XI.

E magistratibus primo loco **reges** commemorandi sunt, *ἀρχαγέται* etiam et *βαγοὶ* dicti [1]). Bini erant stirpis Heraclidarum, ex Agidarum et Eurypontidarum familiis, quarum origo ab Eurysthene et Procle, Aristodemi filiis geminis, repetebatur [2]). In his regnum successionis ordine ad

---

13) *Μικρὰν ἐκκλησίαν* unus diserte commemorat Xenoph. Hell. III, 3, 8, cuius non participes *τοὺς ὑπομείονας* fuisse ex omni illa narratione satis apparet. Tittmannus p. 100 hanc magistratuum tantummodo, Lachmann. p. 204 senatorum regum et ephororum fuisse vult. Sed vid. Mueller. II p. 87 et nostram diss. de eccles. Laced. p. 9 sqq. Hermannus de Homoeis p. 15 hanc parvam concionem *τοὺς ἐκκλήτους τῶν Λακεδαιμονίων* esse vult, quos aliquoties Xenoph. commemorat: sed vix recte. Vid. diss. nostr. p. 6. 7.

14) Plut. Lycurg. c. 26. Iustin. III, 3, 1.

15) Xenoph. Hell. III, 3, 4. Cf. Polyb. IV, 35, 9.

16) Thucyd. V, 34.

17) Plutarch. Agid. c. 9. Apophthegm. Lac. tom. II p. 108 Tauchn. no. 52. Agesil. c. 20.

18) Herodot. VII, 149. Thucyd. I, 67 sq. V, 41. V, 77. VI, 88. Xenoph. Hell. VI, 3, 3. V, 2, 11. 23. 33. IV, 6, 3. III, 2, 23. II, 4, 38. VI, 4, 2. Plut. Ages. c. 6. Polyb. IV, 34, 7.

19) Cf. diss. de eccles. Lac. p. 6.

1) *Ἀρχαγέται* in duabus rhetris ap. Plut. Lycurg. c. 6. *Βαγοὶ* ap. Hesych. s. v. cf. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 83.

2) Herod. VI, 52. Pausan. III, 1, 5. cf. Meurs. de regno

defuncti regis filium natu maximum [3]), si filii nulli essent aut non idonei qui regnarent [4]), ad fratrem aut proximum agnatum deferebatur [5]), sed ita ut nunquam duo unius familiae reges essent [6]). Aetate minoribus tutores dati agnati proximi, qui imperium administrarent: hi *πρόδικοι* dicti [7]). Convicti gravioris delicti reges amoveri poterant; nec tamen hac re filiorum ius succedendi imminuebatur [8]). Potestas regum maxime similis erat ei quae heroica aetate apud ceteros quoque Graecos fuerat, ut principes essent publici consilii, ut iudicia exercerent, exercitus ductarent, sacra denique pro civitate facerent. Et Spartani quidem reges quum aliorum sacrorum plurimorum procurationem habebant, tum sacerdotio fungebantur Iovis Coelestis et Iovis Lacedaemonii [9]). Praesidebant Senatui, eumque de negotiis ad rem publicam pertinentibus consulebant: in suffragiis autem ferendis pari cum ceteris iure erant [10]). Populi concilia cum senatoribus moderabantur. Sed in his pariter ac in senatu mox crescens ephororum potestas regum auctoritati magnopere officiebat. Iurisdictionem habebant de epiclerorum nuptiis

---

Lacon. I c. 9. Plane diversam a vetere traditione historiam Lachmanno comminisci placuit p. 135 sqq.

3) Ita tamen, si hic patre iam regnante natus esset. Nam alias minor filius, sed in regno patris natus, maiori ante regnum nato praeferebatur, teste Demarato ap. Herodot. VII, 3.

4) Velut si corpore non integro essent: nam id impedimento fuisse colligas e Xenoph. Hellen. III, 3, 3. Plut. Ages. c. 3.

5) Cf. Mueller. II p. 101.

6) Corn. Nep. Ages. I, 3. cf. Plut. Cleom. c. 11 extr.

7) Plut. Lycurg. c. 3. cf. Pausan. III, 4, 7.

8) Ita Plistonacte damnato regnum maior filius Agesipolis ac dein minor Cleombrotus cepit. Plut. Agid. c. 3.

9) Herodot. VI, 57. Xenoph. de r. p. L. XIII (XV) 2 ibiq. Haas. p. 250. Add. Arist. Polit. III, 9, 2.

10) Thucyd. I, 20, qui obloquitur vulgari opinioni de duobus regum calculis, in qua Herodotum quoque (VI, 57) fuisse temere nonnulli negarunt.

aliisque haud dubie rebus, quae cum familiarum iuribus coniunctae essent: hinc etiam adoptiones apud eos fieri oportebat. Porro viarum publicarum curam quandam gerebant controversiasque de iis ortas dirimebant [11]). Belli tempore omne militare imperium penes reges erat [12]), qui quum antiquitus ambo simul exercitui praeesse solerent, postea, ne frequentes inter eos discordiae rei gerendae obessent, lege cautum est ut alterutri tantum imperium committeretur [13]). Posteaquam autem longinqua et multiplicia bella Spartani gerere coeperunt, non raro etiam alii quam reges exercitibus imperatores dari soliti: nec fere unquam regi cum terrestri imperio simul etiam classis permissa [14]). In consilio regibus erant polemarchi: postea additi etiam tres viri ex homoeorum ordine, qui imprimis commeatuum aliarumque necessitatum curam gererent [15]): praeter hos ephori duo ad inspiciendam militarem disciplinam, quos et ipsos rex si vellet consilio adhiberet [16]). Nonnunquam autem etiam alii plures regi tanquam consiliarii et custodes dati, quorum auctoritate et consiliis regeretur [17]). Revocari porro ab exercitu a domesticis magistratibus poterat [18]) et propter rem male gestam poena affici [19]), ut non domi solum sed etiam foris nomine magis quam imperio reges fuisse dicendi sint [20]). Huc accedit quod divisam inter duos potestatem propter id

---

11) Herodot. l. l. Cf. Mueller. II p. 103.

12) Thucyd. V, 66. Xenoph. de r. p. L. XV (XIII) 2. XIII, 10, 11 (XV, 8, 9). Aristot. III, 9, 2.

13) Herodot. V, 75. cf. Xenoph. Hell. V, 3, 10.

14) Plut. Ages. c. 10. cf. Arist. II, 6, 22.

15) Xenoph. de r. p. L. XIII (XIV) 1 cum Haasii not. p. 264.

16) Xenoph. l. l. §. 5. Haas. p. 270. Hellen. II, 4, 36.

17) Thucyd. V, 63. Diodor. XII, 78. Plut. Pericl. c. 22.

18) Thucyd. I, 131. Xenoph. Ages. I, 36. Hellen. IV, 2, 3. Plut. Ages. c. 15. Apophth. Lac. n. 39. 41. p. 105.

19) Thuc. l. l. et I, 114. Plut. Pericl. c. 22. Pausan. III, 5, 3.

20) Corn. Nep. Agesil. c. 1, 2.

ipsum minui necesse erat[21]. Et quo minus legitimos potestatis terminos obliviscerentur, iure iurando quot mensibus obstringebantur ab ephoris[22], nono autem quoque anno his de coelo servare ius erat, essentne reges in imperio relinquendi an amovendi[23]. Cultus regum tali potestati consentaneus h. e. non magnopere ultra privatorum modum[24]. Domicilium antiqua simplicitate aedificatum et instructum[25], victus de publico datus in communibus civium syssitiis[26], reditus ex agris in perioecorum regionibus satis lauti[27], praeterea victimarum omnium partes[28], et suilli pecoris primitiae[29], locus in omni consessu princeps, et ut advenienti regi adsurgerent omnes praeter ephoros[30]. Mortuis autem honores summi et paene plus quam humani habiti, luctusque publicus et decem dierum iustitium indictum[31].

§. XII.

Sequuntur ephori, quos alii a Lycurgo, alii Theopompi demum aetate institutos perhibent[1].

---

21) Arist. Polit. II, 6, 20.

22) Xenoph. de r. p. L. XV (XIII), 7 ibiq. Haas. p. 257.

23) Plut. Agid. c. 11. cf. Mueller. Dor. II p. 100.

24) Xen. l. l. §. 8.

25) Id. Ages. c. 8. Corn. Nep. Ages. c. 7. In eadem ambos domo habitasse, quod Manso III, 3 p. 330 et Mueller. II p. 107 e Xenoph. Hell. V, 3, 20 collegerunt, ex hoc certe loco non consequitur. Vid. not. sq.

26) Herod. VI, 57. Xenoph. de r. p. L. XV (XIII), 4, ubi *σκήνην* de coenaculo recte interpretatur Haas. p. 253, atque etiam alterum locum V, 3, 20, *συσκηνοῦσι βασιλεῖς ἐν τῷ αὐτῷ*, non de communi domicilio sed de mensa communi accipit. cf. de r. p. L. V, 2.

27) Xenoph. l. l. XV (XIII), 3.

28) Certe earum quae in publicis sacris aut in bello pro exercitu mactabantur. Herod. VI, 56. 57. Xen. l. l.

29) Xenoph. l. l.

30) Herodot. VI, 57. Xenoph. l. l. et §. 6.

31) Herodot. l. l. c. 58. Xenoph. l. l. §. 9. Hellen. III, 3, 1.

1) A Lycurgo Herod. I, 65. Plat. epist. 8. Xenoph. de r. p. L. 8, 3. Satyrus ap. Diog. Laert. I, 3, 1 p. 45 Huebn. Stobae. serm

Horum potestas a parvis initiis adeo paullatim crevit, ut totius rei publicae haud dubie principes fierent. Nam quum antiquitus nihil nisi iurisdictionem habuisse videantur de privatorum controversiis [2]), adiuncta fortasse cura disciplinae [3]), mox etiam de administratione magistratuum domi forisque cognitionem sibi sumpserunt [4]), eosque non solum postquam abierant honore, sed etiam dum in magistratu aut cum imperio erant [5]), citare ad causam dicendam, mulcta afficere, in carcerem coniicere, capitis accusare poterant [6]), quod quidem ius etiam adversus ipsos reges non raro usurpabant [7]). Postremo etiam cum senatu populoque agendi potestatem nacti sunt [8]), eaque ita usi, ut nihil fere ab utroque nisi per ipsos ageretur, ac saepenumero etiam de gravissimis rei publicae ne-

---

p. 288 Gesn. — A Theopompo Plat. Legg. III, 11 p. 692 ubi cf. Ast. p. 174. Arist. Polit. V, 9, 1. Plutarch. Lycurg. c. 7 et 27. Cleom. c. 10. Cic. de re publ. II, 33. de Legg. III, 77 aliique multi. Nonnulli etiam a Chilone. Diog. Laert. l. l. Cf. Crag. II c. 4. Meurs. Misc. Lac. II, 4. Manso I, 1 p. 243. Tittm. p. 104. Mueller. Dor. II p. 112. Platner. in Tuebing. iurist. Zeitschrift V, 1 p. 23. Wachsmuth. I, 1 p. 222. Lachm. p. 161.

2) Arist. Polit. III, 1, 7. cf. Mueller. p. 115.

3) Schol. Thuc. I, 84. Agatharch. ap. Athenae. XII p. 550 D. Aelian. V. H. III, 10. XIV, 7. cf. Xenoph. de r. p. L. IV, 3, 6. Haas. p. 97. Sext. Empir. adv. Mathem. p. 68. b. Plut. Institt. Lac. no. 17. Apophth. Lac. t. II p. 129 Tauchn. de sent. prof. in virt. c. 13. Agid. c. 10. Lysand. c. 19. Herod. III, 148. Mueller. p. 121.

4) Arist. Polit. II, 6, 18.

5) Xenoph. l. l. VIII, 4.

6) Id. ib. cf. Hellen. V, 4, 24. Damnare capitis haud dubie ephori non poterant, sed senatus tantum. Cf. Mueller. p. 119 not. 8. — Hoc loco obiter etiam de scytalis dicendum, quibus utebantur ad mandata magistratibus foris agentibus occulte perscribenda. Gell. N. A. XVII, 9. Schol. ad. Arist. Av. 1283. ad Thuc. I, 131. Intt. ad Corn. Nep. Pausan. c. 3.

7) De forma iudicii in causis regum capitalibus vid. Pausan. III, 5, 3. Mueller. p. 118 sq.

8) Initio fortasse regum mandatu, quum ipsi propter bellum Sparta aberant. Ita explicari possit quod Plut. Cleomenem (vit. Cl. c. 10) dicentem facit: quamquam is τὸ κρίνειν tantum diserte commemorat. Ceterum cf. Plut. Agid. c. 5 et 9. Thucyd. 1, 87.

gotiis statuendi liberam populus potestatem ipsis permitteret [9]. Denique etiam aerarium rei publicae et vectigalia ephori administrasse videntur [10]. Ut ipsis omnes, ita ipsi nemini obnoxii erant neque ad rationem reddendam cogi poterant nisi a suis successoribus [11]. Augebat potestatem etiam superstitio, quum incubantes in templo Pasiphaae aut de coelo certis temporibus servantes signis consiliisque divinis moneri crederentur [12]. Ceterum magistratus ephororum popularis fuit propterea quod oppositi erant regum atque senatorum aristocratiae [13]: ipsi enim non perpetuam, ut illi, dignitatem habebant, sed quotannis a populo creabantur [14], et quidem etiam ex tenuissimis [15]. Numero erant quinque [16]: sedes in foro habebant, et commune syssitium [17]. Princeps collegii anno nomen dabat [18]: pleraque de communi collegarum

9) Vid. exempla ap. Mueller. p. 122 sq.

10) Plut. Lysand. c. 16. Diod. XIII, 106. Plut. Agid. c. 16 (?). Mueller. p. 125.

11) Hinc Plato Legg. IV, p. 712 D. et Arist. Pol. II, 6, 14 potestatem eorum cum tyrannide comparant. Exemplum ephororum a successoribus in ius vocatorum est ap. Plut. Agid. c. 12. cf. Aristot. Rhet. III, 18 p. 148, 22 ed. Bekk. min.

12) Plut. Cleom. c. 7. Agid. c. 9. 11. Cic. de divin. I, 43, 96.

13) Arist. Polit. II, 3, 10. Plat. Legg. III p. 692 A. Inde etiam cum Rom. tribunis plebis comparantur. Cic. de Legg. III, 7, 16. de re publ. III, 33 extr.

14) A senatu creatos putat Hermann. de homoeis p. 15, cui non assentior, imprimis propter Aristot. Polit. II, 6, 16 et 18. Plato Legg. III p. 682 B. ait eorum δύναμιν ἐγγὺς τῆς κληρωτῆς fuisse, quod etiamsi non plane intelligo, tamen sorte captos non esse ostendit, neque magis, opinor, a paucis lectos.

15) Cf. Aristot. Polit. II, 3, 10. 6, 14. 15. 8, 2. IV, 7, 4. Herm. de homoeis p. 15.

16) Conf. tamen Timae. lex. Plat. p. 128 ibiq. Ruhnken. Tittm. p. 107. Mueller. p. 116. Goettling. ad Arist. Pol. p. 466. Fuerunt fortasse minores ephori maiorum ministri, quemadmodum apud Romanos pontificum scribas minores pontifices dictos novimus.

17) Aelian. V. H. II, 15. Pausan. III, 11, 2. Plut. Cleom. c. 8.

18) Pausan. III, 11, 2. Schol. Thuc. I, 86. Ceterum hono-

sententia agebant: quod pluribus placuisset, a paucioribus impediri non potuisse videtur [19]).

§. XIII.

De reliquis magistratibus admodum pauca comperta habemus. Regum ministri **Pythii** erant, quattuor viri ab ipsis delecti, qui sacras legationes ad oraculum Delphicum obirent, editaque vaticinia cum regibus cognoscerent et custodirent [1]): item **Proxeni**, numero incerto, qui exterorum populorum legatis aliisque civitatis hospitibus loca et lautia praeberent [2]). — **Nomophylaces** utrum veteris rei publicae magistratus fuerint an posterioribus demum temporibus instituti, in medio relinquimus [3]). **Harmosyni**, ut aliorum *γυναικοκόσμοι*, mulierum maxime mores custodiebant [4]). **Paedonomus** puerorum et iuvenum disciplinae praefectus erat [5]), eique subiuncti quinque aut sex **Bidei**, (**Bidyi**, **Bidiaei**) [6]). **Empelori** cum *αγορανομοις* comparantur: erant igitur fori rerum venalium inspectores [7]). — De **Harmostis** supra

---

ris eorum et anni Laconici initium fuit circa aequinoctium autumnale. Vid. Dodwell. de cycl. p. 320. Annall. Thucyd. p. 168 ed. Lips. Intt. ad Thuc. V, 36.

19) Hoc colligi potest e Xenoph. Hell. II, 4, 29.

1) Herod. VI, 57. *Πoίθιοι* a Spartanis dicebantur testibb. Photio et Suida s. v. Cf. Ruhnk. ad Timae. s. v. Haas. ad Xen. r. p. L. p. 254.

2) Herod. l. l. ibiq. Valcken.

3) Commemorantur tantum a Pausan. III, 11, 2 et in inscriptionibus aetatis Romanae. Boeckh. C. J. I p. 609. Haas. ad Xen. p. 203.

4) Hesych. h. v. Alibi non commemorantur praeterquam in spuriis Fourmonti inscriptionibus C. J. I no. 61. 62. 63.

5) Plutarch. Lycurg. c. 17. Xenoph. r. L. II. 2.

6) Pausan. III, 11, 2. De nominis forma et significatione cf. Boeckh. C. J. I p. 88 et 609. Non improbabiliter Hermann., Ant. Gr. §. 24, 15, ubi sex commemorantur, paedonomum tanquam *πρέσβυν* (Boeckh. p. 610.) bideorum collegio adnumerari coniicit.

7) Hesych. s. v. In spuriis Fourm. titulis no. 61. 62. quinque sunt, scilicet e Platonis loco quem Cragius II, 8 p. 86 citavit.

dictum est [8]). **Polemarchi** sex cohortium (moras Lacedaemonii dicunt) praefecti, in urbe etiam syssitia ordinabant [9]). **Hippagretae** tres ab ephoris e lectissimis trecentis iuvenibus (qui *ἱππεῖς* vocabantur) creati eorumque praefecti [10]). Denique etiam **Agathoergi** commemorandi sunt, quamquam in magistratibus non numerandi. Hos quotannis ex iis, qui excedebant ex equitibus, ephori creabant, numero quinque, quorum opera uterentur ad varia incerta negotia, maxime externa [11]).

§. XIV.

Iudiciorum omne genus aut penes senatum erat aut penes magistratus, quorum pro se quisque quae ad cognitionem suam pertinerent ipse iudicabat, non adhibitis selectis de populo iudicibus aut iudicum collegiis [1]). Neque populus ipse in comitiis causis iudicandis operam dabat, nisi forte si qua de regni successione controversia dirimenda esset [2]). Rerum capitalium cognitionem senatus habebat, cui si de regum delictis cognoscendem esset, admiscebantur etiam ephori [3]). Privatorum controversias e variis contractuum generibus plerasque ephori iudicabant [4]): quae in foro rerum venalium inter emptores et mercatores lites exi-

---

8) Vid. §. 5, 5.

9) Plut. Lycurg. c. 12. Cf. Philoch. ap. Athenae. XIV p. 630. Boeckh. C. J. I p. 89 et 578. — Addo obiter aliorum militarium ducum nomina: *λοχαγούς, πεντηκοντῆρας, ἐνωμοτάρχας.* Thuc. V. 66. Xen. r. L. XI, 4. *Ἱππαρμοστάς.* Xen. Hell. IV, 5, 8. *Ναυαρχούς.* Id. ib. I, 5, 1. 6, 1. II, 1, 7. *Ἐπιστολεῖς.* Ib. I, 1, 23. II, 1, 7. *Τριηράρχους.* VII. 1, 12.

10) De his vid. imp. Haas. ad Xen. r. L. p. 105.

11) Herodot. I, 67. Ruhnk. ad Timae. s. v. et intt. ad Hesych. h. v.

1) Aristot. Polit. III, 1, 7.

2) Id colligi posse videtur e Xenoph. Hell. III, 3, 4.

3) Pausan. III, 5, 3. — Ceterum not. Plutarch. Apophth. Lacon. tom. II p. 120 Tauch. *τὰς περὶ τοῦ θανάτου δίκας πλείοσιν ἡμέραις οἱ γέροντες κρίνουσι.*

4) Aristot. Polit. III, 1, 7.

tissent, haud dubie empelori, de hereditatibus, epicleris, et quae ad vias publicas pertinerent, reges [5]), adversus disciplinam publicam delicta partim senatus [6]), partim ephori [7]), partim alii magistratus vindicabant. Poenarum genera tria fuerunt, mulcta, capitis deminutio, mors [8]). Et mulctae quidem in causis levioribus admodum exiguae [9]), in gravioribus regum aut magistratuum delictis saepenumero permagnae [10]). Capite minuebantur qui quid contra bonos mores disciplinamque publicam commisissent [11]), imprimis autem qui in bello timidos se et ignavos praebuissent, quibus etiam variae turpitudinis notae inurebantur [12]). Et caelibes quoque simili modo castigabantur [13]). Supplicio afficiendi aut strangulabantur in carcere, aut in ceadam demittebantur [14]). Scriptae leges Spartanis antiquitus nullae, postea paucissimae fuerunt [15]), moribusque multo magis et civili disciplina quam legum sanctionibus contineri rem publicam iudicabant [16]).

---

5) Vid. §. 3, 11.

6) Cf. Mueller. p. 95.

7) Vid. §. 12, 3.

8) De exilio et corporis cruciatu, quae nonnulli adnumerarunt, vid. Mueller. p. 222.

9) Athenae. IV p. 140. E. 141. A.

10) Vid. Plut. Pericl. c. 22. Pelop. c. 6. 13. Add. Meier. de bon. damnat. p. 198.

11) Huc pertinet Xenoph. de r. L. X. 7. de iis qui *ὁμοίων* ordine eiiciebantur.

12) *Τρέσαντες.* Plut. Ages. c. 30. coll. Xenoph. r. L. IX, 4. 5. Herodot. VII, 231. Add. Wesseling. ad Diodor. XIX, 70. Leviore *ἀτιμίᾳ* affectos Thucyd. V, 34 eos narrat qui Sphacteriae Atheniensibus se dederant.

13) Plat. Lycurg. c. 15.

14) Cf. intt. ad Thucyd. I, 134 ap. Poppon. I, 2 p. 198 not. 14.

15) Lycurgi rhetram, *μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις,* ap. Plut. Lycurg. c. 13, cur fabulosam iudicemus non opus est exponere. Ceterum cf. Mueller. Dor. I p. 135. Nitzsch. de histor. Homer. I p. 61.

16) Cf. Plutarch. apophth. Lac. tom. II p. 131 et 147. Plat.

§. XV.

Spectabat autem omnis Spartanorum disciplina hoc imprimis, ut maxime unum et quasi individuum corpus esset civitatis, remotisque quae abalienare civium a civibus animos possent, consociati omnes inter se morum et studiorum similitudine totos se rei publicae darent. Itaque et lucri privati cupiditatem et luxuriam et vanitatem aliaque vitia, quae dissolvendae rei publicae sunt, omni modo arcebant, honestis studiis ab omni turpitudine et pravitate civium animos mature avocabant, patriae caritati, legum et magistratuum reverentiae assuefaciebant, animi corporisque vires assidue exercendo alebant, bonos denique cives virosque fortes et strenuos informabant, qui et manu et consilio foris domique iuvare rem publicam possent. — Iam primum editos in lucem infantes non parentum magis quam rei publicae esse volebant. Itaque deferendi erant ad seniores e gentilium aut tribulium numero, qui explorato corporis habitu decernerent, tolline eos an exponi oporteret [1]). Sublati ad septimum aetatis annum a matribus enutriebantur [2]), dein abducti e domo paterna publicae disciplinae tradebantur. Distributis a paedonomo in greges turmasque puerulis [3]) praeerant adolescentes [4]), qui et ludos eorum moderarentur, et varia corporis

---

de re publ. I p. 425. B. C. Diotogen. ap. Stobae. serm. 41 p. 251. Archyt. ibid. p. 269. Joseph. ctr. Apion. II, 16.

1) Plut. Lycurg. c. 16. Quod hic addit: *τρέφειν ἐκέλευον κλῆρον αὐτῷ τῶν ἐνναχισχιλίων προσνείμαντες*, quomodo accipiendum sit vid. Mueller. Dor. II p. 194 et Hermann. de causis turb. aequ. p. 36. 38. 44.

2) Plut. l. l. Hos parvulos *μιτύλλους* vocabant. Hesych. s. v.

3) *Ἀγέλας* et *Ἴλας*. Illae ap. Spart. *βοῦαι* dicebantur, unde *βουάγορ* i. q. *ἀγελάρχης*. Vid. Plut. Lyc. c. 16. Xenoph. r. p. L. II, 11. Hesych. et Etym. M. s. v. *βοῦα*. Valck. ad Theocr. Adon. p. 274.

4) *Εἴρενες* s. *ἰρένες*. Plut. l. l. c. 17. Cf. intt. ad Hesych. s. v. *ἰρένες*. Kuest. ad Suid. s. v. *εἰρήν*. Meurs. Misc. Lac. II, 3.

exercitia monstrarent ac praeirent. Horum alia aliis aetatis gradibus [5]), sed pariter omnia ad agilitatem corporis et laborum patientiam accommodata [6]), quamobrem pugilatum et pancratium minus probabant, ut quae in athletarum tantum certaminibus usui, in bello inutilia esse viderent [7]). Crebrae etiam venationes [8]): saltationum multa genera, sed praecipue bellicosae [9]): ludi porro et certamina, nonnunquam ad proelii instar, nisi quod ferrum aberat [10]): patientiae denique specimina in annuo Dianae Orthosiae festo [11]). — Victus puerorum admodum parcus: ciborum minus quam ad satietatem praebitum: quod deesset ipsi sibi comparare iussi, in quo nec furari turpe fuit, modo ne deprehenderentur: deprehensi enim flagris caedebantur, non propter damnum alicui illatum, quod leve erat et nullius momenti, sed quia non satis in furando callidi ac solertes fuissent [12]). Vestitus modicus ac vilis: ab anno duodecimo pallium tantummodo sine tunica unum quotannis datum [13]): calcei nulli: capillus tonsus, caput nu-

---

5) De nominibus variarum aetatum vid. Meurs. l. l. et Mueller. Dor. II p. 301.

6) Cf. Manso Spart. I, 2 p. 158. Mueller. II, 306.

7) Cf. Plut. Philop. c. 3. Corn. Nep. Epam. 2, 4. Haas. ad Xenoph. r. p. L. p. 108.

8) Isocr. Panath. c. 84. Cragius III, 9, 2.

9) Harum maxime celebrata πυῤῥίχη. Athen. XIV p. 631. Cf. Meurs. Orchestr. s. v. Mueller. II p 250. 336. De aliis saltationum generibus, Bibasi, Dipodia, Bryallicha etc. Meurs. Miscell. Lac. II, 12. Mueller. p. 338 sqq.

10) Cf. Pausan. III, 14, 8 sqq. Lucian. de gymn. c. 38. Add. Meurs Misc. Lac. II, 13. Orchestr. p. 202. Creuzer. Comm. Herod. p. 230. Mueller. II p. 312.

11) Pausan. III, 16, 6. 7. Xenoph r. p. L. II, 9. Meurs. Graec. feriat. II p. 85. Cragius III, 9, 8. Mueller. I p. 382. II p. 312. Haas. ad Xenoph. p. 83.

12) Xenoph. r. p. L. II, 6 sqq. Anab. IV, 6, 14. Plut. Lycurg. c. 17. Institt. Lac. no. 12. Mueller. II p. 310 sq. Hermann. de vestig. vett. inst. in Plat. legg. p. 32.

13) Xenoph. r. p. L. II, 4. Plut. Lycurg. c. 16. Crag. III, 6, 2.

dum[14]). Unguentorum etiam et caldorum balneorum usus interdictus[15]). Ad somnum capiendum communia turmarum cubilia, nulla re nisi arundine aut herbis strata[16]).

§. XVI.

Ad animos puerorum informandos exiguum litterarum usum, virorum proborum et prudentium consuetudinem et exempla longe efficaciora iudicabant. Itaque etiam postquam in reliqua Graecia, imprimis inde a saeculo quinto exeunte, varia doctrinarum genera a sophistis, rhetoribus, philosophis exculta et ad disciplinam puerilem adhiberi coepta erant, Spartani pueri non fere discebant litteras, nisi quantum ad quotidianas vitae necessitates pertineret[1]), artes autem illae aut plane arcebantur, aut caute tantummodo ac tarde admittebantur, ut quae verendum esset ne antiquae animorum simplicitati officerent, patriorumque morum atque institutorum reverentiam labefactarent[2]). Unius musicae studio, ut omnis civitas insigniter dedita fuit, ita etiam in puerorum institutione plurimum tribuebant. Verum hic quoque diligenter cavebatur, ut incorruptam eam et intemeratam retinerent; quippe mutari musicas leges non posse rati sine immutatione legum publicarum[3]). Ita-

---

14) Xenoph. l. l. §. 3. Plut. l. l. Crag. III, 6, 3. 4.

15) Plut. l. l. Schol. Thucyd. II, 39. Crag. l. l. §. 5.

16) Plut. u. s. Crag. III, 5, 4.

1) Plutarch. Lycurg. c. 16. Cf. Plat. Hipp. mai. p. 285. C. Isocr. Panath. c. 88. Perizon. ad Aelian. XII. 50, 1. Mueller. II, 315.

2) Cf. Athenae. XIII, 611 A.

3) Verba sunt Ciceronis de legg. II. 15, ducta e Platone de re publ. IV p. 424 C. Cf. Legg. II p. 660. III p. 700. Plutarch. Agid. c 10. id. de musica cap. 37 et 42, aliaque apud Is. Vossium de poematum cantu et viribus rhythmi p. 10. Notissimae sunt narrationes de Timotheo et Phrynide ap. Plutarch. Agid. l. l. Institt. Lac. c. 17. Athenae. XIV p. 636 E. De decreto in Timotheum ap. Boethium de musica c. 1 vid. Mueller. Dor. II p. 323 sq.

que in vocis, fidium, tibiarumque cantibus [4]) antiquam illam et masculam harmoniam, quae a Doriensibus nomen habet [5]), unice probabant: cuius eximia vis erat ad frenandas coercendasque cupiditates, animosque et ad temperantiam, continentiam, modestiam componendos, et ad fortitudinem omnemque masculam virtutem erigendos. Poetarum quoque carmina ea tantummodo disci a pueris et cantari volebant, quae essent moribus institutisque publicis convenientia, h. e. quae honestatem, patriae caritatem, legum ac magistratuum reverentiam, omnemque civilem et bellicam virtutem commendarent, laudisque et gloriae amore animos incenderent [6]): quo nomine unum prae ceteris poetam maximi faciebant, Terpandrum Lesbium [7]), ut cuius carmina plena essent praeceptis ad legum institutorumque Spartanorum rationem adeo accommodatis, ut nonnulli ipsas Lycurgi leges ab eo versibus inclusas esse dixerint [8]).

§. XVII.

Virorum autem exemplis et conversationibus ut quam plurimum pueri proficerent, primum virorum conviviis adhiberi solebant, non quo epularum, sed quo sermonum participes fierent, col-

---

4) Chamaeleon ap. Athen. IV p. 184 D.

5) De hac cf. impr. Boeckh. de metr. Pind. p. 238 sqq. Mueller. II p. 316 sqq. et Rötscher, Aristophanes u. sein Zeitalter. p. 197 sqq.

6) Plut. Lycurg. c. 21. Institt. Lac. c. 14. Meurs. Misc. Lac. II, 11.

7) Huc pertinet proverbialis loquutio, *μετὰ Λέσβιον ᾠδόν*. Vid. Suid. h. v. ibiq. Kuest. Arsen. Viol. p. 352 ibiq. Walz. Kuehn. ad Aelian. V. H XII, 50. Neumann. ad Arist. rer. publ. fragm. p. 132 In universum de Terpandro cf. Plehn. Lesbiac. p. 140. Ulrici hist. poes. Gr. II p. 341 sqq.

8) Clem. Alex. Strom. I p. 308: *τοὺς Λακεδ. νόμους ἐμελοποίησε Τέρπανδρος*, quod nolim cum Nitzschio de histor. Hom. I p. 32. 39 de musicis nomis accipere, sed potius idem illud subesse statuo, quod est apud Plut. Agid. c. 10: *τὰ αὐτὰ τῷ Λυκούργῳ ᾄδων διετέλει*. Cf. tamen et Mueller. Dor. I p. 134. II p. 377 et Bernhardy Grundr. d. Griech. Litt. I p. 55 sq.

loquentesque modo inter se de virorum bonorum laudibus, de rebus pulchris et honestis, de militaribus ac civilibus artibus, modo etiam ioco liberali plenoque leporis ac salis utentes audirent, interrogatique et ipsi ad promptitudinem animi et oris acuerentur [1]. Deinde exercitiis ac lusibus puerorum praeter magistratus, quibus haec cura mandata erat, plurimi semper e senioribus monentes, hortantes, laudantes aut castigantes aderant [2]: quid? quod quilibet aetate maior tanquam paterna quadam erga iuniores auctoritate utebatur, quos et rationem ei, si postularet, factorum omnium reddere, et monenti obtemperare oportebat, nec si castigaret aut verberaret obniti aut conqueri apud parentes licebat [3]. Sed omnium maxime efficax ad fingenda iuniorum ingenia illud esse videbatur, si quem virum bonum atque honestum amatorem haberent [4] h. e. si quis praestanti eorum animi et corporis indole captus conciliari eos sibi familiarius cuperet, ut sui animi bona iis impertiret [5]), profectibus eorum gauderet, errantes in viam revocaret, exemplis, consiliis, opera omni modo iuvaret. Et quantum in tali amore momentum esse crediderint ad disciplinam iuventutis ex eo apparet, quod turpe iuvenibus erat si amatorem non haberent, turpe

1) Plut. Lycurg. c. 12 coll. c. 18.

2) Plut. l. l. c. 17. Xenoph. r. p. L. II, 10.

3) Xenoph. l. l. VI, 1. 2. ibiq. Haas. p. 236. Dionys. Exc. Arch. R. XX, 3.

4) De puerorum amore in univ. cf. Hemsterhusii iunioris opera (oeuvres) tom. I p. 79. Jacobs akad. Reden u. Abhandl. (Vermischte Schriften tom. III) p. 212 sqq. Mueller. Dor. II p. 290. Hoeck. Creta III p. 110. Bernhardy Grundr. der Gr. Litt. I p. 41 sqq. Winkelmann. ad Plutarch. Amator. c. 4.

5) Huc pertinent nomina ap. Spartanos usitata εἰσπνήλας de amatore, ἀΐτας de puero. Cf. Meurs. Misc. Lac. III, 9. Intt. ad Theocr. XII, 13. 14. Matthiae ad Alcaei fr. p. 33. Bachmann. ad Lycophr. 461. Winkelm. ad Plut. Amator. p. 187.

viris si neminem amarent [6]: et si quid iuvenes deliquissent, amatores quoque castigabantur [7]. Neque facile quisquam inventus est apud Lacedaemonios qui huius amoris sanctitatem foeda libidine polluere conaretur [8].

§. XVIII.

Etiam puellarum publica erat disciplina coniunctaeque cum musicis artibus corporis exercitationes Nam et cursu, disco, iaculis, lucta in gymnasiis suis haud secus quam pueri exercebantur [1], et saltare decore et cantare discebant [2], vitamque omnem multo magis quam ceterorum Graecorum mores ferebant, in publico agebant et cum viris conversabantur [3]. Hinc et robore corporis et formae pulchritudine Spartanae mulieres prae ceteris excellebant [4], et animo erant erectiore virtutisque civilis et publicarum curarum capaci [5]. Nec deerant inter puellas matronasque similis cuiusdam amoris exempla, quam quo viri pueros amplecti solebant [6].

---

6) Cic. fragm. de re publ. p. 280 Mai. e Servio ad Aen. X 325. Aelian. V. H. III, 10

7) Aelian. l. l. Plut. Lycurg. c. 18.

8) Xenoph. r. p. L. II, 13. Sympos. VIII, 35. Poenam huic sceleri infamiam fuisse dicit Plutarch. Institt. Lac. c. 7. Quod Aelian. V. H. III, 13 ait: ἢ γὰρ τῆς πατρίδος ἀπηλλάγησαν ἢ καὶ τοῦ βίου αὐτοῦ, significare videtur fuisse qui tali infamiae exilio se aut morte subtraherent.

1) Plutarch. Lycurg. c. 14. Xenoph. r. p. L. I, 4 ibiq. Haas. Plat. Legg. VII p. 805 extr. Cf. Mueller. II p. 314.

2) Plutarch. l. l. De partheniis s. virginum choris cf. Boeckh. ad Pind. fragm. p 598. de saltatione Pollux IV, 102. 104. Intt. ad Aristoph. Lysist v. 82.

3) Cf. Mueller. II p. 261, ubi etiam de vestitu puellarum Doricarum exponitur.

4) Orac. ap. Strab. X, 1 p. 449. Cf. Aristoph. Lysistr. v. 78 sqq. Athenae. XIII, 20 p. 566 A.

5) Plut. Lycurg. c. 14. Conf. et plurima apud eundem mulierum Laconicarum apophthegmata.

6) Id. Lycurg. c. 18.

§. XIX.

Viris adscripti adolescentes a trigesimo aetatis anno [1]) dimittebantur quidem e gregibus turmisque iuniorum, neque amplius paedonomi ac bideorum imperiis regebantur [2]); verum tamen vitam nihi o minus omnem iis disciplinae legibus adstrictam habebant, quae neminem sinerent sibi tantum suisque privatim studiis indulgere, sed quasi apum instar ad communionem vitae ac societatem omnes inter se colligarent [3]). Huc pertinebat imprimis syssitiorum h. e. communium mensarum institutio, quibus abstinere nisi propter causas sonticas nemini licebat [4]). Haec aut *φιλίτια* dicebantur [5]), quod plurimum valerent ad mutuae amicitiae conciliationem, aut *φιδίτια* [6]), propter summam epularum parsimoniam: e quibus unum imprmis genus cibi quotidianum celebratur, ius nigrum e sanguine confectum, *βαφά, αἱματία* [7]). In has epulas sumptus menstruus a singulis contribuendus erat [8]), quem qui aut recusaret conferre aut pro-

---

1) Plutarch. Lycurg. cap. 25. Militaris aetas erat, ut videtur, ab anno vigesimo: ante hoc tempus, ab anno XVIII, in cryptia militasse videntur. vid. supr. §. 4, 5. Mueller. II p. 302. Add. Xen. r. p. L. IV, 7. XI, 2. Hell. V, 4, 13. Plut. Ages. c. 24. Morus. ind. ad Xen. Hell. s. v. *ἥβη*.

2) Antea enim, etiamsi iam matrimonium contraxissent, tamen cum aequalibus *συνδιημερεύειν* et *συναναπαύεσθαι* oportebat. Plut. Lyc. c. 15.

3) Id. ib. c. 24 et 25.

4) Quaenam fuerint causae sonticae exponit Plut. l. l. c. 12: *ἐξῆν γὰρ οἴκοι δειπνεῖν ὁπότε θύσας τις ἢ κυνηγῶν ὀψίσειε.* Ceterum adolescentes quoque ab anno vigesimo syssitiorum participes fuisse colligo e Xenoph. r. p. L. III, 5. Cf. Plut. Lyc. c. 15.

5) Xenoph. r. p. L. III, 5. V, 5. Haas. p. 333. Hellen. V, 4, 28. Cf Goettling ad Arist. Polit. p. 470. ad oecon. p. 190. et in Herm. vol. 25 p. 123.

6) Pro *φειδίτια*, ut *δικηλικταί* pro *δεικηλισταί*. Cf. Mueller. Dor. II p. 278.

7) Hesych. s. v. *βαφά*. Pollux VI, 57. De eius confectione cf. Dicaearch. ap. Athenae. IV p 141. add. Plutarch. de tuend. sanit. tom. VI p. 487 Tauchn. — De ceteris ciborum generibus, de *αἴκλῳ* et *ἐπαΐκλοις* cf. Mueller. p. 274—277.

8) Plut. Lycurg. c. 12. cf. Athen. IV p. 141 B.

pter rei familiaris inopiam non posset, hunc optimum ius civitatis non amplius retinere leges iusserunt [9]). Singularum mensarum convivae erant fere quini deni: novi convictores veterum suffragiis cooptabantur, sed ita demum si omnes consensissent [10]). Ceterum descriptio syssitiorum etiam ad rem militarem pertinebat, ut qui mensam, hi etiam locum in exercitu communem haberent: quamobrem syssitiis iidem qui militum cohortibus praeerant Polemarchi [11]).

§. XX.

Matrimoniis quoque civium publica cura non deerat, erantque ut *ἀγαμίου*, ita etiam *κακογαμίου* et *ὀψιγαμίου δίκαι* [1]), moribusque matronarum harmosyni invigilabant [2]). Iustae nuptiae non erant nisi inter cives [3]): contrahebantur autem sponsalibus cum puellae parente factis [4]), ac dein uxore per speciem raptus in mariti domum deducta [5]). De

---

9) Aristot. Polit. II, 6, 21.

10) Plut. l. l. — Si sumamus novem millia virorum, hi in syssitia quinorum denorum distributi efficiunt syssitiorum numerum DC, ut singularum tribuum sint CC, obarum XX. Agis III, quum civium numerum valde imminutum aucturus esset ad quattuor millia et quingentos, syssitia instituere voluit quindecim. Plut. Agid. c. 9. Haec haud dubie maiora fuerunt in minora rursus vicena distribuenda: ac talia maiora, in novem millibus civium, triginta fuisse necesse est, dena singularum tribuum, singula obarum. — Ceterum omnia syssitia in uno urbis loco fuisse e Pausania coniicias VII, 1, 3, et magistratuum collegiis sua syssitia fuisse e Plutarcho apparet Cleom. c. 8.

11) Cf. Haas. ad Xenoph. r. p. L. p. 119. Mueller. p. 237.

1) Plutarch. Lycurg. c. 15. Lysand. c. 30. Pollux III, 48. VIII, 40. Stobae. serm. 65. Cragius III, 4, 1—3. Quam Clemens Strom. II p. 423 A. commemorat *δίκην μονοδιαιτησίας* eadem est cum *δ. ἀγαμίου*.

2) Vid. supr. §. 13, 4.

3) Id dubitari non potest propter similes apud ceteros Graecos leges de *ἐπιγαμίᾳ*: diserte tantum de Heraclidarum gente testatur Plutarch. Agid. c. 11.

4) Aelian. V. H. VI, 4.

5) Plutarch. Lycurg. c. 15. Lysand. c. 30. Crag. III, 4, 6. Mueller. p. 282.

epiclerorum nuptiis ius a regibus dicebatur [6]): dotes filiabus antiquitus nullae dabantur [7]). Habitare cum uxore non licebat ante trigesimum aetatis annum: qui maturius duxissent hos nihilo minus cum ceteris adolescentibus et exercitia communia obire et in communibus cubilibus pernoctare oportebat, ut furtim tantummodo et per intervalla uxores inviserе possent [8]). Divortia cum sterili muliere facilia et legitima [9]): sed etiam alienos viros in uxoris lecto collocare marito licebat, ut illorum opera subolem sibi quaereret [10]). Ceterum matrimoniorum sanctitas nihilo minus religiose observabatur, rarissimaque erant adulteria [11]). Mutuus coniugum amor et animorum conciliatio etiam maior aliquanto quam apud ceteros Graecos, quandoquidem a virorum studiis et moribus minus quam alibi Spartanae mulieres abhorrebant, ut in maiore apud coniuges honore nec lecti solum sed vitae consortes essent [12]).

§. XXI.

Arcendis a civitate corruptelarum illecebris plurima legibus cauta erant: ut victus ita alius omnis cultus admodum parcus et frugalis: vestitus tenuis omnibusque idem [1]), suppellex materia

---

6) Vid. supr. §. 11.

7) Plutarch. Apophth. Lac. tom. II p. 149 Tauchn. Aelian. V. H. VI, 6. Iustin. III, 3. — Postea tamen hoc immutatum est et amplissimae saepe dotes datae. Aristot. Polit. II, 6, 11.

8) Plutarch. Lycurg. l. l. Apophth. Lac. p. 149 no. 17. Haas. ad Xenoph. r. L. p. 51.

9) Cf. Herod. V, 39. VI, 61.

10) Xenoph. r. L. I, 7. Plutarch. c. 15. Mueller. p. 199. Etiam pluribus fratribus nonnunquam communem uxorem fuisse supra vidimus §. 7, 12.

11) Plutarch. l. l.

12) De *γυναικοκρατίᾳ* (*γυναικοκρασίᾳ* Wyttenb. ad Plut. Moral. tom. I p. 150 Lips.) Spartanorum cf. Plutarch. Agid. c. 7. Comp. Lycurg. c. Num. c. 3 et plura ap. Mueller. p. 287.

1) Aristot. Polit. IV, 7, 5. cf. Thucyd. I, 6. Crag. III, 6, 1.

et opere vilis, aedes nec privatorum nec regum sumptuosae aut affabre factae [2]), auri et argenti usus civibus interdictus [3]), nummi denique ferrei, quorum nullum prorsus extra Laconicam pretium esset [4]), ut rerum venalium cum exteris commercio impedito nulla facile luxuriae instrumenta aliunde importarentur. Et quo minus alienorum vitiorum contagio Spartanorum animos inficeret aut rerum externarum comparatio domesticarum amorem labefactaret, peregrinari nemini licuit, nisi cum venia magistratuum [5]). Nec recipiebantur promiscue peregrini aut tolerabantur in civitate, sed quorum vita et mores mali exempli esse viderentur, hos ephori excedere finibus cogebant [6]): contra qui probe ac civili disciplinae convenienter viverent, hos commorari Spartae non prohibebant [7]). Et multi commemorantur peregrini arte aliqua laudabili aut sapientia insignes, qui diu Spartae et in magno honore vixerint [8]): festa quoque publica ludique et certamina a numerosa undique confluentium peregrinorum multitudine concelebrari solebant [9]). Scenicorum quidem ludo-

De vestimentorum generibus cf. Mueller. Dor. II p. 266 sqq. de balneis Laconum p. 271 de barba, coma et scytala p. 269 sq.

2) Plutarch. Lycurg. c. 13. Mueller. p. 254.

3) Vid locc. ap. Cragium III, 10, 1.

4) Plut. Lycurg. c. 9. Res publica tamen haud dubie aureis argenteisque nummis non caruit, non magis quam perioeci. Cf. Mueller. p. 206 — 209.

5) Xenoph. r. L. XIV, 4. Aristot. ap. Harpocrat. s. v. καὶ γὰρ τὸ μηδένα. Plutarch. Lycurg. 27. Institt. Lacon. no. 19. Plat. Legg. XII p. 950. et quae laud. Neumann. ad Arist. r. p. fragm. p. 120.

6) Plutarch. Lycurg. c. 27. Institt. Lac. no. 20. Xenoph. r. L. XIV, 4. Plat. Protag. p. 342 C. Theopomp. ap. schol. Aristoph. Avv. 1013. Crag. III, 3, 3. Meurs. Miscell. Lac. II, 9.

7) Plutarch. Agid. c. 10.

8) Terpander, Thaletas, Pherecydes ap. Plutarch. Agid. c. 10. Theognis ipse se benigne a Spartanis receptum testatur v. 785. De aliis vid. Mueller. p. 8, 1.

9) Plutarch. Ages. c. 29. Cimon. c. 10. Xenoph. Memm. I,

rum apparatum et magnificentiam Spartani spernebant[10]), sophistarumque ac rhetorum artes, a ceteris Graecis magni aestimatas, summo opere improbabant[11]), earumque professores non fere ad se admittebant: quas vero artes haud inutiles rei publicae et moribus esse iudicarent, non modo non arcebant aliunde allatas, sed studiose etiam ipsi exercebant, illud imprimis genus quod in vocibus cantuque et decoro corporis motu ac gestu consistit[12]). Verum ne signorum quidem pulchritudo aut templorum cum dignitate elegantia a Spartanis respuebatur[13]): quamquam in his quae manuum opera conficienda erant ipsi non tractabant, utpote legibus ab omni opificii genere exclusi[14]).

§. XXII.

Haudquaquam igitur Spartanorum vitam earum rerum quae ad humanitatem pertinent ornamentis plane nudatam videmus[1]), quumque frenis disciplinae coerciti[2]) in angustiore quodam orbe continerentur, hoc ipsum eo valebat, ut minus facile malarum artium illecebris capi possent. Vir-

---

2, 61. — Ceterum commemoranda sunt etiam hospitii iura multis Spartanis cum exteris contracta (vid. Thucyd. II, 8. VIII, 6.) et *πρόξενοι* a regibus creati (§. 13, 2.) et deorum hospitalium *Διὸς ξενίου* et *Ἀθανᾶς ξενίας* cultus. Pausan. III, 11, 8. Cf. Mueller. l. l. et p. 411, 3.

10) Crag. III, 8, 4. De *δικηλικτῶν* lusibus vid. Mueller. p. 342 sq.

11) Plutarch. Lycurg. c. 17. Crag. III, 8, 6.

12) Meurs. Miscell. Lacon. IV, 17. cf. Mueller. p. 373. 379.

13) Pausan. lib. III passim. Mueller. p. 381.

14) Cragius III, 8, 2.

1) Huc pertinet quod Plato refert Alcib. II p 148 D: *Λακεδαιμόνιοι καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἑκάστοτε εὔχονται τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τοὺς θεοὺς διδόναι κελεύοντες σφίσιν αὐτοῖς.* Cf. Plutarch. Institt. Lac. no. 26. Et de quotidiana *διαγωγῇ*, Lycurg. c. 24.

2) De *Φόβῳ*, cuius etiam *ἱερὸν* Spartae fuit, cf. Plut. Cleom. c. 9. Haas ad Xen. p. 151. et impr. C. F. Hermanni doctissimam commentationem in Actis Soc. Graec. 1 p. 4 sqq.

tutum vero earum, quae maxime viriles ac civiles sunt, fortitudinis, prudentiae, temperantiae, iustitiae, haud sane deerant validissima aut adiumenta aut incitamenta [3]). Sed omnem hanc rei publicae condicionem eiusmodi fuisse apparet, quae retineri ac servari integra non facile posset, nisi quamdiu Spartani veteris aequabilitatis ac disciplinae civilis tenaces suisque rebus contenti viverent, alienis autem et ab ipsorum modulo abhorrentibus non immiscerentur. Sed posteaquam et bonorum aequalitas turbata et disciplina civilis labefactata est, habendique atque imperandi cupiditate abrepti longinqua bella gerere, gentes exteras sibi obnoxias facere, maris atque insularum dominationem affectare coeperunt, obscurata paullatim Spartanae rei publicae bona moxque penitus extincta sunt. Et primis quidem temporibus Spartani, devictis Messeniis [4]), fractis Argivorum viribus [5]), Arcadibus plerisque in societatem acceptis [6]), omnium Peloponnesi populorum haud dubie potentissimi facti, summa apud ceteros auctoritate pollebant, eaque contenti socios aequo foedere iunctos habebant [7]) nec principatum in dominationem vertere conantes eam ubique rerum formam, in qua populorum libertas optimatium potentia regeretur, vel contra tyrannos, qui ubique extitissent, vel contra democratiam tuebantur et vindicabant [8]): tantaque hinc apud omnes etiam extra Peloponnesum eorum fuit existimatio, ut, quum belli Persici metu pleraque Graecia vires

---

3) Cf. Diogenis Cynici dictum apud Diog. Laert. VI, 2, 27. tom. II p. 20 Huebn.

4) Pausan. IV, 4—24. Iustin. III, 4. 5. Manso I, 1 p. 195 —278. Mueller. I p. 140 sqq.

5) Herod. I, 82. VI, 78 sq. VII, 148. Pausan. II, 20. Mueller. I p. 154 sqq.

6) Mueller. II p. 152 sq.

7) Vid. infr. P. VI, 7.

8) Herodot. V, 92. Thucyd. I, 18. 19. 76. Arist. Polit. V, 8, 18. Manso I, 2 p. 300. Mueller. I p. 160. Wachsmuth. I, 1 p. 288.

consociasset, volentibus omnibus summum totius exercitus imperium terra marique ad Spartanos deferretur. Hoc itaque bello quum navalem quoque militiam Spartani capessivissent maritimarumque civitatum in insulis et littoribus principatum nacti essent, retinere tamen hunc nec poterant nec magno opere contendebant, Pausaniae maxime exemplo moniti, quantum inde in se suamque rem publicam malorum redundare posset [9]).

§. XXIII.

Nihilo minus tamen inde ab hoc tempore gliscentis paullatim corruptelae indicia non ambigua deprehenduntur, et per frequentata magis quam antea cum exteris commercia fieri sane non potuit, quin multorum animi ab domestica disciplina alienorum morum contagione deflecterentur [1]). Reges adeo, auri argentique, quae ipsis, ut videtur, habere licuit [2]), cupiditate occoecati, acceptae ab hostibus pecuniae non semel damnati sunt [3]): quae res haud dubie nonnihil fecit ad regiae maiestatis venerationem imminuendam augendamque contra eos ephororum potestatem. Civitas autem, se unam principatu Graeciae dignam deputans, aliorum incrementis invidebat, eosque quocunque posset modo vel iure vel iniuria deprimere conabatur. Hinc et alia bella, et infaustissimum illud Peloponnesiacum exarsit, non Athenis magis quam Spartae exitiosum. Tanta enim hoc bello morum depravatio veterisque disciplinae ac probitatis ob-

9) Thucyd. I, 95. cf. Diodor. XI, 50. Dio Chrysost. tom. II p. 59 Reisk.

1) Cf. Wachsmuth. I, 2 p. 103.

2) Mueller. II p. 209. — Et disciplinae quoque regii pueri, ii certe qui patri successuri erant, minus severae adstricti fuisse dicuntur. Plutarch. Ages. c. 1.

3) Leotychides. Herodot. VI, 72. Paus. III, 7, 8. Plistonax cum Cleandrida. Thucyd. II, 21. V, 16. Plutarch. Pericl. c. 22.

livio incessit, ut sisti amplius vix posset [4]), tamque immoderate et iniuste victoria usi sunt, ut brevissimo tempore in summum omnium odium incurrerent, eorum maxime, qui, quum spe recuperandae ab Atheniensibus libertatis non inviti Spartanis se subiunxissent, longe duriorem sibi servitutem ab his impositam videbant [5]). Itaque postquam semel pugna navali apud Cnidum a Conone superati maris imperium amiserant, paucisque post annis pace cum Persis composita Graecae libertatis causam aperte deseruerant, recuperare pristinam inter Graecos dignitatem non amplius poterant: moxque concitatis in eos Thebanis propter Cadmeam a Phoebida summa cum iniuria occupatam, pluribus proeliis infelicibus vires eorum adeo concisae sunt, ut non modo de principatu cogitare amplius non possent, sed etiam diuturna Messeniae possessione exciderent. Haec autem res quanti haud dubie momenti fuerit ad perturbandam agrorum inter cives aequalitatem, non opus est accuratius exponere: quamquam huius perturbationis initium multo iam ante factum erat propter varias causas de quibus supra dictum est [6]). Accedebat quod iam dudum auri atque argenti possessio civibus concessa paucorum opes supra modum auxerat, malorumque omnium, quae solent ex pecuniae hinc nimia magnitudine, illinc inopia et aviditate existere, seges uberrima succreverat [7]). Ad hoc civium numerus supra quam credi potest celeriter imminutus, quum propter varias clades, tum propter multorum egestatem, quae procreare liberos aut tollere vetaret [8]).

---

4) Wachsmuth. I, 2 p. 257. Add. Intt. ad Alciphr. Ep. II, 1, 65. Bergl. ad Aristoph. Plut. 1190. Aelian. V. H. XIII, 9.

5) Vid. infr. P. VI, 7.

6) Vid. §. 7.

7) Plutarch. Agid. c. 5. Lycurg. c. 30. Diodor. XIV, 10. cf. Wichers. ad Theopomp. fragm. p. 138.

8) Cf. Clinton. Fast. Hell. p. 415 sq. Krueg. Hermann. de

Ita quum belli Persici secundi tempore amplius octo millia essent, qui arma ferre possent, horum post annos sexaginta vix sex millia fuisse videntur [9]), et post Leuctricam pugnam circiter duo millia: Aristoteles autem sua aetate mille tantum numerat [10]): Cleomenis denique III tempore Spartani haud amplius fuerunt septingenti, quorum centum fere qui agros possiderent [11]). Ceterum divitiarum maxima pars ad mulieres pervenerat [12]), quarum proin magnae etiam in re publica opes et potentia, mores autem luxuria et licentia dissoluti [13]), quorum contagione universa civitas, ipsa iam aegra, magis in dies praeceps abibat [14]). Paucorum potentium arbitrio ac lubidine res publica tractabatur: plebs egena, honoribus exclusa, nobilitati infesta, novarum rerum opportunitates captabat [15]). Tali ac tam perdito rerum statui Agis succurrendum efficaci aliqua medicina ratus, tabulas novas novamque agrorum distributionem, simul receptis in civitatem perioecis et peregrinis

---

causis turb. aequal. p. 53. Hinc etiam praemiis ad liberos tollendos invitabantur: qui unum sustulisset, militia, qui tres, omnium publicorum munium immunis fiebat. Aristot. Polit. II, 6, 13.

9) Cf. Mueller. II p. 233.

10) Polit. II, 6, 11.

11) Plutarch. Agid. c. 5. — Civium paucitate permoti Spartani iam dudum non solum e perioecis maximam partem et neodamodibus aut etiam helotis exercitus conscribebant, sed etiam mercenarios pedites conduxerant iam sub Agesilao (Plut. Ages. c. 40): nam nautas mercenarios iam bello Peloponnesiaco habuerant. Eandem ob causam etiam moenia urbi circumdata, contra Lycurgi legem: Pausan. I, 13, 5. VII, 8, 3. Iustin. XIV, 5. Liv. XXXIV, 38.

12) Aristot. Polit. II, 6, 11. cf. Schneider. comm. p. 124.

13) Plutarch. Agid. c. 7. Aristot. Polit. II, 6, 7. Idem §. 5 neglectam a Lycurgo mulierum disciplinam accusat, sui temporis mala, iniuria, ut videtur, ex antiquis legibus repetens. Sed mulierum licentiam iam Plato improbat Legg. I p. 637. VI p. 781.

14) Phylarch. ap. Athenae. IV, 20 p. 141 extr. 142 in. — Ephori iam Aristotelis aetate disciplinae legibus se non teneri voluerunt. Polit. II, 6, 16.

15) Plutarch. Agid. c. 5 extr.

reficiendam civium multitudinem suasit: sed infestam optimatibus causam et ab infidis amicis proditam quum obtinere non posset, generosi consilii morte poenas luit. Meliore successu aliquot post annis Cleomenes eandem rem aggressus, ephororum dominationem verius quam magistratum sustulit, senatus loco patronomorum collegium instituit [16]), legem agrariam pertulit, civitatem supplevit, disciplinam veterem restituit, rem militarem emendavit [17]), videbaturque etiam antiquum Spartae robur atque honorem restituturus: sed in medio rerum cursu, Antigonum hostem nactus, Macedonicarum virium mole oppressus succubuit. Hunc postremum ex Heraclidarum stirpe regem Sparta habuit [18]): postea tyranni rerum potiti sunt formaque rei publicae, sublatis plerisque Cleomenis institutis, nonnihil tamen ad veteres Lycurgi leges refecta esse videtur [19]). Ceterum variis inter Spartanos atque Achaeos certaminibus mox Romani immixti omnia suo arbitratu ordinabant, ereptam perioecorum regionem Achaeis contribuebant [20]), Spartanis ipsis, relicta libertatis specie, foederis ac societatis leges imponebant [21]).

---

16) Pausan. II, 9, 1. Neque tamen senatum plane sustulit, sed potestatem tantummodo ademit. Vid. Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 605. Ceterum patronomorum nomen etiam in inscriptionibus Romanae aetatis et ap. Philostratum vit. Apollon. IV, 32 commemoratur. Vid. Boeckh. l. l. Munus quale fuerit non liquet: sed honore eo gaudebant, ut a principe collegii annus disignaretur.

17) Plutarch. Cleom. c. 11.

18) Nam Agesipolis III non nisi nomine tenus rex fuit, aetate minor et mox civitate pulsus. Vid. Polyb. IV, 35, 9—14. cf. XXIV, 11.

19) Cf. Dio Chrysost. or. XXV p. 281 et all. ap. Meursium. Miscell. Lac. II, 5.

20) Hi postea Eleutherolacones dicti. Cf. Strab. VIII p. 562. Liv. XXXIV, 36. XXXV, 13. Mueller. II p. 22.

21) Strab. l. l.

2. De Cretensium re publica.

§. I.

Spartanorum institutis simillima olim apud Cretenses obtinuerunt [1]), multisque veteribus illorum res publica ad horum potissimum exemplum a Lycurgo constituta esse videbatur [2]). Nimirum in Cretam quoque iam antiquissimis temporibus Dorienses traiecerunt [3]), repetitisque postea migrationibus [4]) adeo paullatim invaluerunt, ut subactis veteribus incolis totius insulae domini fierent [5]) remque publicam moribus institutisque Do-

1) De his vid. Meursii Creta. Lib. III. Amstel. 1675. 4. Sainte-Croix, de la legislation de Crète, in eiusd. libro: Sur les anciens gouvernemens fédératifs. Paris an. VII (1799.) 8. Manso, Minos des Kretensers politische Anordnungen, in eius Sparta. tom. I, 2. p. 98 sqq. C. F. Neumann rerum Creticarum specimen. Gotting. 1820. K. Hoeck, Kreta. Ein Versuch zur Aufhellung — — dieser Insel. Goetting. 1829. III. 8. Add. Goettling. excurs. de re publ. Cretensium, ad Aristot. Polit. p. 472.

2) Cf. Ephor. ap. Strab. X p. 481 sq. Aristot. Polit. II, 7, 1. Pseudo-Plat. Min. p. 318 sq. Plut. Lycurg. c. 4.

3) Tectamus Dori filius, quinta ante bellum Troianum aetate. Diod. IV, 60. V, 80. Andron. ap. Steph. Byz. s. v. Δώριον et ap. Strab. X p. 475. Sed in dubium vocata est haec tam vetusta Doriensium migratio, licet Homerus Od XIX, 178 iam Ulyssem Dorienses in Creta commemorantem faciat. Vid. Hoeck. Cret. II p. 15. Add. Mueller. Dor. I p. 30.

4) Pollidis e Laconica, Althaemenis ex Argis. Sed his praeter Dorienses etiam Tyrrheni, Minyae, Achaei adiuncti. Vid. Plut. de mul. virt. Morall. II p. 199 Tauch. Quaestt. Gr. c. 21. Conon. narr. 36. Strab. X p. 479. Meurs. Cret. p. 10. Hoeck. II, 417 sqq. III, 10. Neumann. p. 30. Mueller. Orchom. p. 317.

5) Cf. Mueller. Dor. I p. 32. Inde lingua Cretensium Dorica. Vid. Meurs. Cret. p. 225. Boeckh. C. Inscr. II p. 401 sqq.

ricis ordinarent. Ipsi tamen legum suarum non aliquem de suis aut advenarum ductoribus aut civitatum conditoribus, sed antiquos Cretensium reges atque heroes, Minoem et Rhadamanthum, auctores perhibebant [6]): qui quum indigenarum fabulis tanquam rerum publicarum legumque conditores celebrarentur, adoptasse has fabulas Dorienses videntur [7]), ut suis quoque legibus tam antiquae et augustae originis splendorem adderent.

§. II.

Urbes Cretae permultae fuerunt [1]), suam quaeque separatim rem publicam habentes, inter se autem foederibus quidem variis iunctae, neque tamen aut perpetuis illis aut universam insulam complexis [2]). Commune omnium imperium tantummodo heroica aetate penes reges fuisse traditur [3]). Nihilo minus tamen universa rerum publicarum forma post Doriensium adventum eadem fere apud omnes extitit: quae quum apud alios vel diversae stirpis hominibus in civitatem admissis, vel mutatis propter diversam locorum naturam ceterasque vivendi condiciones a Doriensium moribus paullatim degenerasset, diutissime a Ly-

---

6) Vid. locc. ap. Meurs. p. 127 sqq. 165. Ast. ad Plat. Legg. p. 7—9. Neumann. p. 41 sqq. Hoeck. II, 45 sqq. et 193 sqq. qui recte, ut videtur, Minoem ab origine non ad Dorienses sed ad veteres Cretenses pertinuisse statuit. Vid. II, 53. III, 147.

7) Minoem et Rhadamanthum natos fecerunt post Tectami adventum adoptatosque ab huius filio Asterio, qui Europam, matrem eorum, in matrimonium duxerit. Vid. locc. ap. Meurs. p. 124.

1) Strab. X p. 476. 479. Eustath. et scholl. Venn. ad Iliad. II, 649. Meurs. p. 14—61.

2) Vid. infr. P. VI, 5.

3) Apud Homerum Iliad. II, 650 sq. Idomeneus eiusque fratris filius Meriones universae insulae simul imperant, sed regnum tamen proprie Idomenei tantum fuit. Post hos nulli reges commemorantur, nisi quod Herodot. IV, 154 circ. ann. 620 Axi regem Etearchum nominat, qui utrum tyrannidem an regnum legitimum et a maioribus acceptum habuerit discerni non potest.

ctiis, Gortyniis paucisque aliis minoribus populis servata esse dicitur [4]).

§. III.

Cives optimo iure tantummodo Dorienses erant et si qui forte alii antiquitus cum his coaluerant [1]), qui certe non tam multi erant, ut non Doriensium ubique mores et instituta praevalerent. Reliqui ab his subacti non una omnes condicione vivebant. Alii enim circa urbes agrosque Doriensium in suis quique oppidis aut pagis, veteribus etiam institutis quantum res ferebat servatis, agri culturam, opificia, mercaturam exercebant; forsitan rei publicae quoque aliquam speciem retinebant, Doriensium tamen imperio et fortasse etiam magistratibus subiecti, pendendisque tributis et vectigalibus aliisque muneribus praestandis obnoxii [2]). Alii contra in ipsis Doriensium agris servitutem serviebant, quorum rursus duo genera distinguenda sunt, *Μνωῖται* [3]) et *Κλαρῶται* s. *Ἀφαμιῶται* [4]). Illi rei publicae, hi privatorum servi

---

4) Ephor. ap. Strab. X p. 481.

1) Partim ex veteribus incolis partim ex alienigenis Doriensium comitibus, de quibus vid. §. 1 not. 4.

2) Hi sunt quos Sosicrates ap. Athen. VI p. 263 *περιοίκους* et *ὑπηκόους* dicit, de quorum iure et condicione quum fere nihil a veteribus relatum habeamus, pleraque de probabili coniectura ponenda fuerunt. Hoeckius quidem Cret. III p. 23—30 in hos multa transtulit, quae de servis potius (Mnoitis) accipienda videntur, inductus scil. eo, quod Aristoteles II, 7, 3 *περιοίκων* nomine minus accurate quam Sosicrates utitur de servis. Nam servos ab eo designari manifestum facit eorum cum Helotibus comparatio. Apud ipsos Cretenses de hoc genere hominum non *περιοίκων* sed *ὑπηκόων* nomen usitatum fuisse e Sosicrate l. l. colligas: quo minus mirum altero illo scriptores non eodem omnes sensu usos esse. Cf. et Goettling. ad Arist. Pol. p. 474 sq.

3) Nomen Coraes ad Strab. XII, 3, 4 et Goettling. ad Arist. p. 473 et in Herm. vol. 25, I p. 136 a Minoe ductum putant aut ex Minoitis contractum. Obloquitur Hoeck. p. 30. Nobis illa ratio nequaquam absurda videtur; ipsumque Minois nomen cum vetusto gentis nomine cohaerere arbitramur, qua subacta et in servitutem redacta illud in condicionis appellationem abierit.

4) *Κλαρώτας* a *κλήροις* (*κλάροις*) dictos apparet, quamquam non

erant [5]), utrorumque autem condicio Spartanorum Helotis simillima [6]). Rusticis maxime operibus intenti pensiones aut rei publicae aut privatis persolvebant [7]): armorum usu et gymnasiis prohibebantur [8]). Erat autem tertium quoque genus servorum, χρυσώνητοι s. venales, haud dubie peregre advecti, quorum tamen numerus non magnus fuisse videtur [9]).

§. IV.

Cives non modo tribubus phratriisque [1]) et aliis minoribus collegiis [2]) descripti, sed etiam ordinibus discreti erant. Certe Aristotelis aetate nobiles ubique gentes summis in re publica honoribus solae fungebantur [3]): possessionum vero

---

ea ratione quam Ephor. ap. Athen. V p. 263, sed quam Hoeck. p. 38. Mueller. Dor. II p. 53 sequuntur. De Ἀφαμιωτῶν (Ἀμφαμιωτῶν?) nomine cf. Goettling. Herm. l. l. p. 137. Hoeck. p. 36.

5) Sosicrat. ap. Ath. VI, 263 extr.

6) Strab. XII, 3 p. 542. XV, 1 p. 701. Steph. Byz. s. v. Χίος. Pollux. III, 83. Etym. M. s. v. Πενέσται. Suid. et Phot. s. v. Κλαρῶται. Bekk. Anecd. I p. 292.

7) Dosiad. ap. Athen. IV p. 143. Arist. Pol. II, 7, 3. 4. Nam qui περίοικοι ab hoc vocantur, Mnoitas esse videri, in agris circa urbes habitantes, supra diximus. Ceterum horum etiam corpus quoddam fuisse et descriptionem legitimam Strabo probat XII p. 542 de Μνῴᾳ s. Μινῴᾳ συνόδῳ loquens.

8) Aristot. II, 2, 12. — Eustathius tamen ad Iliad. I, 321 p. 110, 9 et ad Dionys. Perieg. v. 533 Cretensium δούλους ὁπλοφόρους commemorat, θεράποντας dictos: quos dominorum in bello comites et armigeros, non plane ipsos inermes fuisse crediderim sed velitaribus armis instructos.

9) De his vid. Hoeck. p. 40.

1) Quot ubique tribus et quibus nominibus fuerint non constat. Apud Cydoniatas Hylleensium tribum Hesychius commemorat s. v., et probabile est tres illas Doricas etiam alibi fuisse, additis tamen fortasse novis. Phratriarum indicium superest in inscriptione Hierapytnia, quae Ζᾶνα Φράτριον nominat Corp. Inscr. II p. 409: nam de Boeckhii emendatione dubitari non potest.

2) Ἀνδρεῖα. Dosiad. ap. Athen. IV p. 143. Ἀγέλαι in foedere Latiorum et Olontiorum, Corp. Inscr. II p. 398. col. I vers. 35. Cf. infra §. 8, 7.

3) Arist. Polit. II, 7, 5.

aequabilitas, etiamsi forte initio instituta, non tamen diu servata esse videtur[4]. Commemoratur etiam equitum ordo, cuius non solum militia equestris, sed etiam certae quaedam in administranda re publica partes fuerint[5]. — Summum ubique magistratum decemviri habebant ex nobilibus familiis quotannis creati[6]. Hi *Κόσμοι* aut etiam *Κόσμιοι* vocabantur[7], erantque foris imperatores[8], domi senatus et comitiorum moderatores[9], fortasse etiam privatarum causarum iudices aut iudiciorum praesides[10]. Princeps collegii, *Πρωτόκοσμος*, anno nomen dabat[11]. — Aliorum magistratuum vix ullum in veterum monumentis vestigium superest[12]. — Senatus[13] eadem apud Cretenses, quae apud Spar-

---

4) Ephor. ap. Strab. X p. 480 publicum victum omnibus pariter praebitum ait, *ὅπως τῶν ἴσων μετάσχοιεν τοῖς εὐπόροις οἱ πενέστεροι*, nulla possessionum antiqua aequalitate commemorata. Similiter Arist. Pol. II, 7, 4. Et bona paterna dividi inter liberos solita idem Ephorus testatur ibid. p. 482. De posterioribus temporibus cf. Mueller. Dor. II p. 201.

5) Ephor. l. l. p. 481 extr. 482 in. cf. Hoeck. p. 57 sq.

6) Arist. Polit. II. 7, 5. Hoeck. p. 48.

7) *Κόσμιοι* in inscriptt. compluribus, C. J. II no. 3047. 3050. 3051. 3052. 3057 et in Strabonis codd. lib. X p. 482. 484.

8) Aristot. Polit. II, 7, 3. Hoeck. p. 49.

9) Hoeck. l. l. Hinc publicorum decretorum praescriptiones: *ἔδοξε τοῖς Κόσμοις καὶ τᾷ πόλει* et simill. C. J. II p. 634. v. 19. 635, 2. 637, 2. et no. 3050 — 3058.

10) Hoc colligas partim ex aliarum aristocratiarum comparatione, partim ex foedere Hierapytniorum et Priansiorum C. J. II. p. 412. v. 59. 69. de qu. loc. cf. Hoeck. p. 88. Boeckh. p. 416.

11) Inscr. no. 2554, 5: *ἐπὶ τῶν Κόσμων τῶν σὺν Πυλέρῳ.* et v. 206: *ἐπὶ Κόσμων τῶν σὺν Μαιναίῳ.* no. 2556, 2: *ἐπὶ Κόσμων τῶν σὺν Ἐνίπαντι.* 4. *ἐπὶ Κόσμων τῶν σὺν Νέωνι. Πρωτόκοσμοι* nominantur no. 2576 — 2579 et 2583, quae omnes sunt Romanae aetatis.

12) *Πρείγιστοι ἐπὶ εὐνομίας* commemorantur in foed. Lat. et Olont. p. 398, 57, quos recte Boeckh. p. 407 cum nomophylacibus comparat.

13) Hic non solum *γερουσία* v. *γερωνία* (*γερωχία*) dicebatur (vid. Hesych. s. v. *γερωνία* et Mueller Dor. II, 91), sed etiam *βουλή*. Aristot. Pol. II. 7, 3. In inscriptionibus Creticis, quarum tamen nulla tertio a. Chr. saeculo antiquior superest, tantummodo *βουλὴ* dicitur et princeps senatus *βουλῆς πρήγιστος* no. 2562, 23. cf. 2561.

tanos auctoritas fuit, idemque, ut videtur, numerus senatorum[14]). Hi ex iis sumebantur, qui decemvirali magistratu functi vitaque et moribus probati erant[15]): dignitatem perpetuam habebant, neque rationibus reddendis obnoxii erant, neque scriptis legibus in re publica administranda causisve cognoscendis adstricti[16]). Comitiorum, quibus omnes cives intererant[17]), non aliud ius erat, quam ut lata ad populum cosmorum et senatus consulta aut sciscerent aut antiquarent[18]).

§. V.

Disciplinae publicae in pueris quidem[1]) initium fiebat a septimo decimo aetatis anno[2]). Minores in paterna domo privatim educabantur[3]), nisi quod convictibus virorum publicis adhiberi solebant, ubi sub custodia paedonomorum et ipsi cibos caperent, humi sedentes, et viris ministrarent sermonesque eorum auscultarent[4]). Ab anno septimo decimo in *ἀγέλας* non a magistratibus, sed libere suaque voluntate congregabantur, prout uni alicui ex nobilioribus

---

2591. *Γερουσία* no. 2562, 7. 17. 21 non civitatis sed thiasotarum esse videtur.

14) Arist. Polit. II, 7, 3. Hoeck. p. 54.

15) Ephor. ap. Strab. X p. 484.

16) Arist. l. l. §. 6.

17) Id. ib. §. 4. Ceterum comitia apud Cret. *ἀγοράς* dicta testatur Lex. Seguer. p. 210.

18) Aristot. Pol. II, 7, 4: *κυρία δ' οὐδενός ἐστιν ἀλλ' ἢ συνεπιψηφίσαι τὰ δόξαντα τοῖς γέρουσι καὶ τοῖς κόσμοις.* Hoc Goettling. p. 478, Hoeck. p. 60—63, Lachmann. de Spart. r. p. 199 ita interpretantur, quasi non licuerit populo Scita antiquare, id quod et per se vix credibile est, et si ita fuerit, ne *κύριος* quidem *τοῦ συνεπιψηφίσαι* dici potuit.

1) Nam de muliebri Cretensium disciplina nihil memoriae traditum est. cf. tamen Hoeck. III p. 124. add. p. 518.

2) Hesych. s. v. *ἀπάγελοι.*

3) Hi *σκότιοι* dicebantur. Schol. Eurip. Alcest. v. 989 aut *ἀπάγελοι.* Hesych. h. v.

4) Ephor. ap. Strab. X p. 483. Add. Dosiad. et Pyrgion. ap. Athen. IV p. 143.

atque insignioribus pueris plures paucioresve sodales se adiungerent [5]). Huius pater tanquam dux et magister praeesse gregi studiaque et exercitia puerorum regere solebat [6]). Et praecipue quidem corpora eorum omni modo exercenda atque duranda curabant cursu [7]), lucta, armorum tractatione [8]), saltationibus bellicosis [9]), venationibus ferarum in montibus silvisque; nec certamina deerant ad proeliorum instar, etiam cum armis [10]). Victum pueri de publico accipiebant, sed parcum admodum et frugalem: cubilia, plerumque saltem, communia, vestitus modicus, neque alius hiberno quam aestivo tempore [11]): ut esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando ad perferendos bellorum labores idonei mollitiaeque et voluptatum contemptores evaderent [12]).

§. VI.

Litterarum prima tantum elementa docebantur [1]), intentius musicae arti studebant, quantum quidem eius non abhorreret a Doricae gentis ingenio moribusque antiquis, erantque legitima quaedam carminum modorumque genera, a quibus dis-

---

5) Ephor. l. l. Gregum sodales ἀγέλαστοι dicebantur. Hesych. s. v.

6) Ephor. l. l. et Heraclid. Pont. c. 3, qui ducem gregis ἀγελάτην dictum docet.

7) Etiam gymnasia Cretae δρόμοι vocabantur teste Suida s. v. Hinc ἀπόδρομοι iuniores dicti διὰ τὸ μήπω τῶν κοινῶν δρόμων μετέχειν (Ammon. s. v. γέρων et qu. laud. Mueller. II. p. 304.) δεκάδρομοι autem, qui decennium in gymnasiis se exercuerant. Hesych. s. v.

8) Τοξικὴν Ephor. ap. Strab. X p. 480 nominatim commemorat: et Cretum peritia sagittandi a multis celebratur. Vid. Meurs. p. 178.

9) De Pyrrhicha nobilissimo saltationis genere vid. supra P. IV, 1 §. 15, 8. Add. Hoeck. p. 1 p. 211.

10) Heraclid. c. 3. Ephor. l. l. et p. 480.

11) Iidem ll. ll.

12) Cf. Cic. Tuscul. II, 13. Meurs. p. 176.

1) Heraclid. l. l. Ephor. l. l. p. 482 extr.

cedere non liceret [2]). Poetarum unum maxime probabant Thaletam, paeanum aliorumque cantuum compositorem rhythmique cretici inventorem [3]). Amores denique virorum et puerorum apud Cretenses non minus quam apud Spartanos honesti erant et legitimi [4]). Igitur qui puerum amare coepisset — in quo quidem indoles potius liberalis quam formae venustas spectabatur [5]), — hunc per quandam raptus speciem a propinquis abductum secum habebat, duosque menses extra urbem in venationibus potissimum variisque ludorum generibus et convictibus inter se peragebant, comitantibus etiam pluribus utriusque amicis. Post hoc tempus reductus in urbem puer donisque ab amatore donatus, Iovi sacrificium, amicis epulum dabat. Ipse *κλεινὸς* dicebatur: amator non *ἐραστὴς* erat, sed *φιλήτωρ*: contractaque hoc modo inter eos caritas per omnem deinde vitam durare solebat. Contra si quis amator puerum in bimestri illo secessu minus honeste habuisset, huic poena irrogabatur [6]).

§. VII.

Adolescentes simul atque ex agelis dimissi erant [1]) matrimonium omnes contrahere iubeban-

---

2) *Ἐκ τῶν νόμων ᾠδὰς καὶ τινα εἴδη τῆς μουσικῆς.* Ephor. l. l. Cf. et Aelian. V. H. II, 39, qui ipsas leges *μετά τινος μελῳδίας* pueros didicisse narrat.

3) Ephor. l. l. p. 480 extr. 481 in. De Thaleta cf. Hoeck. III p. 339 sqq. 359. Ulrici II p. 212.

4) Cf. Maxim. Tyr. diss. XXVI, 8 p. 317 Davis.

5) Ephor. ap. Strab. X p. 483. 484.

6) De his omnibus vid. Ephor. l. l. Heraclid. c. 3. Satis frequentes autem impudicos fuisse puerorum amores non solum e Platone apparet Legg. I p. 636, sed etiam ex iis quae Aristoteles Pol. II, 7, 4 de instituti ratione suspicatur, *ἵνα μὴ πολυτεκνῶσιν.* In univ. cf. Hoeck. p. 115.

1) Id factum coniicio post decennium quam recepti erant, e corrupto Hesychii loco: *δεκάδρομοι οἱ δέκα ἐν τοῖς ἀνδράσιν ἐσχηκότες, ὑπὸ Κρητῶν.* Nam quod Valckenaerius ad Ammon. p. 54 ed. Lugd. rescribi vult *οἱ δέκα ἔτη ἐν τοῖς ἀ. ἠσκηκότες*, quamvis lenis sit mutatio, displicet tamen propterea quia virorum legitimas certorum annorum exercitationes in gymnasiis fuisse parum proba-

tur [2]). Uxores non continuo cum maritis cohabitare, sed aliquamdiu in paterna domo remanere solebant, donec administrandae rei familiari satis maturae viderentur [3]). Dotem accipiebant dimidiam partem eorum, quae fratribus ex paterna hereditate contingerent [4]). Sanctitas matrimonii moribus legibusque custodita: adulterium et mulcta et infamia sancitum [5]). Universa mulierum condicio vitaque domestica qualis apud Cretenses fuerit, parum constat [6]), nisi quod mensae communio coniugibus non erat. Nam viri inter se publice epulabantur, hisque epulis etiam pueri adhiberi soliti [7]). Convictus virorum *ἀνδρεῖα* dicebantur [8]) celebrabanturque in aedibus publicis: in his etiam hospites excipiebantur hospitali s. Iovis Hospitalis mensa [9]). Victus simplex et frugalis: vinum

---

bile est. Sententiam loci hanc fuisse credo, ut, qui per decennium exercitati essent, iam viris accenserentur: *οἱ δέκα ἔτη ἠσκηκότες καὶ ἐν τοῖς ἀνδρείοις ἤδη τελοῦντες*, aut tale quid: ut aliis verbis omissis aliis transpositis corruptela orta sit.

2) Ephor. l. l. p. 482.

3) Ita Ephorus l. l. Ceterum non dubito quin eadem huius moris causa fuerit, propter quam etiam Spartani iuvenes maritos aliquamdiu ab uxoribus segregabant. Vid. supra P. IV, 1 §. 20, 7.

4) Ephor. l. l.

5) Aelian. V. H. XII, 12 (de Gortyniis), quo loco *εἰσεπράττετο* pro *ἐπιπράσκετο* verum esse nemo dubitabit. — Divortia apud Cretenses licita fuisse facile credo: sed errat tamen Hoeck. p. 120, quum de his Aristotelem Pol. II, 7, 5 loqui censet.

6) Cf. tamen Plat. Legg. VI p. 781.

7) Vid. supra §. 5, 4.

8) Vid. Hoeck. p. 122 not. — Sodalitia convictorum (*ἑταιρίαι*) eodem *ἀνδρείων* nomine vocabantur sec. Dosiad. ap. Athen. IV. p. 143, suntque fortasse eadem quae *ἀγέλαι* in foed. Latiorum et Olontiorum C. J. II p. 389. Nam de iuvenum tantummodo gregibus ibi cogitare res ipsa vetat. Fortasse qui iuvenes in eodem grege fuerant, postea etiam eiusdem syssitii consortes erant.

9) Est quaedam levis dissensio inter Dosiadem et Pyrgionem ap. Athen. IV. p. 143, quorum alter binas *ξενικὰς τραπέζας* alter unam tantum commemorat, quae eadem *ξενίου Διὸς* et *ξενία* vocata sit. Quod hanc *τρίτην* fuisse dicit, non arbitror cum Hoeck. p. 127 de duabus praeter hanc hospitum, sed de civium mensis cogitan-

modicum [10]): cibum sedentes capiebant, non accubantes [11]). Primum hospitibus, deinde praesidi convictorii, tum reliquis epulae apponebantur: aequales omnium portiones; sed praeses quattuor accipiebat [12]): pueri nihil praeter carnis portionem dimidiam, vinique certam mensuram; orbi autem tantundem cum viris, sed absque condimentis [13]). Post cibum de rebus publicis inter se colloquebantur, aut fortia facta commemorabant, virorum bonorum laudes celebrabant, iuvenes ad aemulandum exhortabantur [14]). Sumptus conviviorum de publico erogabantur, quum omnium civitatis redituum, quotquot e fructibus gregibusque aut e servorum pensionibus perciperentur, una pars sacris, altera necessitatibus rei publicae, tertia convictoriis destinata esset [15]). Conferebant tamen etiam privati decimam quisque redituum partem [16]).

---

dum esse, ut in singulis conclavibus duae civium, una hospitum mensa fuisse dicatur. Dissensio autem non admodum mira, si statuas non prorsus eandem rei formam in omnibus civitatibus fuisse.

10) Dosiad. l. l. Arist. Pol. II, 7, 5. Cf. Meurs. p. 177.

11) Heraclid. c. 3. Pyrgion. ap. Athen. l. l.

12) Heraclid. l. l. Hoeck. p. 132. — Dosiades ap. Ath. etiam de praecipuis cibis loquitur a muliere, quae epulas curaret, uni alicui virtute et probitate insigni honoris causa datis: ex quo apparet non levia viris mulierum iudicia visa, ideoque non contemptum muliebrem sexum fuisse.

13) Pyrgion. l. l.

14) Dosiades. l. l.

15) Arist. Pol. II, 7, 4. (qui *περιοίκους* pro Mnoitis dicit.) Dosiad. l. l. *τῶν δούλων ἕκαστος Αἰγιναῖον φέρει στατῆρα.*

16) Dosiad. l. l. Non pugnat hoc cum Aristot. l. l. aut Ephoro ap. Strab. X p. 480, qui universe loquentes publice ali cives dicunt, etiamsi ipsi aliquid contribuebant, quod perexiguum fuit et prae tota sumptuum summa fere pro nihilo ducendum, praecipue in pauperioribus. Ceterum e collatis inter se Dosiade et Platon. Legg. VIII, 847 extr. coniici potest, publicorum redituum eam partem, quae non sacris aut administrationi rei publ. destinata esset, inter singulas familias divisam esse, deducta haud dubie ea summa, quae syssitiis sufficeret; quamquam res admodum obscura est. Cf. Hermann. de vestig. vett. instt. ap. Plat. p. 29. Hoeck. p. 134 sqq. Mueller. Dor. II p. 203.

§. VIII.

Promiscua cum peregrinis commercia neque facilia erant propter insulae situm, et antiquitus vix licita [1]). Inter ipsos autem Cretenses hospitalitas summa, et publica ubique hospitum deversoria [2]). Ceterum omne tempus aut in administratione et consultatione publicorum negotiorum, aut in liberali cum civibus conversatione, aut in corporum exercitatione peragebant. Artes praeter musicam nullam tractabant [3]), eamque ipsam intra certos fines. Agri cultura rusticisque operibus [4]), opificiis, mercatura abstinebant [5]). Verum tamen haec omnia procedente tempore immutari paullatim et in deterius labi coeperunt. Cives lucri dulcedine allecti rei maritimae et mercaturae operam dabant [6]), multi mercenaria militia apud exteros quaestum faciebant [7]), nec pauci erant, qui piraticam exercerent [8]). Hinc et bonorum summa inaequalitas, et magna divitiarum aestimatio [9]): peregrini in civitatem admissi, mores contaminati [10]), imperium denique ab optimis ad multitudinem translatum, omnis res publica in concionibus plebis arbitrio administrata, nulla aut exigua cos-

---

1) Cf. Hoeck. p. 449 sqq. Peregrinari civibus, certe iunioribus, non licuisse Plato testatur Protag. p. 342 D.

2) Dosiad. l. l. Cf. Heraclid. c. 3 extr.

3) Pauci commemorantur Cretenses sculptores et architecti: sed num Doricae stirpis fuerint an ex ὑπηκόοις non constat.

4) Cf. Hybriae scolion. ap. Athen. XV p. 696.

5) Carere adventiciis mercibus propter soli naturam Cretes non poterant (vid. Hoeck. p. 422 sqq. et 447.), sed mercatura sicut opificia haud dubie a Mnoitis tractabantur et ὑπηκόοις.

6) Cf. Hoeck. p. 447.

7) Thucyd. VI, 25. VII, 57. Strab. X p. 477. Liv. XXXV, 28. 29. XLII, 35. XLIII, 9 et al. pass. Cf. Schweighaeus. ad Polyb. IV, 55, 5. Hoeck. p. 461 sq.

8) Strab. X p. 477. Cf. Boeckh. Corp. Inscr. II p. 414.

9) Polyb. VI, 46, 2. 3.

10) Id. ib. et all. ap. Meurs. p. 231 sqq. Hoeck. p. 455 sqq.

morum et senatus auctoritate [11]). Accedebant turbae ac seditiones intestinae factionumque certamina, quae saepe etiam summos magistratus imperio spoliarent [12]). Postremo quum propter mercenaria auxilia hostibus Romanorum praebita societatemque cum Mithridate, dein cum Cilicibus initam Romanos infestos haberent, hi iustam belli causam nacti universam insulam brevi tempore subactam in provinciae formulam redegerunt.

11) Polyb. l. l. §. 4. Hoeck. p. 64 sqq.

12) Aristot. Polit. II, 7, 7.

V. De re publica Atheniensium.

§. I.

Atheniensium res publica, licet origines Cretensibus et Spartanis antiquiores habuerit, progressus tamen aliquanto tardiores fecit, neque perfecta et consummata est nisi eo tempore, quum illorum civitates iam declinare a prisca virtute et in deterius labi coeperunt. Per plures namque mutationes a regio ac dein nobilitatis imperio ad popularem statum pervenit, Atticorum naturae atque ingenio unice accommodatum, et salubri inter multitudinem et optimates temperamento aliquamdiu floruit, donec gliscens paullatim corruptela libertasque in licentiam versa civitatem ex optima et pulcherrima deformem et infirmam fecit. Ceterum ipsae illae mutationes, quum per varios quasi gradus et cresceret res publica et senesceret, hoc effecerunt, ut quae bona malaque rerum publicarum apud ceteros Graecos alia alibi fuerunt, horum fere omnium apud Athenienses quoque exempla extiterint, recteque Athenae etiam hoc nomine quasi quaedam Ἑλλάδος Ἑλλὰς appellari possint[1]: ingenium autem populi multiplex, non uni alicui virtuti praeter ceteras aptum, sed omnium pariter capax, postquam libere moveri et campum in quo exerceretur satis amplum nancisci coepit, tanta et rerum gestarum gloria et artium ac litterarum decore patriam ornavit, ut omnium testimoniis

1) Thucyd. ap. Athen. V, 12 p. 187.

haec tanquam *ὀφθαλμὸς τῆς Ἑλλάδος, πρυτανεῖον καὶ ἑστία τῆς Ἑλλάδος* celebrata sit [2]).

§. II.

Prisci Atticae habitatores, quos posteri indigenas gloriabantur [1]), Pelasgicae stirpis fuerunt [2]), admistis tamen mature aliis aliarum gentium colonis, quum incertis etiamtum in Graecia populorum sedibus frequentes ubique migrationes essent, multique patria sua pulsi in Attica, propter soli tenuitatem minus ab aliis tentata, tutorem receptum quaererent [3]). Talium advenarum memoriam in gentium pagorumque Atticorum fabulis passim servatam videmus [4]): neque absurdum fuerit, etiam

---

2) De his et similibus Athenarum laudibus vid. Athen. l. l. et VI. 65 p. 254. Eustath ad Iliad. II, 546. Cf. Wesseling ad Diod. XIII, 27. Wyttenbach. ad Plut. de glor. Athen. VII p. 152. et Bibl. crit. III, 1 p 49. Jacobs. ad Anthol. I, 1 p. 335. Heindorf. ad Plat. Protag. §. 69. Boeckh. ad Pind. fragm. Dithyr. no. 4.

1) Plat. Menex. p. 237 B. Lys. epitaph. §. 17. Isocr Panath. c. 48. Panegyr. c. 4. Pseudo-Demosth. epitaph. p. 1390 et all. ap. Meurs. de fort. Ath. c. 1. Cecrops quoque et Erechtheus autochthones perhibebantur. Vid. de comitt. Ath. p. 349.

2) Herodot. I, 56. VIII, 44, ubi hos olim Cranaos mox Cecropidas appellatos esse autumat Et Cecropis quidem nomen sicut urbis Athenarum etiam in Boeotia invenimus ad lacum Copain. Strab. IX, 2 p 407. Cf. Pausan. IX, 33. 1; unde colligere licet eiusdem gentis homines in utraque terra fuisse. Cf. Mueller. Orchom. p. 123 Eodem pertinet quod Ogyges quoque et Boeotiae et Atticae rex dicitur. Vid. Heyn. ad Apollod. p. 320. Beck. Weltgesch. 1 p. 358.

3) Thucyd. I, 2.

4) Vid. e. c. de Gephyraeis Meier de gentil. Att. p. 39. de Eumolpidis ib. p. 41 de Eunidis p. 44. de Alcmaeonidis et Paeonidis p. 38 et 49. de Philaidis et Eurysacidis p. 51. sq. De Perithoedis Suid. s. v. et Mueller. Orchom. p. 203. Dor. 1 p. 87. De Sphettiis et Anaphlystiis id. in Ersch. et Grub. Encyclop. VI p. 222. de Melitensibus Meurs. Gr. Fer. s. v. *Μεταγείτνια.* de Eleutherensibus Pausan 1, 38, 8. coll. Boeckh. de Dionys. p. 121. Adde de Minyis Munychiam habitantibus Mueller. Orchom. p. 390. et de Tyrrhenis ad Hymettum ib. p. 307 sq. Dryopes quoque ab Atheniensibus receptos ait Aristid. Panath. I p. 177. Dind.

ingenii aut morum varietatis, quam in quibusdam pagis veteres notarunt [5]), aliquam certe partem ab stirpis atque originis varietate repetere. Sed omnium maxime fabulis celebratus est Xuthi, Hellenis filii, in Atticam adventus, qui cum comitibus, Hellenicae haud dubie stirpis hominibus, ex inferiore Thessalia viciniisque Parnaso regionibus profectus in superiore Atticae parte quattuor oppida, Oenoen, Probalinthum, Marathonem, Tricorythum insedisse dicitur [6]). Hi licet non vi et armis reliquum populum ditioni suae subiecerint [7]), tantum tamen invaluerunt, ut et numinis sui, Apollinis Patriti, cultum omnes mox Athenienses adsciscerent [8]), et totius populi in quattuor partes divisio a Xuthi nepotibus, Geleonte, Hoplete, Argadeo et Aegicoreo repetatur, quin nomen quoque Ionum a Xuthi filio Ione inditum populo perhibeatur [9]).

5) Vid. de Acharnensibus, Potamiis, Thymaetadis, Prospaltiis Suid. et Etym. M. s. v. Ἀρναχαρνεῦ. add. Pind. Nem. II. 24. Senec. Hippol. 20. De Aexonensibus Plat. Lach. p. 196. D. Harpocr. s. v Taylor. Lectt. Lys. p. 300 Ruhnken. ad Timae. p. 15. De Sphettiis schol. Aristoph. Plut. 720. Etym. M. p. 738, 45. De Rhamnusiis Suid s. v. Ῥαμνουσία Νέμεσις. De Tithrasiis schol. ad Aristoph. Ran. 480.

6) Cf. de comitt. Ath. p. 351 not. 20.

7) Certe nemo e veteribus hoc credidit. E recentioribus tamen nonnulli sibi perspexisse videntur Athenienses a Xuthi comitibus subactos esse. Vid. Mueller. Orchom. p. 307.

8) Ἀπόλλων πατρῷος, quem Pythium esse veteres diserte testantur. Demosth. de coron p. 274. Harpocrat. s. v Ἀπόλλ. Aristid. I p. 181. Dind. c. schol. Add Annali dell'instit. di corrispond. archeol. vol. VI p. 233. Xuthum ipsum non alium esse quam Apollinem scite Muellerus observavit Dor. 1 p. 239. Prolegg. myth. p. 274. — Postea nonnulli Apollinem hunc πατρῷον, ut coniungerent cum vetustis Atticae numinibus, Vulcani et Minervae filium fecerunt; vid. Creuz. ad Cic. de nat. deor. III. 22 p. 599, fueruntque etiam qui Apollinem ex Attica profectum Delphos venisse dicerent. Ephor. ap. Strab. IX, 3 p. 646.

9) Herod. V, 66. VIII, 44. De Ionum nomine eiusque apud Athenienses vetustate multa disputari possunt quae hic locus non capit. Hoc tantum dico persuasum mihi esse fabulam de Ione eiusque filiis apud Atticos non ante colonias Ionicas ex Attica in Asiam deductas ortam esse, quum ipsi Athenienses non amplius Iones dicerentur, sed hoc nomen Asianis solis et insulanis proprium esset. Herodot. I, 143. Olim autem in Graecia Ionum nomen multo latius patuisse videtur. Cf. supra P. II.

Civitates Atticae complures fuerunt, ex quibus duodecim praecipuae, Cecropia, Phalerus, Eleusis in Acte, Aphidna, Decelia, Cephisia in parte mediterranea, Epacria, Cytherum, Tetrapolis in Diacria, Thoricus, Brauron, Sphettus in Paralia [10]). His reguli modo singulis modo pluribus praeerant, ita tamen ut maiestate et auctoritate prae ceteris unus excelleret, qui ipsis Athenis s. Cecropiae imperitabat [11]). Ceterum suam quique rem publicam separatim administrabant neque in unum conveniebant nisi quum propter magnum aliquod et difficile negotium communi consilio et sociatis omnium viribus opus esse videretur [12]).

§. III.

Hic rerum status in Attica permansisse dicitur usque ad Theseum, quem quinquaginta fere ante Troiam eversam annis regnasse perhibent [1]). Theseus enim primus parvas illas et separatas civitates in unam maiorem omnes contraxit, unamque imperii, magistratuum iudiciorumque sedem Athenas fecit, ut iam reliquae regionis incolae non suorum quique oppidorum, sed huius unius urbis quae *ἄστυ κατ' ἐξοχὴν* vocabatur, cives essent et haberentur [2]). Omnis porro populus in quattuor

10) Vid. Prooem lect. hibern. Gryph. a. 1835. p. 7 sqq. Praecipua illa duodecim dixi, quia alia etiam minora commemorantur sub suis antiquitus regulis, ut Athmonon et Myrrhinus a Pausan. 1, 14, 6. De quattuor Atticae partibus cf. supra P. I. §. 5.

11) De his vid. Meurs. regn. Att. lib. I et II.

12) Thucyd. II, 15. Isocr. Encom. Hel. c. 16. Plut. Thes. c. 24.

1) Veterum de Theseo fabulas collegit Meursius in Theseo. Ultrai. 1684. 4 et in Gron. thes. tom. X. De mythica eius persona cf. Creuzer. Symbol. IV p. 108 sqq. Add. Mueller. Dor. I p. 238. Prolegg. mythol. p. 272. Naek. in Museo Rhen. II. p. 569.

2) Cf. de comitt. Ath. p. V. et de *ἄστος* nomine Ast. ad Plat. de r. p. p. 317. intt. ad Corn. Nep. Themist. c. 4. — Rei memoriam servabat *Συνοικίων* (non *Μετοικίων*) festum. Plut. Thes. c. 24. Schol. ad Aristoph. Pac. 984. Hudson. ad Thucyd. II, 15. Meier. de bon. damn. p. 120. Auctus hinc etiam urbis circa Cecropiam ambitus, ipsumque Cecropiae nomen arci proprium factum, quae tamen etiam *πόλις* vocari solet. Vid. Intt. ad Thuc. V, 18. Hem-

tribus divisus est, Geleontes, Hopletes, Argadenses, Aegicorenses; quae nomina quum praeter unum omnia manifesto vitae genera designent, dubitari tamen non posse videtur, quin haec tribuum descriptio etiam ad sedium et regionum rationem accommodata fuerit. Nam quum ipsa terra Attica situ et soli natura in quattuor partes divisa sit, tum regionatim populum in tribus descriptum fuisse etiam fabulosae de tribubus Ione antiquioribus narrationes fidem faciunt [3]). Itaque quum in una Atticae parte plurimi essent *αἰγικορεῖς* (pastores) in alia plurimi *ἀργαδεῖς* (agricolae) in alia plurimi *ὅπλητες,* quos probabile est nobiles fuisse Hellenicae gentis, quae cum Xutho advenerat [4]), in alia denique plurimi *γελέοντες,* quos indigenarum nobiles esse crediderim [5]), hinc unaquae-

---

sterh. ad Aristoph. Plut. 772. — Lobeckius Aglaoph. p. 215 Eleusinem ne Solonis quidem temporibus Atheniensium imperio subiectam fuisse statuit, propter bellum utrimque, ut ait, cum magna vi gestum. Sed quem huius rei testem citat, Herodot. 1, 30, nihil nisi pugnam in agro Eleusinio ab Atheniensibus contra vicinos commissam memorat: vicinos illos ut Eleusinios credamus nulla est ratio, et prope certum est Megarenses fuisse. Vid. Mueller. Dor. 1 p. 176, cui etiam ipse Lobeck. concedit p. 1351. Et constat sacra Eleusinia iam ante deductas in Ioniam colonias ab Atheniensibus accepta esse. Cf. Boeckh. prooem ind. lectt. aest. 1831. C. F. Hermann. in Diar. schol. 1833 II p. 60.

3) Cecropis, Autochthon, Actaea, Paralia a Cecrope, Cranais, Atthis, Mesogaea, Diacris a Cranao tribus appellatae dicuntur. Poll. VIII, 109 et all. ap. Meurs. de regn. Att. 1, 7. Add. Steph. Byz. p. 538 Pined.: *πεδιάς, φυλὴ τῆς Ἀττικῆς.* item *Διακρία* ab eod. p. 235 *φυλή* dicitur. De his et de Diadis, Athenaidis, Posidoniadis, Hephaestiadis nominibus cf. de comitt. Ath. p. 7. Meier. de gent. Att p. 3. Fuerunt autem qui in postremis quattuor nominibus indicium sibi deprehendere viderentur variarum religionum, quum aliud ab alia parte populi numen praecipue cultum crederent. Vid. Hermann. Ant. Gr. §. 93.

4) Cf. de comitt. Ath. p. 358 not. 32.

5) Non constat de huius nominis vera forma nedum de significatione. Sed *Γελέοντες* verum esse, quod iam olim statui de comitt. p. 354, nunc quoque credo cum G. Hermanno praef. ad Eur. Ion. p. XXIII — XXVI. Qui *Τελεόντων* nomen verum putant, alii colonos tributarios, alii sacerdotes significari volunt. Boeckh. Prooem. lectt. Berol. aest. 1812. (et in Seebod. Archiv. 1828. II. p. 50.) Mueller. Orchom. p. 307. de sacr. Minerv. Poliad. p. 12.

que pars s. tribus eo nomine appellata est, quo hominum, qui plurimi aut praecipui inessent, vitae genus et condicio significaretur [6]). Tribuum singularum ternae fuerunt phratriae [7]), quas probabile est et ipsas regionatim descriptas fuisse, ut in unaquaque unum esset ex illis duodecim oppidis quorum supra nomina posui [8]). Neque tamen nomina phratriis ab oppidis indita, aut certe non omnibus: nam quod unum certum est nomen *Ἀχνιαδῶν*, formam habet gentiliciam [9]): et constat etiam apud alios Graecos phratrias partim quidem a locis, partim autem gentiliciis nominibus appellatas esse [10]). Gentes phratriarum erant tricenae [11]): quam distributionem apparet non tam naturalem quam legitimam et ad imitationem naturae ordinatam esse [12]). Omnis porro populus

---

Meier. de gent. Att. p. 6. Geleontum nominis probabilem originationem non invenio: nam quae ab Hemsterhusio proposita est ad Herod. V, 66 a *γελεῖν λάμπειν*, non iam placet. Nobilitatem autem indigenam hoc nomine designari propterea credo, quod huic in reliquis locus vix esse videtur.

6) Cf. quae disputavi in Annall. critt. Berol. ann. 1827 p. 674, hinc repetita in Haasii antiquitt Graec. (Griech. Alterthumskunde. Dresd. 1828. 8.) II p. 70. Add. Prooem. lect. Gryphisw. hib. 1835 p. 11.

7) Aristot. ap. schol. Plat. Axioch. p. 253. Pollux VIII, 111. Alios vid. ap. Meier. de gentil. Att. p. 7.

8) Haec sententia et Ignarrae placuit comm. de phratriis (Neap. 1797. 4.) p. 16 et Buttmanno, üb. den Begriff des Wortes *φρατρία*, in Comm. Acad. Boruss. ann. 1818. 19 p. 12 sqq. et Meiero de gentil. Att. p. 9: quamquam hic quidem phratrias tribuum partes fuisse negat, quod non recte factum demonstravi in Prooem modo cit. p. 9—11.

9) Corp. Inscr. no. 463: *Ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἑβδομείου φρατρίας Ἀχνιαδῶν.* Praeterea grammatici quidam etiam Thyrgonidas et Titacidas in phratriis numerant. Vid. Meier. l. l. p. 10 not. 83.

10) E. c. Neapolitanorum phratrias novimus *Εὐνοστίδας, Εὐμηλίδας, Κυμαίους, Ἀρτεμισίους.* Vid. Boeckh Corp. Inscr. II p. 650. Similiter Romanorum tribus aliae a locis aliae a gentibus appellatae.

11) Pollux l. l. et III, 52. Harpocr. Suid. aliique gramm. s. v. *γεννῆται.*

12) Pollux VIII, III de gentilibus: *γένει μὲν οὐ προσήκοντες, ἐκ δὲ τῆς συνόδου οὕτω προσαγορευόμενοι.* Cf. Moeris p. 108. Scilicet non negant gentilium plurimos etiam cognatos inter se fuisse, sed aliam gentilitatis aliam cognationis rationem esse dicunt.

in tres ordines dividebatur[13]), Eupatridarum h. e. nobilium vel ex indigenis vel ex advenis[14]), Geomororum h. e. rusticorum ignobilium, qui tamen suos agros possiderent[15]), et Demiurgorum h. e. operariorum, qui agros non haberent, sed tantummodo manuum opera quaestum facerent.

§. IV.

Rem publicam sub regibus soli Eupatridae administrabant. Hi regi in consilio erant, magistratibus ac sacerdotiis fungebantur, iudicia exercebant, nulla harum rerum parte cum reliquis ordinibus communicata[1]). Populi concilia, si qua erant hac aetate, ius certe non maius habebant Athenis quam quod apud Homerum conciliis tribui supra vidimus[2]). Eupatridarum autem consilium sive senatus, qualis fuerit quotve viris compositum non magis compertum habemus[3]), quam quot et quales magistratus fuerint, nisi tamen tribuum et phratriarum praefectos fuisse dubitari non potest[4]). Jus a regibus et Eupatridis dice-

---

13) Plut. Thes. c. 24. Cf. de comitt. Ath. p. IV. Ilgen. de trib. Ath. p. 62 sq. ubi etiam de discrepantibus aliorum testimoniis dictum est.

14) Ex indigenis e. c. Eteobutadae, Thaulonidae, Hesychidae, Lycomidae; ex advenis Alcmaeonidae, Philaidae, Perithoedae, Eumolpidae.

15) Geomoros θῆτας fuisse, quod Wachsmuth. I, 1 p. 235 opinatur, parum probabile est: neque enim unquam illud nomen nisi de dominis agrorum usurpatum novimus. Vid. supra P. III. §. 14. Add. Ast. ad Plat. Legg. p. 256.

1) Plutarch. Thes. c. 25. Cf. Dionys. A. R. II, 8.

2) De veteribus quibusdam scriptoribus, qui populare imperium a Theseo institutum crediderunt, vid. de comitt. Ath. p. VI. Tittmann. p. 71.

3) Mueller. comm. in Aeschyl. Eumen. p. 160 not. 17 collegium fuisse opinatur initio XII, mox XLVIII virorum qui et de re publica consultaverint et de φονικοῖς iudicaverint. De aliorum opinionibus vid. Proc. Att. p. 9. 10.

4) Φυλοβασιλεῖς. Pollux VIII, 111. 120. Hesych. h. v. Phot. s. v. Ναυκραρία. Meier. Proc. Att. p. 116. Φρατρίαρχοι. Vid. infr. §. 25, 7.

batur: maiores quidem causas ad senatum pertinuisse probabile est [5]), et de caede similibusque criminum generibus iam his temporibus in quinque locis diversis iudicatum esse dicitur, in Areopago, ad Delphinium, ad Palladium, ad Prytaneum et in Phreatto [6]).

§. V.

Regnum autem brevi post Heraclidarum migrationem tempore Thymaetae [1]), qui postremus fuit ex Thesidarum stirpe, ademptum et in Melanthum translatum est, unum e Nelidis, qui ab Heraclidis Messenia exacti in Atticam confugerant [2]). Regnante Melantho Iones, Atheniensium cognati, ab Achaeis Aegialea cedere coacti in Atticam migrarunt [3]), qua multitudine advenarum fieri non potuit, quin status rei publicae nonnihil concuteretur, quum praesertim alendis tot hominibus terra vix sufficere posset. Accessit mox Doriensium impetus, qui partem Atticae eam, quae dein Megaris dicta est, Atheniensibus eripuerunt [4]); quo bello quum Codrus rex, Melanthi filius, mortem obiisset [5]), et de successione inter eius filios, Medontem, Neleum, Androclem, aliquamdiu certatum esset, imperium Medonti contigit, Neleus autem et Androcles cum Ionibus, adiunctis etiam aliarum gentium hominibus quam plurimis, novas sibi sedes in Asia

---

5) Cf. supra P. III. §. 18.

6) Vid. infra c. 6 §. 61. 62.

1) Thymaeten non Thymoeten hunc appellatum gentis et pagi Θυμαιταδῶν nomen in titulis probat. Vid. Meier. de gent. Att. p. 46.

2) Cf. Pausan. II, 18, 7 et all. ap. Meurs. regn. Att. II. 10. Add. schol. Plat. p. 49 Ruhnk. et Mueller Dor. I p. 239 sq.

3) Cf. supra P. IV §. 1. Add. Strab. VIII, 7. p. 383 extr. et Clinton. F. H. p. 113 sqq.

4) Herod. V, 76. Strab. IX, 1 p. 393. Pausan. I, 39, 4.

5) Vid. loc. ap. Meurs. regn. Att. II, 11 sq.

quaesiverunt [6]. Ceterum ius imperii per horum certaminum opportunitatem ab Eupatridis nonnihil imminutum et rationi reddendae adstrictum [7], nomenque ipsum regis abolitum et cum archontis nomine commutatum est [8]. Fuit tamen archontum dignitas perpetua et hereditaria, permansitque apud Medontis posteros per CCCXVI fere annos: dein decennalis facta [9] sed Medontidis tamen propria relicta usque ad Hippomenem, quo propter crudelitatem amoto aditus ad summum honorem omnibus eupatridis pariter patefactus est [10]. Mox dein divisum inter novem archontes imperium et annuum ex decennali factum est [11]. Ita quum gradatim nobilitatis potentia cresceret, plebis interim ius et condicio nihilo melior aut etiam deterior facta est. Nam honoribus et administratione rei publicae exclusi et nobilibus obnoxii erant, qui in magistratibus nullo scriptarum legum freno coerciti ius ex arbitrio reddebant [12]) remque publicam ad suum suique ordinis commodum tractabant. Ad hoc plurimi de plebe aut aere alieno aut iniuria potentiorum oppressi in durissima erant nobilium clientela, agrosque patronorum parva mercede colebant [13]: alii, quum

---

6) Pausan. VII, 2, 1. Strab. XIV, 1 p. 633.

7) Pausan. IV, 5, 4.

8) Tamen hi perpetui archontes saepenumero etiam reges vocantur. Vid. Perizon. ad Aelian. V. H. V, 13. Boeckh. ad C. J. II p. 316.

9) Dionys. A. R. I, 71. Clinton. F. H. I p. 156.

10) Heraclid. Pont. c. 1. Nicol. Damasc. p. 42 Orell. c. comm. p. 189. Suid. s. v. Ἱππομένης et παρ' ἵππον καὶ κόρην. Taylor. ad Aeschin. in Timarch. p. 176.

11) Cf. Scalig. ad Euseb. p. 74, Periz. ad Ael. V. H. V, 13. Clinton. F. H. I p. 182. Boeckh. ad marm. Par. C. J. II p. 307. De nominibus et muneribus novem archontum infra dicetur.

12) Nec provocatio ab eorum iudiciis erat: τὰς δίκας αὐτοτελεῖς ἔκρινον. Diog. Laert. Sol. c. 38. Suid. s. v. ἄρχων.

13) Cf. in univers. Plut. Solon. c. 13, quem de ἑκτημορίοις (ἐπιμόρτοις. Hesych. tom. II p. 1369) errasse sicut olim (de comitt. Ath. p. 362) ita etiam nunc credo. Nam si sextam frugum par-

solvendo non essent creditoribus addicti aut servitutem apud eos serviebant aut etiam peregre venum dabantur [14]).

§. VI.

Has ob causas quum condicionis suae plebeios vehementer taederet neque patienter amplius paucorum dominationem laturi esse viderentur, ne longius malum serperet, leges Draconi [1]) mandatae sunt perscribendae, quae et magistratuum in iure dicendo libidinem certis finibus continerent et plebem poenarum metu coercerent. Sed fructum huius consilii res publica fere nullum tulit. Erant enim Draconis leges [2]) quum propter immodicam paenarum atrocitatem omnibus invisae [3]), tum sedandis turbis parum idoneae, ut quae de publico iure et condicione plebis nihil mutarent [4]). Nam quod novus iudicum ordo a Dracone institutus est virorum unius et quinquaginta, qui de caede affinibusque criminibus in quinque dicasteriis iudica-

---

tem dominis dedissent, quinque ipsi retinuissent, aliquanto meliore condicione fuissent quam qui hodie apud nos coloni aut arrhendatores sunt, aut qui apud Graecos hodiernos conductos agros colunt, quos deductis decimis et semente dimidiam frugum partem dominis pendere Thierschius narrat, sur l'état actuel de la Grèce, I p. 303. Cf. tamen Platner Symbol. ad ius Att. (Beitr. z. Kunde des att. Rechts) p. 55. Stallbaum. ad Plat. Euthyphr. p. 334. — Ceterum fuerunt qui hanc ἐκτημορίων aut θητῶν condicionem ita explicarent, ut eam ab Ionum in Atticam migratione repeterent: Iones enim dicunt Xuthi comites: abs quibus veteres incolas plerosque subactos et ad tributum pendendum coactos esse. Cf. supr. §. 2, 7.

14) Plut. l. l. Add. Solon. eleg. fr. ap. Demosth. de f. leg. p. 422. Brunck. poet. gnom. no. 15 v. 23—25, et eiusd. iamb. fr. ap. Br. 28. v. 6—13.

1) Archonti ann. 624. Cf. Bentl. opuscc. p. 339. Pausan. IX, 36, 4.

2) Has non νόμων sed θεσμῶν vocabulo appellatas veteres testantur. Vid. Aelian. V. H. VIII, 10. Meurs. Solon. c. 13. Menag. ad Diog. Laert. I, 53.

3) Plut. Solon. c. 17. Gell. N. A. XI, 18. Suid. s. v. Δράκων.

4) Πολιτείᾳ ὑπαρχούσῃ τοὺς νόμους ἔθηκε. Arist. Polit. II, 9, 9.

reut [5]), hoc nihil admodum pertinebat ad universum rei publicae statum, quum illi quoque omnes ex eupatridis essent, omnisque mutatio in eo consisteret ut quae olim, ut videtur, ad senatus cognitionem pertinuerant, nunc ad alios ex eodem ordine homines deferrentur.

§. VII.

Crescente igitur in dies discordia quum turbis et seditione civitas laboraret unus ex nobilitate, Cylon, vir opulentus et factiosus, regni potiundi spem concepit armatisque factionis suae hominibus arcem occupavit. Sed quum cupidius quam cautius rem ageret, ceterorum nobilium, Alcmaeonidarum maxime opera oppressus ipse fuga salutem quaesivit, ceteri ad deditionem coacti contra fas fidemque ab adversariis interempti sunt [1]), non

---

5) Pollux VIII, 125: *Ἐφέται τὸν μὲν ἀριθμὸν εἷς καὶ πεντήκοντα. Δράκων δ' αὐτοὺς κατέστησεν ἀριστίνδην αἱρεθέντας· ἐδίκαζον δὲ τοῖς ἐφ' αἵματι διωκομένοις ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις.* h. e. in Areopago et ceteris quae supra §. 4 extr. indicata sunt. Cf. Timae. lex. Plat. s. v. *ἐφέται· οἱ ἀπὸ Δράκοντος περὶ φόνου δικάζοντες κριταί.* Muellero tamen ad Aeschyl. Eumen. p. 154 (cf. Dor. I p. 333, 5) placuit Ephetas non a Dracone demum institutos sed eosdem fuisse cum vetustissimo rei publicae senatu (vid. §. 4.). De hoc et de similibus Luzaci et Platneri opinionibus disserui in Prooem. lect. Gryph. hib. 1833 p. 3 sqq. Probabilius Muellerus numerum Ephetarum statuit fuisse XLVIII et post Clisthenem demum ad L, quinos e singulis tribubus, auctum, quibus *ὁ Βασιλεὺς* tanquam LImus adnumeretur. Sed fieri tamen potest ut iam a Dracone LI numerati sint, scil. XLVIII e tribubus creati, hisque additi tres exegetae, de quibus vid. infr. c. 5 §. 46 extr. Ephetarum nomen nonnulli inde explicaverunt, quod provocari ad eos a magistratuum sententiis potuerit (cf. Proc. Att. p. 16.); sed neque credibile est ante Draconem solos magistratus, non senatum, de caedibus iudicasse, neque *ἐφέτης* recte dici potest is ad quem provocatur. Quae enim C. F. Hermannus ad hanc sententiam probandam attulit, de iure magistr. p. 62 et Antiqu. Gr. §. 103, 12. omnia aliena esse videntur. Cf. Mueller. ad Eumen. p. 151 sq. Ipsi Muellero placet *ἐφέτας* dictos *ὅτι ἐφιᾶσι τῷ ἀνδροφόνῳ τὸν ἀνδρηλάτην.* At non faciunt hoc ephetae, sed obsistunt potius ultioni privatae. Buttm. Gr. Gr. II p 326 not propterea dictos putat, quod imponerent manum homicidae. Nobis quid videatur diximus in prooem. supra citato.

1) Herodot. V, 71. Thucyd. I, 126. Plut. Solon. c. 12.

sine magna populi invidia, cui placandae et Epimenidem Creta arcessi placuit, qui civitatem piaculo contaminatam lustraret [2]), et Alcmaeonidas trecentorum e nobilitate lectorum iudicio damnatos in exilium pelli [3]). Ceterum ex obscurissima harum rerum historia nonnihil tamen lucis quamvis incertae de forma rei publicae huius aetatis peti potest. Nam et Areopagum commemorari videmus, et Ephetas et Prytaneum Prytanesque Naucrarorum [4]). Et Areopagi quidem nomine non dubitamus quin senatus designetur [5]). Ephetae iudices sunt a Dracone instituti, de quibus modo dictum est. Naucrari quales fuerint quove tempore instituti etiamsi parum constat, hoc tamen certum est, fuisse hac aetate populum Atticum in quadraginta octo naucrarias regionatim divisum, ita ut singularum tribuum duodenae, phratriarum ternae essent naucrariae [6]). Ex hac divisione munera publica in pecuniis conferendis, militibus conscribendis, navibus apparandis ordinabantur: quarum rerum curandarum causa praefectos

---

2) Plut. l. l. Diog. Laert. I, 110. C. F. Heinrich, Epimenides aus Creta (Lpz. 1801. 8.) p. 77—118. Hoeck, Creta III p. 257.

3) *Τριακοσίων ἀριστίνδην δικαζόντων.* Plut. l. l. Hi qui fuerint nemo dixerit: priorum coniecturas commemoravi in Proc. Att. p. 21 sq. Ceterum de Alcmaeonidarum damnatione et devotione cf. intt. ad Thucyd. I, 126. Pausan. VII, 25, 1.

4) Plut. Solon. c. 19. *Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν ἢ ἐκ Πρυτανείου δικασθέντες [ἢ] ὑπὸ τῶν Βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον.* Hoc quin ad turbas Cylonias referendum sit nemo dubitabit. Add. Herod. V, 71 de Cylonis asseclis: *τούτους ἀνιστέασι μὲν οἱ Πρυτάνις τῶν Ναυκράρων.*

5) Senatum hunc, non solum iudicium fuisse etiam ante Solonis leges vel Aristotelis verbis apparet Polit. II, 9, 2; et postquam iudicia *φονικὰ* in Areopago exercenda a Dracone Ephetis tradita erant, nihilo minus tamen etiam senatus ille antiquus in Areopago considere et ab Areopago appellari potuit.

6) Pollux VIII, 108. Harpocr. Phot. s. v. *ναυκραρία.* Schol. Aristoph. Nubb. 37. Boeckh. de oecon. r. p. A. I p. 274. II p. 87. Platner. symbol. ad J. A. p. 157. Meier. de gentil. Att. p. 10. Prooem. lect. Gryph. hib. 1833 p. 7.

quosdam s. naucraros habebant, qui utrum singuli an plures fuerint dubitari potest. Probabilius tamen videtur plures singularum naucrariarum praefectos fuisse, propter id ipsum quod Prytanes eorum commemorantur, quos ceterorum in sua quemque naucraria principes fuisse credo [7]. Horum etiam in summa re publica administranda haud exiguae partes fuisse videntur [8], imprimis si quid incidisset cum re militari ac pecuniaria coniunctum [9]. — Atque huic prytanum collegio etiam eos qui *Φυλοβασιλεῖς* vocantur [10], et praeterea fortasse novem quoque Archontes interfuisse ex indiciis quibusdam colligi potest [11].

§. VIII.

Oppresso autem Cylone et Alcmaeonidis e civitate eiectis recruduit mox seditio omnisque populus in tres factiones discessit, Diacrios, qui populare imperium flagitabant, Pediaeos, qui optamatium potestatem servatam cupiebant, et Paralios, qui mediam inter utrosque rationem sequebantur [1]. Tandem Ol. XLVI, 3 Solon Execestidae f. e Codridarum gente, vir propter sapientiam et moderationem omnibus pariter acceptus, ad summum

---

7) Muellerus Dor. II p. 137 et comm. in Aesch. Eum. p. 157 hos naucrarorum prytanes non diversos a *φυλοβασιλεῦσι* fuisse statuit, quod cur parum probabile videatur dixi in Prooem. cit. p. 8.

8) *Ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας.* Herodot. l. l.

9) Munia huius prytanum collegii a Solone sublati pleraque senatui quadringentorum tradita videntur, cuius praesides et ipsi prytanes vocantur.

10) Plutarch. l. l. *ἐκ Πρυτανείου δικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων.* Nam hos *φυλοβασιλεῖς* esse probabiliter Mueller. coniecit ad Eumen. p. 157. et horum aliquas etiam posterioribus temporibus in iudiciis ad Prytaneum partes fuisse infra videbimus §. 64.

11) Hinc Thucyd. I, 126 novem archontibus tribuit quae ab Herod. V, 71 prytanibus naucrarorum tribuuntur. Cf. de comitt. p. XIII. Induxit autem Thucydidis narratio Harpocrat. aliosque ut archontes ipsos illo tempore prytanes naucrarorum dictos crederent.

1) Plutarch. Solon. c. 13. Cf. Meurs. Sol. c. 10.

magistratum evectus eique permissum est, ut turbatum et paene perditum rei publicae statum novis legibus ordinaret et componeret [2]. Is igitur primum omnium obaeratorum saluti consulendum esse ratus, nexa civium aut liberavit omnia aut magno opere levavit deminutione foeneris et aucto nummorum pretio [3], iussitque in posterum non amplius corpora debitorum sed bona tantum creditoribus obnoxia fieri [4]. Dein ordinum iura quantum fieri potuit aequavit, ut neque generis nobilitas plus aequo valeret, neque tamen infimus quisque et humillimus tantumdem cum melioribus posset. Id non alia ratione effici posse intellexit quam classibus civium e censu descriptis iuribusque et muneribus pro portione facultatum dispensatis. Classes autem quattuor fecit: Pentacosiomedimnos, quibus tantum esset fundorum, unde quingenti aut amplius frugum medimni, vini o eive metretae redirent, Equites, quibus trecenti, Zeugitae, quibus centum quinquaginta, Thetes denique, quibus minor esset agrorum reditus [5]. His classibus modum pecuniarum finivit, cuius pro portione, si opus esset, tributa rei publicae penderent: Pentacosiomedimnis talentum, equitibus dimidium, zeugitis drachmas MDCCC. Thetes tributorum immunes erant [6]. Iidem militia quo-

2) De Solone in univ. cf. Plutarchi vit. Solonis, Diog Laert. I, 2. Meursii Solon. Hafn. 1632. 4. — De legum Solonis scriptura, de *ἄξοσιν* et *κύρβεσι* vid. Harpocr. s. vv. Ruhnken. ad Timae. p. 39. 170. Phot. s. v. Lex. Seguer. p. 204. 274. Schol. Apoll. Rhod. IV. 280. Herald. animadv. IV. 5, 8. Wichers ad Theopomp. p. 120 et 268,

3) *Σεισάχθεια*. Plutarch. Sol. c. 15. Suid. s. v. Lenz. ad Philoch. fr. p. 39. 40. Boeckh. de oec. r. p. A, 1 p. 17 et 139. II p. 349. sq. Wachsmuth. I, 1 p. 249.

4) Plut. l. l. et de vit. aer. alien. c. 4.

5) Plut. Solon. c. 18 Poll. VIII, 130. 132. Meurs. Sol. c. 14. Corsin. F. A. III p. 77. Boeckh II p. 30 sqq. Add. et C. F Hermann. diss. de equitibus Att. (Marburg. 1835. 4.) de nominum ratione eorumque eum veteribus *εὐπατρίδαις, γεωμόροις, δημιουργοῖς* nexu probabiliter disputantem.

6) Boeckh. l. l. p. 34 — 41. Ceterum quum haec descriptio

que vacabant aut, si res posceret, velites tantum ex iis sumebantur [7]). Reliqui aut gravi armatura aut equis militabant. Honores quoque et magistratus a tribus tantum superioribus classibus capi poterant, praeter archontum dignitatem aliasque paucas quae, quum maiorem fidem poscerent, pentacosiomedimnis relinquebantur [8]). Creabantur magistratus a populo in comitiis. Suffragii ius omnibus civibus pariter permissum, ideoque de summa re publica statuendi potestas multitudini data. Sed rector huic et moderator Senatus praepositus, cautumque ne quid ad populum ferretur nisi ex auctoritate senatus, neve quid populus iuberet, nisi a senatoribus in suffragium missus. Senatores erant quadringenti, centeni e singulis tribubus quotannis creati, sed superiorum tantummodo classium nec triginta annis minores [9]). Magistratuum in iure dicundo potestas eo imminuta, quod ab eorum decretis ad iudices provocari potuit [10]). Iudices autem ex omni populo sumeban-

---

agrorum tantummodo rationem habeat, pecuniam aliamque ἀφανῆ οὐσίαν non respiciat, videtur divitibus, si qui essent qui agros non haberent, locus in quarta classe assignatus esse, ut etiam hac ratione omnes qui ad rem publ. accedere honoresque capere vellent, agros habere cogerentur. Cf. Dinarch. in Demosth. p. 51 Reisk. Ceterum vetuit etiam Solon κτᾶσθαι γῆν ὁπόσην ἂν βούληταί τις, ut ait Aristot. Pol II, 4, 4, ne scilicet tenuiores excluderentur: quamquam dubitatur de eius loci interpretatione ab Hermanno, de vestig. vett. institt. in Plat. legg. p. 63.

7) Harpocr. s. v. Θῆτες. Phot. s. v. Θητικόν. Cf. Boeckh. l. l. p. 35.

8) Arist. Polit. II, 9, 4. Plut. Sol. c. 18. Pollux VIII, 97. Perizon. ad Aelian. V. H. VIII, 10 Ceterum quod Niebuhr. H. R. I p. 458 ed. 2. cl. tom. II p. 346 propter Demetrii verba ap. Plutarch. Aristid. c. 1: ἐκ τῶν γενῶν τῶν τὰ μέγιστα τιμήματα κεκτημένων, colligit archontes ex eupatridis tantum pentacosiomedimnis creari potuisse, vereor ut Demetrius τῶν γενῶν isto sensu dixerit. Cf. etiam Meier de gentil. Att. p. 6 not. 50.

9) De his omnibus infr. c. 3 explicatius dicetur. Thetes a senatu exclusos fuisse dubitavit Tittmann. p. 240 et 653; sed Plutarch Sol. c. 18. disertis verbis testatur: τῷ συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν μόνον μετεῖχον τῆς πολιτείας οἱ Θῆτες.

10) Plut. l. l. Nolim tamen cum Hermanno A. Gr. §. 107

tur nullo classium aut ordinum discrimine, modo ne minores annis triginta. De caede tamen iudicia pleraque e Draconis instituto Ephetis relinquebantur [11]), ex nobilitate sumptis: unum genus *φονικῶν*, de quo in Areopago iudicandum erat, novo cuidam collegio Areopagitarum traditum [12]), cui collegio adscribebantur, qui archontum officio cum laude perfuncti essent [13]). Iisdem quasi quaedam totius rei publicae custodia iniuncta: ut magistratuum acta inspicerent, et si quid contra leges aut bonum publicum ageretur, monendo, vetando, denunciando intercederent: itemque privatorum vitae morumque et disciplinae publicae curam gererent [14]). Ceterum nemo neque magistratus, neque senator, neque iudex, nec qui comitiis interesset, mercedem de publico accipiebat [15]), quae res eo valuit, ut plerisque horum munium locupletiores tantum vacarent, tenuioribus autem propter rei domesticae curam rarius rem publicam tractare liceret.

§. IX.

Ita sapienter temperata re publica, nec imminuta nimis optimatium potestate, et plebe in li-

---

hinc concludere iudicia heliastica tantummodo provocationum causa instituta esse.

11) Plut. Solon. c. 17. Aelian. V. H. VIII, 10.

12) Pollux VIII, 125. Novum collegium Areopagitarum dixi quia a vetere illo eupatridarum senatu, qui et ipse ab Areopago nomen habuit, plane diversum fuit, si quidem utriusque compositionem spectemus. Alias non ita dissimile fuit, ut non recte Solon ab Aristotele Polit. II, 9, 2 senatum Areopagiticum quem invenerit servasse dici potuerit Sed apparet facile fieri potuisse ut multi Areopagum a Solone demum institutum autumarent. Cf. Proc. Att. p. 16 sq. et Boeckh. de Philochoro p. 12.

13) Plut. Solon. c. 19 et all. ap. Meurs. de Areop. c. 5. Apparet igitur Areopagitas quoque tantummodo e pentacosiomedimnis fuisse.

14) Vid. infr. c. 7. §. 66.

15) Comitiorum et iudiciorum mercedes longo post Solonem tempore institutas esse constat: idem de ceteris probabile est.

bertatem asserta, nec tamen non semper optimorum auctoritati obnoxia, praeclara Solon fundamenta iecit futurae Athenarum magnitudinis. Eam enim instituit rem publicam, quae non posset non hominum animos ad omnem civilem virtutem erigere, quippe cuius praemia in medio posita campumque sibi honestissimum apertum viderent, in quo vires contenderent et summa quaeque consectarentur. Atque hac ratione melius devinciri rei publicae et civilibus studiis adsuefieri populum iudicavit, quam severis disciplinae vinculis et anxia quadam animorum coercitione. Libere omnes moveri maluit, eamque vitae rationem sequi, quae cuiusque ingenio et facultatibus maxime conveniret, dum ne rei publicae officeret. Itaque neque artes omnis generis neque frequentia peregrinorum commercia a civitate arcenda, neque illud studiose cavendum censuit, ut praesenti rerum statui unice adsueti eiusque tenaces alia nec nossent nec concupiscerent; sed ut homines, ita leges quoque mutabiles esse debere intellexit [1]), modo ne quid temere et imprudenter novaretur [2]). Quamquam negari non potest, hoc ipsum propter mobilitatem Attici ingenii multa mala rei publicae intulisse, posteaquam potentior civitas et opulentior facta, veterisque frugalitatis, parsimoniae, probitatis oblita, habendi atque imperandi cupidine aut voluptatis et inertiae dulcedine corrupta est, interiitque illa quam Plato olim in civium animis insedisse ait, *δεσπότις αἰδώς, δι' ἣν δουλεύοντες τοῖς νόμοις ζῆν ἤθελον* [3]).

§. X.

Ceterum proximis post Solonem temporibus novae libertatis fructu civitas aliquamdiu caruit.

---

1) Plut. sept. sap. conv. c. 7: *ἀπηγγέλθη περὶ Χίλωνος ὡς ἄρα διαλύσαιτο τὴν πρὸς Σόλωνα φιλίαν καὶ ξενίαν, ὅτι τοὺς νόμους ὁ Σόλων ἔφη μετακινητοὺς εἶναι.*

2) Vid. quae infra de nomothetis et de *γραφῇ παρανόμων* dicentur.

3) Plat. Legg. III, 14 p. 698.

Nam initio nondum expertis legum praestantiam civibus, et optimatibus quamvis pristini iuris imminutionem aegre ferentibus, plebe autem non satis sibi concessum fremente, veteres illae Diacriorum, Pediaeorum et Paraliorum factiones rursus rem publicam perturbabant, donec Pisistratus, Diacriorum dux, dominatione potitus est (Ol. LIV, 4), quam identidem et amissam et recuperatam postremo usque ad mortem tenuit et filiis quoque hereditariam reliquit [1]). His autem Ol. LXVII, 2 eiectis simul cum restituta libertate etiam discordiae civiles renatae sunt, optimatibus Isagoram, popularibus Clisthenem, unum ex Alcmaeonidis [2]), ducem sequentibus. Post multa variaque certamina tandem Isagoras civitate excedere coactus [3]), resque publica a Clisthene composita legibusque multis ordinata est, quae libertatem a Solone fundatam firmarent et augerent [4]). Nam primum receptis in civitatem peregrinis et libertinis plebi vires additae [5]): dein solutis veterum tribuum vinculis nobilium opes imminutae [6]), novaque omnium civium descriptione facta, in qua nihil illi prae ceteris possent, novis quoque inter se et cum re publica vinculis omnes consociati. Fecit autem

---

1) Herodot. I, 59 sqq. et in univ. Meursii Pisistratus (Lugd. Bat. 1623. 4) impr. c. 3—7. De Pisistrati et Pisistratidarum ingenio, moribus, institutis et litterarum amore cf. et Thucyd. VI, 54. Plut. Solon. c. 31. Perizon. ad Aelian. V. H. VIII, 2. Wachsmuth. I, 1 p. 108. Nitzsch. de histor. Hom. I p. 158. De Pisistratidarum expulsione Herodot. V, 62 sqq. Thucyd. VI, 55 sqq. Add. Boeckh. C. J. II p. 318.

2) Hi enim quum post Cylonium piaculum (vid. §. 7, 3), incertum quo tempore, in civitatem reversi, mox a Pisistrato iterum eiecti essent, Pisistratidas oppugnaturi redierant in Atticam iisque pulsis dehinc in patria remanebant. Vid. Herodot. I, 64. V, 63. Thucyd. VI, 59.

3) Vid. Herod. V, 66—73.

4) Id. VI, 131. Plut. Aristid. c. 2. Pericl. c. 3. Isocrat. de big. c. 10. Areopagit. c. 6 c. Bergmani nott. p. 98 sq.

5) Aristot. Polit. III, 1, 10. Meier. de gent. Att. p. 6.

6) Cf. de comitt. Ath. p. XV et 363.

Clisthenes tribus decem, demos s. pagos centum [7]): ad tribuum numerum senatum auxit, ut quinquageni e singulis senatores fierent: item magistratuum nonnullorum collegia, ut singuli e singulis tribubus crearentur. Horum eos, in quibus neque arte quadam et peritia eximia, neque facultatibus amplioribus, sed tantummodo civili prudentia, qualem in libera civitate quivis facile acquirere posse videtur, aut probitate et patriae caritate opus esset, non ut olim suffragiis sed sorte creari instituit [8]), ita tamen ut, qui sortiti essent, non inirent magistratum nisi in iudicio probati. Denique etiam ostracismum introduxit, quo aequa civium libertas a nimiis paucorum opibus tuta foret [9]).

§. XI.

Plurimum autem incrementi cepit populi potestas post bellum Persicum secundum. Primum enim quum ex ipsius belli genere maritimo consequuta esset magna totius rei militaris commutatio, ac minus iam in pedestribus et gravis armaturae militibus, quod antiquitus omne robur civitatis fuerat, quam in classiariis remigibusque, ex infima plebe maximam partem conscriptis, proeliorum eventus et rei publicae salus sita esse coepissent, factum est necessario, ut ab opulentioribus, ex quibus constare solebat gravis armatura, ad tenuiores quoque deveniret potestas [1]). Ad hoc devastatis a Persarum exercitu omnibus Atticae partibus fractae et attritae erant plurimorum

7) Vid. infr. c. 2 §. 22, 3. — Ceterum etiam naucrariarum numerum Clisthenes auxit, ut L fierent pro XLVIII, quinae e singulis tribubus.

8) Hoc ex coniectura posui de comitt. p. 311, probantibus Hermanno de iure magistr. p. 15. Wachsmuth. I, 1 p. 273 aliisque. Dissentit tamen Tittmann. p. 308.

9) Cf. de comitt. Ath. p. 247. Meier. in Ersch. et Gruber. Encyclop. III, 7 p. 180.

1) Cf. Isocr. Panath. c. 44. Xenoph. de r. p. A. I, 2. Plutarch. Themist. c. 19. Aristot. Polit. V, 3, 5.

optimatium opes [2]); alii, tenues antea et exiguorum aut nullorum agrorum possessores, bellica praeda locupletati erant: universa autem plebs, recenti victoria elata viriumque ac virtutis suae sibi conscia, ampliores etiam in re publica partes flagitabat. Itaque Aristides, haud mediocris alias optimatium propugnator, legem tulit ut cuilibet civi ingenuo, nullo classium discrimine, etiam ad summos honores aditus pateret [3]). Mox autem parto maris imperio ditatoque sociorum tributis aerario homines ambitiosi perniciosum publicarum largitionum morem invehere coeperunt. Ac primum quidem iudiciorum merces introducta, mox etiam comitiorum [4]): quamquam utraque initio mediocris fuit, vix ut nimis multos e tenuioribus allicere posset, postmodum aucta [5]), ut iam plurimi facilem iudiciorum comitiorumque quaestum ingrato labori anteferrent [6]), et contra plebis multitudinem optimorum auctoritas parum valeret. Accedebant etiam aliae subinde largitiones, artesque demagogorum mobilem imperitamque multitudinem facile quo vellent impellentium, Areopagi auctoritas imminuta ac paene sublata [7]), auctus denique plebis urbanae numerus, nautis, mercatoribus, cauponibus, opificibus in frequentem commerciis urbem et maxime in Piraeeum supra modum confluentibus [8]).

---

2) Plutarch. Aristid. c. 13.

3) Id. ib. c. 22. Cf. infr. cap. 5, §. 38, 4.

4) Vid. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 244 sqq. 250 sqq.

5) De iudiciorum mercede initio minore postmodum aucta obloquutus est Boeckhio God. Hermannus praef. ad Aristoph. Nubb. p. L, persuasitque et aliis et Sinteni ad Plutarch. Pericl. p. 99. Nobis Hermannus nihil aliud docuisse videtur, nisi, de quo nemo dubitavit, non tam certas esse in rebus historicis demonstrationes quam in mathematicis.

6) Cf. Proc. Att. p. 137.

7) Cf. infr. c. 7 §. 66, 18.

8) Hinc *μᾶλλον δημοτικοὶ οἱ τὸν Πειραιᾶ οἰκοῦντες τῶν τὸ ἄστυ.* Aristot. Polit. V, 2, 12.

§. XII.

Itaque bello Peloponnesiaco, quum expeditio Syracusana, insatiabili dominandi cupiditate suscepta, asperum foedumque eventum habuisset, fractaeque et attritae sociorum defectionibus civitatis vires essent, ut vix sisti diutius posset, spem et consilium rerum novandarum nonnulli ceperunt. Et statim quidem nuntio cladis allato (Ol. XCI, 4) collegium quoddam seniorum imposuerunt, qui rei publicae saluti prospicerent. Hi *πρόβουλοι* dicti sunt, nomine in oligarchiis usitato: videtur autem eorum potestas fere annua fuisse [1]). Proximo enim anno optimates, continuis bellorum sumptibus exhausti calumniatorumque iniuriis vexati, praeterea fore sperantes ut Persae Laconesque libentius cum paucis pacem facerent quam cum mobili et infida multitudine, evertere plebis potestatem conati sunt et paucorum imperium restituere. Itaque Pisander, Antiphon ceterique eius factionis persuadent primum plebi, ut decemviri creentur, qui intra certam diem de ordinanda re publica ad populum ferant [2]). Horum dein consilio quinque viri constituuntur, a quibus rursum centum alii creati, quorum singuli ternos sibi coo-

---

1) Thucyd. VIII, 1. cf. Aristoph. Lysistr. 387. 467 (Acta haec fabula Ol. XCII, 1, proximo post cladem acceptum anno.) Lys. in Eratosth. §. 65. Aristot. Rhetor. III, 18. E lexico Seguer. p. 298, 25 decem fuisse colligas, e tribubus, licet ibi *ἐννέα* scriptum sit. Vid. not. sequ.

2) Ita Thucyd. VIII, 67. — Harpocratio s. v. *συγγραφεῖς* e Philochoro et Androtione triginta, non decem creatos esse refert, unde Kruegerus comm. de Thucyd. hist. p. 375 non abhorret ab ea suspicione, ut *συγγραφέας* a grammatico cum XXX viris post cladem ad Aegos flumen creatis confusos esse credat. Sed quum Harpocratio significet in triginta illis *συγγραφεῦσι* decem *προβούλους* fuisse, res, ni fallor, ita acta est, ut iidem illi *πρόβουλοι* quorum Thuc. VIII, 1 mentionem facit, etiam *συγγραφεῖς* creati et ab his viginti adlecti sint. Idque Suidas confirmat s. v. *πρόβουλοι: πρὸς τοῖς οὖσι δέκα ἡρέθησαν ἄλλοι εἴκοσι εἰσηγησόμενοι τὰ δοκοῦντα τῇ πολιτείᾳ.* Isocr. Areop. c. 24 hos etiam *συνέδρους* vocat. Ceterum cf. Taylor. vit. Lys. in Reisk. O. G. VI p. 115. Ruhnk. diss. de Antiphonte ib. tom. VII p. 814. Krueger. l. l. p. 368 sqq.

ptant. Ita confectis quadringentis[3]) senatus loco summa res publica permittitur. Dissolvitur senatus quingentorum, magistratus mutantur, constituitur ut ad comitia, si qua haberi opus sit, non omnes cives, sed quinquies mille et censu haud exiguo et cetera quoque huic rerum statui idonei convocentur, mercedem neque magistratus neque iudices neque alius quisquam praeter milites accipiat.

§. XIII.

Vix autem quattuor menses abierant[1]), quum populus, quoniam neque pacem fieri et quadringentos dominationem impotentius exercere videbat[2]), eos imperio exuit. Neque tamen statim popularis status qualis antea fuerat restitutus, sed electi sunt[3]) ex universa multitudine quinque millia civium eorum, qui suis sumptibus armati essent, qui soli in comitiis rem publicam administrarent. Nam priores illi quinquies mille non re sed nomine tantum fuerant[4]). Praeterea leges emendatae novaeque latae, quae rei publicae utiles viderentur[5]), aliaque bene ordinata, ut egregio inter paucos et plebem temperamento salubriter aliquamdiu res publica administrata sit[6]). Hic rerum status quamdiu permanserit non satis liquet:

---

3) Quod apud Lysiam pro Polystrato §. 2 quadringenti a tribulibus suis electi dicuntur, non magni est momenti. Fortasse centum illi e suis potissimum tribulibus ternos sibi cooptarunt. Neque magnopere offendit quod a Photio quadringenti a *συγγραφεῦσι* creati dicuntur. Nimirum hi totum negotium moderabantur erantque haud dubie in centum primo creatis.

1) Aristot. ad. Harpocr. s. v. *τετρακόσιοι*.

2) Thucyd. VIII, 70. 74.

3) Creati ad hoc negotium *καταλογεῖς*, quorum meminit Lysias pro Polystr. §. 13.

4) Cf. Thucyd. VIII, 89.

5) Cf. Th. Bergk. ad Andocidem ed. Schiller. p. 145 sqq.

6) Thucyd. VIII, 97.

quamquam non diuturnum fuisse constat[7]). Post proelium autem ad Hellespontum paucorum factio rursus praevaluit[8]): constituti sunt quinque ephori, qui populi conventibus praeessent[9]): exules revocati, restitutique in integrum qui capitis deminutione affecti fuerant[10]): denique captis a Lysandro Athenis summum imperium ad triginta viros delatum, qui novas leges novamque rei publicae formam conderent, interim omnia suo arbitrio administrarent[11]). Hi Lacedaemoniorum praesidio freti et ter mille civium, quibus solis arma habere et in urbe versari permissum, auxilio adiuti[12]), senatum magistratusque omnes ad suum arbitrium constituerunt[13]), omnesque qui aut virtute et auctoritate aut opibus excellerent, quosque suae dominationi non favere suspicarentur, indicta plerosque causa de medio sustulerunt[14]), impotenter denique et crudeliter rem publicam tractarunt. Sed exulum manus haud magna[15]) Thrasybulo

---

7) Cf. Sievers. comment. hist. de Xenoph. Hellen. (Berol. 1833. 8) p. 18 et 75. Hermann. Ant. Gr. §. 167, 13. De Diophanti psephismate (Andocid. de myster. §. 96) Ol. XCII, 3 lato vid. Meier. de bon. damn. p. 3, cuius rationes omnem de tempore psephismatis dubitationem eximere debebant Lelyveldo π. ἀτιμίας p. 54.

8) Non dubium est quin clades propter proditionem imperatorum plebi infestorum accepta sit. Cf. Sievers. p. 33 et 87.

9) Lys. in Eratosth. §. 43. cf. Sievers p. 43 et 92.

10) Andocid. de myster. §. 77 sqq. Xenoph. Hell. II, 2, 11. Sievers. l. l.

11) Vid. Sievers. p. 46—48 et 94—97 haec omnia accurate persequentem.

12) Xenoph. Hell. II, 3, 18. 4, 1. Sievers p. 98 not. 317. — In his tamen non numerandi videntur ἱππεῖς illi quorum mentio fit a Lysia pr. Mantith. §. 3 sqq. in Euandr. §. 10. Vid. Xenoph. Hell. II, 4, 2. Cf. et Boeckh. de oec. r. p. A. II p. 208 et C. J. I p. 119 et 896.

13) De undecimviris in urbe, decemviris in Piraeeo vid. Plat. epist. 7 p. 324. Wyttenb. ad Eclog. histor. p. 410 sq. Ullrich de undecimv. p. 259.

14) De numero occisorum cf. Sievers. p. 49 et 98.

15) Id. p. 54 et 100.

duce Phylen, Atticae castellum, occupavit, inde aucto numero in Piraeeum transiit, tyrannorum copias fudit eosque qui urbem tenebant in eas angustias adduxit, ut triginta illi abdicare cogerentur resque publica decemviris, singulis ex quaque tribu electis, committeretur [16]). Qui quum nihilo moderatius agerent, tandem omnium animis ad reconciliationem propensis, adiuvante etiam Pausania, rege Spartanorum, pax convenit his legibus, ne quis praeter triginta tyrannos et decemviros propter acta sua puniretur neve bona publicarentur, administratio rei publicae populo redderetur [17]).

§. XIV.

Hinc ad leges instaurandas supplendasque civitas conversa. Decretum igitur, ut legum tabulae recenserentur novaeque si quibus opus esset adderentur [1]). Interim viginti viris res publica committitur [2]). Ita brevi populare imperium restitutum, cui salubriter temperando licet vetus Areopago auctoritas legumque et magistratuum custodia reddita sit [3]), parum tamen hic senatus sufficere potuit mutata prorsus temporum condicione et civitatis facie. Nam ne depravatos per longa infaustissimi belli mala, ut ceterorum Graecorum omnium, ita Atheniensium mores commemorem [4]), creverat Athenis plebeculae multitudo,

---

16) Xen. Hell. II, 4, 23. 24. Harpocr. s. v. *δέκα καὶ δεκαδοῦχος.* Lex. Seguer. p. 235. Sievers. p. 55 extr. et p. 100.

17) Cf. Meier. de bon. damn. p. 187. Ullrich. de undecimv. p. 259. Sievers. p. 57, et de *ἀμνηστίᾳ* pacem sequuta p. 58.

1) Andocid. de myst. §. 81 sqq. Cf. de comitt. Ath. p. 270. Bergk. ad Andoc. p. 153 sqq.

2) Andoc. l. l. Pollux VIII, 112. Hos sequitur archon Euclides, de quo vid. loc. a Clint. cit. Fast. Hell. p. 92. 94. Cf. Wichers. ad Theopomp. fr. p. 94. 218. Marx. ad Ephor. fr. p. 240. Nitzsch. de histor. Hom. I p. 101. Wyttenb. ad Plut. Mor. I p. 167 Lips.

3) Andoc. l. l.

4) Cf. Wachsmuth. I, 2 p. 141 sqq. 151 sqq.

receptis ad sarciendas belli clades in civitatem inquilinis aliisque peregrinis et servis etiam plurimis [5]), imminutus autem erat optimatium numerus opesque eorum exhaustae. Qui autem postea aut divitiis aut virtute et auctoritate prae multitudine excellerent, qui admodum pauci erant, horum et opes continuis publicorum munerum oneribus atterebantur [6]), et animi coercebantur calumniatorum artibus, qui tanquam canes populi [7]) minis et iudiciis terrebant et deprimebant quicumque vel levissimam suspicionis umbram praeberet [8]). Contra infimae saepe condicionis homines, non opibus, non meritis nec virtute insignes, sed una eloquentia vel potius fallendi, adulandi, tumultuandi arte pollentes, florere in concionibus et iudiciis, plebem exagitare, blandiendo et assentando favorem captare, omni modo plebis potentiam augere quo ipsi plus possent [9]). Ita populus, ipse iam aeger, ab his hominibus praeceps abreptus, libertate in licentiam versa, ex strenuo ignavus, ex forti imbellis, ex parco et modesto avidus et luxuriosus, nec nisi raro et per intervalla pristinae virtutis memor, tandem, quum adversarium nactus esset viribus et artibus superiorem, traditam a maioribus gloriam cum dedecore et servitute commutavit.

His in universum de Atticae rei publicae formis et mutationibus expositis sequitur, ut singulas

5) Xenoph. Hellen. I, 6, 24. Diodor. XIII, 97. Aristoph. Ran. 33. et 705 c. scholl.

6) Xenoph. de r. p. A. I, 13.

7) Or. in Aristogit. I p. 782.

8) Cf. Aristoph. Vesp. 482 sqq. Schol. Plut. v. 81. Athenae. III p. 74 E.

9) Cf. Valckenaer. de abusu eloquentiae in Attica republ., Diatr. de Eurip. fr. c. 23. Heyn. libertat. et aequit. civil. in Ath. rep. ex Aristoph. delineatio. Opusc. Acad. IV p. 392 sqq. Wachsmuth. I, 2 p. 276 sqq. 359 sqq. Lys. adv. Poliarch. p. 607 sqq.

eius partes, quales fuerunt adulta et maxime florente civitate, paullo accuratius consideremus.

---

1. De hominum in Attica generibus.

§. XV.

Attica terra, quamvis modica magnitudine et solo non admodum fertili, sat magnam tamen habuit incolarum multitudinem. Universus horum numerus, florentissimis rei publicae temporibus, quingentis amplius millibus censeri potest, ex quibus servorum millia quadringenta, inquilinorum quadraginta quinque, reliqua multitudo civium [1]). — Servi omnes ex venalium genere: nam glebae adscriptos et helotarum similes Attica nunquam habuit. Erant igitur omnes aut a mangonibus advecti [2]) aut bello capti [3]) aut vernae [4]), nonnulli etiam servi poenae [5]): serviebant autem aut rei publicae aut privatis. E publicis servis apparitores et accensi magistratuum sumebantur [6]), praecones porro, scribae, tabularii, rationales [7]), monetae pu-

---

1) Cf. Clinton. F. H. p. 397—400 Krueg. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 39 sq. Mueller. in Ersch. et Grub. Encycl. s. v. Attika.

2) Cf. Heynii comm. e quibus terris mancipia in Graecorum et Rom. fora advecta sint. Opusc. Acad. III p. 120 sqq. Add. intt. ad Aristoph. Plut. v. 521. Wachsmuth. II, 1 p. 94. — De plagio et plagiariorum poenis v. Dinarch. in Demosth. p. 17. Harpocr. s. v. *ἀνδραποδισταί*.

3) Cf. infra P. VI c. 1 §. 3, 12.

4) *Οἰκογενεῖς, οἰκοτραφεῖς, οἰκότριβες, σηκίδες*. Pollux III, 76. Athenae. VI, 83 p. 263. Cf. Lobeck. ad Phryn. p. 202. De contuberniis servorum vid. Xenoph. Oecon. 9, 5.

5) Vid. Meier. de bon. damn. p. 31—47.

6) Cf. Arist. Polit. IV, 12, 3. Etym. M. p. 265, 30. Lex. Seguer. p. 234, 15. Maussac. ad Harpocr. tom. II p. 169 ed. Lips. Hemsterhus. ad Polluc. IX, 10. Petit. Legg. Att. p. 342. Plut. Demosth. c. 5.

7) Herodot. VI, 121. Demosth. de Cherson. p. 101, 14. de f. leg. p. 381. Ulpian. ad Olynth. II p. 25.

blicae opifices [8]), custodes denique vinctorum et carnifices [9]). Ex hoc genere erant etiam qui vel Scythae vel Sagittarii vel Speusinii vocantur, initio trecenti, postea mille et ducenti, partim militiae partim urbanis ministeriis adhibiti et in foro, postea in Areopago, excubantes [10]). Ad hoc ducenti *ἱπποτοξόται*, equites sagittarii ad belli usum, quos et ipsos servos fuisse probabile est [11]). Privatorum servorum genera et ministeria varia et multiplicia, quae omnia enumerare a consilio nostro alienum est [12]). Alii in herili domo famulabantur, alii rusticis operibus aut metallis exercendis [13]) adhibebantur. Qui autem artem aliquam et opificium callerent, hi aut in fabricis (*ἐργαστηρίοις*) coniuncti sub magistro (*ἡγεμόνι, ἐπιτρόπῳ*) opus faciebant [14]), aut etiam singuli et separatim habitantes certas de quaestu suo pensiones dominis persolvebant [15]). Multos etiam aliis heri ad varia ministeria elocabant [16]), aut ipsos sibi conductorem operae suae quaerere iubebant [17]). Denique

---

8) Andoc. ap. schol. ad Aristoph. Vesp. v. 1001.

9) Pollux VIII, 71 c. intt. Add. Aeschin. d. f. leg. p. 296 ibiq. Taylor. et Bremi. tom. I p. 209. Sluiter. lectt. Andoc. p. 256. Ammon. s. v. *δήμιος* ibiq. Valcken. Meier. Proc. Att. p. 75.

10) Vid. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 222 sq.

11) Id. ib. p. 284.

12) Cf. Reitemeier, Geschichte der Sclaverei u. Leibeigenschaft in Griechenland. Berlin 1789. 8. Boeckh. l. l. p. 40.

13) Id. p. 41.

14) Demosth. ctr. Aphob. I p. 816 sqq. Aeschin. in Timarch. p. 118.

15) *Ἀνδράποδα μισθοφοροῦντα.* Xenoph. de r. p. A. I, 17. Cf. Aeschin. l. l. De eorum pensionibus (*φοραῖς* v. *ἀποφοραῖς*) vid. et Andoc. de myst. p. 19. Kuehn. ad Polluc. VIII, 31. Vales. ad Harpocr. tom. II p. 436. Petit. Legg. Att. p. 269. Ast. ad Theophr. p. 261.

16) Theophrast. char. c. 22 ibiq. Casaub. Xenoph. de redit. 4, 14.

17) Hi sunt *οἱ μισθωτοί*, qui praecipue in Colono congregabantur, unde *Κολωνῖται* dicti. Cf. Pollux VII, 130. Athenae. XIV, 10 p. 619 A. nos ad Isae. p. 310.

tabernis quoque et cauponis saepenumero servi praepositi, quin mercatura et argentaria negotia servis mandata [18]).

§. XVI.

Condicio servorum apud Athenienses aliquanto quam alibi melior fuit. Qui rei publicae serviebant haud fere aliter quam inquilini habiti esse videntur [1]): sed privatorum quoque servis leges non uno modo prospexerant. Nam neque vitae necisque potestas in eos dominis concessa erat [2]), et qui saevius crudeliusque tractarentur, his in templum Thesei aliudve asylum confugere permissum, et venditionem postulare [3]). Iniuriae in alienum servum commissae, atrociores quidem, etiam *ὕβρεως* actione ab hero vindicari poterant [4]). Nec rarum fuit ut suo se peculio in libertatem redimerent, pactione de pretio cum hero facta [5]). Etiam ad militiam, imprimis navalem, servi saepius cogebantur, qui si strenuam rei publicae operam navassent, libertate aut etiam civitate donari solebant [6]). Habitus servorum et vestitus nihil fere a civium tenuiorum modo diversus [7]): et mores

---

18) Demosth. pro Phorm. p. 957. cf. Proc. Att. p. 559.

1) Vid. Proc. Att. p. 560 et 401.

2) Lycurg. in Leocr. §. 65. Antiph. de salt. §. 4. (p. 763). Herald. animadv. in Salmas. p. 287. Proc. Att. p. 558.

3) Proc. Att. p. 403. Add. Wyttenbach. ad Plut. Mor. tom. II p. 291 Lips.

4) Proc. Att. p. 321—326.

5) Dio Chrysost. or. XV p. 241. Petit. Legg. Att. p. 259. Recte autem Hermann. Ant. Gr. §. 114, 11 monet e Plauti Casin. II, 5, 7 non tuto colligi posse etiam sine eiusmodi pactione invitis dominis servos se redimere potuisse. Cf. Taubmann. ad Aulul. V, 1, 9. et Lips. ad Tac. Annal. XIV, 42.

6) Cf. Boeckh. I p. 281 sq.

7) Xenoph. de r. p. A. I, 10. *Κομᾶν* servis non licuisse patet ex Aristoph. Avv. 911 ubi cf. intt. Ceterum vid. Wachsmuth. II, 2 p. 35.

eorum solutiores spiritusque saepenumero supra condicionem fuisse dicuntur [8]). Arcebantur tamen a liberorum disciplina et gymnasiis [9]) et a populi coetibus [10]), nec sistere in iudiciis aut testes produci poterant, nisi in caedis causa [11]). Libertini [12]) in inquilinorum ordinem transibant, patronumque *προστάτην* habere solebant [13]), quod qui sine iusta causa detrectaret, in hunc *ἀποστασίου* actio competebat, qua convictus in servitutem revocabatur [14]).

§. XVII.

Inquilini, h. e. peregrini qui patria sua relicta Athenas habitatum concesserant [1]), plurimi Athenis erant vel urbis amoenitate voluptatumque omnis generis affluentia, vel quaestus faciendi opportunitate invitati [2]). Et Atheniensium mores humanitate erga peregrinos et comitate prae ceteris

---

8) Xenoph. l. l. c. nott. Zeun. et Schneid. Demosth. Phil. III p. 111, 10. Huc respicere videtur Plato Legg. VI p. 777 E. cf. de re publ. VIII, 563 B. Rötscher, Aristophanes u. sein Zeitalter. p. 111 sq. Add. Dorvill. ad Chariton. p. 62.

9) Aeschin. in Timarch. p. 147. Plut. Solon. c. 1. cf. infr. c. 9.

10) Aristoph. Thesmoph. 300. Plutarch. Phoc. c. 34. Sacrorum tamen publicorum et templorum aditu non arcebantur. Or. in Neaer. p. 1374.

11) Petit. Legg. Att. p. 419. Proc. Att. p. 557 sq. et p. 667 not. 32. — Quum *δίκη* servo intentata dicitur (Demosth. in Callicl. p. 1280. Harpocr. s. v. *ὅτι πρὸς τὴν φυλήν.*) cogitandum semper est hero causam agendam fuisse. Cf. Dem. in Nicostr. p. 1253. — De servis noxae deditis vid. Herald. animadv. in Salmas. p. 305.

12) De modis manu mittendi vid. Proc. Att. p. 35.

13) Cf. tamen Meier. de bon. damn. p. 34. Add. Aristot. Rhetor. III, 8 in. qui comici alicuius locum ante oculos habuisse videtur. — De iuribus patroni in libertum vid. Meier. l. l. p. 33. 234. nos ad Isae. p. 274.

14) Meier. l. l. sq. Proc. Att. p. 473.

1) Harpocr. s. v. *μετοίκιον*. In univ. vid. Sainte-Croix, sur les metoeques, in Comm. Acad. Inscr. tom. XLVIII p. 186.

2) Dicaearch. vit. Gr. p. 21 Buttm. Cf. Xenoph. de redit. 5, 3. 4. et 3, 1, qui etiam de utilitate quam urbs ex inquilinis capiat aut capere possit loquitur c. 2. Cf. id. de r. p. A. I, 12.

excellebant [3]). Tamen ius horum et condicio longe infra cives fuit [4]). Nam neque praedia in Attica habere [5]), neque matrimonia cum civibus contrahere poterant [6]), neque causas in foro agere, nisi assumpto uno e civibus, cui se tanquam patrono (*προστάτῃ*) applicaverant [7]). Qui patronum non haberet, in hunc actio erat *ἀπροστασίου*, poena servitus [8]). Praeterea tributum pendebant, pater familiae duodenas, viduae senas drachmas annuas [9]), et vectigal quoque iis qui vel tabernas vel alium questum exercebant impositum erat [10]). Porro in festorum quorundam pompis solemnibus *σκαφηφόροι, ὑδριαφόροι, σκιαδηφόροι* ex eorum numero sumebantur [11]). Extraordinaria tributa eaque munera, quae liturgiae vocantur, inquilini pariter cum civibus praestabant [12]), et non raro etiam ad militiam quum navalem tum pedestrem conscribebantur [13]). — Ceterum recipiendi in Atticam inquilinos arbitrium penes Areopagum fuisse videtur [14]). Immunitas

3) Xenoph. de r. p. A. l. l. Spanhem. ad Aristoph. Ran. 461.

4) *Ἄχυρα τῶν ἀστῶν.* Aristoph. Acharn. 513.

5) *Ἔγκτησιν* non habebant. Xenoph. de vectig. 2, 6. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 154.

6) *Ἐπιγαμίας* carebant. Vid. or. in Neaer. p. 1350. Cf. et Meier. de bon. damn. p. 45.

7) *Προστάτην νέμειν.* Pollux VIII, 35. Harpocr. Suid. s. v. *προστάτης.* Lex. Seguer. p. 297. *Ἐπιγράφεσθαι προστάτην.* Lucian. bis accus. c. 29. Hinc *ἐπὶ προστάτου οἰκεῖν.* Lys. in Philon. p. 874. Lycurg. in Leocr. §. 145. De eius officio cf. Etymol. M. p. 124, 50. Add. Aristot. Polit. III, 1, 3. Proc. Att. 561. 572.

8) Meier. de bon. damn. p. 40. Proc. Att. p. 315 sqq.

9) Harpocr. s. v. *μετοίκιον.* Boeckh. I p. 353, et de poena eorum qui *μετοίκιον* non pependissent Meier. de bon. damn. p. 41.

10) *Ξενικὸν τελεῖν.* Cf. infr. c. 7 §. 75.

11) Aelian. V. H. VI, 1 ibiq. Perizon. Poll. III, 55 c. intt. Harpocr. s. v. *σκαφηφόροι* ibiq. Vales.

12) Boeckh. II p. 75. cf. infr. c. 7 §. 78 extr.

13) Thucyd. II, 13 et 31 ibiq. Gottleb. add. IV, 90. Xenoph. de vectig. 2, 2. Petit. Legg. Att. p. 546. — Equites tamen ex inquilinis non sumebantur. Xenoph. l. l. 2, 5. Hipparch. 9, 6.

14) Hoc e Sophocl. Oed. Colon. v. 947 sqq. collegerunt Pe-

autem tributorum aliorumque munium [15]) aut ius *ἰσοτελείας*, ut non alia quam cives munia praestarent neque patrono uti cogerentur, praediaque in Attica acquirere possent [16]), non nisi populi scito inquilinis dari poterat.

§. XVIII.

Civium Atticorum duo genera erant, alterum ingenuorum, alterum adscripticiorum, qui a populo civitate donati erant. Id donum Solonis lex non impertiri voluit nisi viris insigniter de re publica meritis, quive patrio solo in perpetuum relicto suam suorumque omnium sedem Athenis fixissent [1]). Sed ab hac lege postea saepius recessum, multisque honoris causa civitas dataest exterarum civitatum regibus principibusque [2]), quorum plerique ne viderant quidem Athenas: omninoque is honor, olim magno aestimatus [3]), posteris temporibus vilescere et cum plurimis quamvis indignis promiscue communicari coepit [4]). Ceterum de impertienda civitate in binis comitiis cum populo agi oportuit, neque data in prioribus rata erat nisi etiam in posterioribus eandem populus legem scivisset, sex millibus amplius civium

---

tit. Legg. Att. p. 26 et Schedius de Areop. c. 5 §. 1. neque tamen res satis certa est.

15) Demosth. Leptin. §. 16. 17. Boeckh. I p. 354.

16) Harpocr. Suid. Ammon. s. v. Timae. p. 151. Pollux III, 56. VIII, 155. Ex his nonnulli ita loquuntur, quasi ad rem publ. quoquo accedere eodem quo cives iure *ἰσοτελεῖς* potuerint, quos Wolfius proll. ad Leptin. p. LXX nosque de comitt. p. 81 F. incautius sequuti sumus. Verum docuit Boeckh. II p. 78. I p. 155.

1) Or. in Neaer. p. 1375, 11. Plutarch. Solon. c. 24. — Etiam *τοὺς φύσει δούλους* civitate donari leges vetuisse auctor est Dio Chrysost. or. XV p. 239. Cf. Petit. Legg. Att. p. 204. Schneider. ad Arist. Polit. p. 21. Sed res dubia.

2) Exempla vid. ap. Spanhem. orb. Rom. p. 9 ed. Heinecc. Meier. de bon. damn. p. 51. 55.

3) Pseudodemosth. or. *π. συντάξεως* p. 173. Dem. in Aristocr. p. 687, 12.

4) Isocr. de pace c. 17. Demosth. l. l. v. 17. In univ. cf. Meier. p. 50. 55 sq.

suffragium clanculum ferentibus [5]). Et vel sic per *γραφὴν παρανόμων* impugnari poterat, si quis non legitima ratione nec iusta causa datam argueret [6]). Qui autem populi beneficio in civitatem recepti erant, *δημοποίητοι* aut etiam simpliciter *ποιητοὶ* dicebantur [7]), nec plane eodem cum ingenuis civibus iure erant. Nam tribubus quidem et pagis adscripti [8]), phratriis tamen et gentibus non recipiebantur [9]), arcebanturque et sacerdotiis et novem archontum magistratu [10]), quippe quem leges ab iis tantum capi iuberent, qui cives essent *ἐκ τριγονίας* [11]).

§. XIX.

Ingenui, h. e. qui non lege sed natura cives sunt [1]), in duo et ipsi genera dividi possunt, alterum eorum qui *πολιτείαν* quidem habent, sed carent *ἀγχιστείᾳ*, alterum, qui habent utramque.

---

5) Or. in Neaer. p. 1375, 13. Sainte-Croix sur les metoeques p. 179.

6) Or. in Neaer. l. l. v. 22. Add. Meier. p. 57 not. 190.

7) Harpocr. s. v. *δημοποίητος*. Suid. Phot. Poll. III, 56. Hemsterh. ad Arist. Plut. schol. 1014. Dem. ctr. Stephan. p. 1125, 5. — E *ποιητῶν* nomine cavillandi occasionem sumpsit Dem. l. l. p. 1133, 17—22, a quo deceptus Wachsmuth. I, 1 p. 254 adscripticios cives nec testamentem facere potuisse neque uxores in manu habuisse credidit. Sed. vid. Bunsen. de iur. her. p. 58 et Meier. l. l. p. 61.

8) Or. in Neaer. p. 1380, 25. et all. ap. Hemsterhus. l. l. — Hinc nonnunquam cives adscripticii dupliciter et a naturali patria et a pago Attico appellantur, ut *Ἀρχέδημος ὁ Φηραῖος καὶ Χολλείδης*. Corp. Inscr. no. 456. 6.

9) Vid. infr. cap. 2 §. 52.

10) Or. in Neaer. p. 1376, 16. cf. 1380, 26.

11) Poll. VIII, 85. Itaque or. in Neaer. p. 1376, 18. 1381, 21 aut minus accurate loquutus est, quum iam filiis adscripticiorum iustis nuptiis procreatis illa iura tribuit, quae fortasse Plataeensibus tantum Hippocratis lege (p. 1380, 27.) concessa erant, aut, quod verius puto, lex a Polluce memorata postea observari desierat. Cf. Sainte-Croix l. l. p. 178. Meier. de bon. damn. p. 59 et 235.

1) *Φύσει* aut *γένει πολῖται*. Demosth. pro Phorm. p. 853, 23. in Stephan. I p. 1125, 4.

Significantur autem ἀγχιστείας nomine omnia ea iura, quae cum cognatione coniuncta sunt [2]), quibus nemo uti poterat nisi iustis nuptiis procreatus. Iustae autem nuptiae civium non erant nisi cum civibus iisve peregrinis, quibus connubium datum erat. Cognatorum inter se nuptiae, nisi ascendentium et descendentium aut fratris cum sorore uterina [3]), nullae vetitae erant: mores potius legesque iis favebant, scilicet ne familiarum pecuniae ad extraneos pervenirent [4]). Liberi iustis nuptiis procreati in phratriam patris introducebantur peractoque sacrificio datoque a patre iure iurando in album a phratriarcho inscribebantur [5]), quae res pro argumento γνησιότητος esset [6]). Haec eadem in adoptionibus quoque fieri oportebat [7]). Erant autem adoptiones et frequentes et legitimae, si quis naturales liberos non haberet, ne scilicet familiae interirent [8]), eaeque aut inter vivos fiebant, aut per testamentum, aut etiam ita ut ei qui

2) Cf. Bunsen. de iur. her. p. 13 extr. 14 in. — Quae ab Ammonio s. v. ἀγχιστεῖς dicuntur ἀγχιστικὰ δίκαια, Demostheni αἱ ἀγχιστεῖαι sunt, in Leochar. p. 1081, 1. Est autem ἀγχιστεία ἱερῶν quae ad communionem sacrorum, ὁσίων quae ad hereditatem pertinet. Cf. ad Isae. p. 344.

3) Demosth. in Eubul. p. 1304 extr. Plutarch. Themist. c. 32. Corn. Nep. Cimon. c. 1 ibiq. intt. — Andocidis ctr. Alcib. p. 139 (§. 33.) verba: ἐξωστράκισαν Κίμωνα διὰ παρανομίαν ὅτι τῇ ἑαυτοῦ ἀδελφῇ συνῴκησε, ne id quidem docent, improbatas vulgo eiusmodi nuptias fuisse. Nam συνοικεῖν non solum de matrimonio dicitur, et multi fuerunt qui Elpinicen Cimoni non uxorem sed pro amica fuisse dicerent. Vid. Plut. Cim. c. 4. Antisthen. ap. Athenae. XIII, 56 p. 589 extr.

4) Cf. Bunsen. l. l. p. 45. Add. Gans, das Erbrecht in welthistorischer Entwickelung I p. 262. Wachsmuth. II, 1 p 170. — Plura de matrimonio infra dicemus cap. 8. §. 88.

5) Platner. Symbol. ad J. A. p. 143 sq. Meier. de gentil. Att. p. 15. De inscriptione inter gentiles et orgeones vid. infr. c. 2 §. 26.

6) Demosth. in Eubulid. p. 1313, 19. 1315, 18. Isae. de Ciron. her. §. 19 sq. pro Euphilet. §. 3.

7) Isae. de Apollod. her. §. 15. de Aristarch. her. §. 8. Dem. in Macart p. 1053, 13 sqq. in Leoch. p. 1092 extr.

8) Isae de Apollod. her. §. 30. Dem. in Macart. p. 1075, 19.

intestatus decessisset, unus e proximis filius et heres institueretur [9]). Non poterant autem adoptare nisi qui filios a se procreatos non haberent [10]): qui autem filias tantum haberent, ita demum, si unam ex his adoptivo in matrimonium darent [11]). Quodsi cui post adoptionem filius nasceretur, cum hoc adoptivus aequo iure erat [12]). Adoptari porro non licebat nisi cives Atticos [13]): nec redire adoptivo in paternam suam familiam, nisi filio in adoptiva domo relicto [14]), neque, si filium non haberet, testari de bonis ab adoptivo patre acceptis, quippe quae cognatis illius relinquenda essent [15]). Donec autem erat in domo adoptiva, expers erat hereditatis patris naturalis; materna tamen hereditate non excidebat [16]). — Filiae sine fratribus *ἐπίκληροι* dicebantur, quippe quae patris heredes fierent [17]): nam fratribus extantibus dotem tantum-

---

9) Vid. Meier. Proc. Att. p. 435 sqq. Cf. ad Isae. p. 263. 439. — Quum Archontis officium esset *ἐπιμελεῖσθαι τῶν οἴκων τῶν ἐξερημουμένων* (Isae. de Apoll. her. §. 30. Dem. in Macart. p. 1076, 14.), haud dubie etiam cogere cognatos potuit ut filium defuncto substituerent, quamquam saepe tamen hoc neglectum. Cf. ad Isae. p. 370.

10) Isae. de Aristarch. her. §. 9.

11) Id. de Pyrrhi her. §. 42 et comm. p. 250. Dem. in Spud. p. 1028 extr. Bunsen. p. 62. — Nonnunquam etiam filias adoptari videmus, qua de re cf. Meier. Proc. Att. p. 439. Bunsen. p. 65. nos ad Isae. p. 461.

12) Isae. de Philoct. her. §. 63. Bunsen. p. 62.

13) Ratio manifesta est ex iis quae dixi ad Isae. p. 336. cf. Bunsen. p. 64.

14) Isae. de Arist. her. §. 11. Dem. in Leoch. p. 1087, 6. 15. 1099, 17.

15) Demosth. l. l. p. 1100 extr.

16) Isae. de Apoll. her. §. 25.

17) Harpocr. in *ἐπίδιχ.* Suid. s. v. *ἐπίκλ.* Schol. Aristoph. Vesp. 581 (603.) Valcken. ad Ammon. p. 190. Hemsterh. ad Hesych. I p. 1197. ad Thom. M. p. 345 Bern. Ruhnken. ad Timae. p. 208. Bunsen. p. 17. 18. *Ἐπίκληρος ἐπὶ παντὶ τῷ οἴκῳ*, Isae. de Arist. her. §. 4, quae quum sola sit totam hereditatem capit. Nam plures sorores aequas inter se portiones capiebant. Cf. Isae. de Ciron. her. §. 40. Andoc. de myster. §. 117 sq.

modo accipiebant, dicebanturque ἐπίπροικοι [18]). Sed epiclerorum nuptias qui genere proximi erant iure ἀγχιστείας postulare poterant: qui quum lege agunt, ἐπιδικάζεσθαι τῆς ἐπικλήρου dicuntur [19]): fiebatque id saepenumero etiam in iis epicleris, quae iam alteri nupsissent [20]). Bona epicleri maritus capiebat: sed si quos ex ea filios procreasset, moris erat ut ex iis unum horum bonorum heredem faceret avoque materno tanquam filium adoptivum institueret [21]). Huic igitur materna bona tradebantur simul atque sui iuris factus erat [22]). Sed etiam quae in paupertate relictae erant epicleri a proximis cognatis aut ipsis in matrimonium ducendae, aut alteri cum dote collocandae erant [23]), omninoque orbis filiabus leges non uno modo prospexerant, quo minus a cognatis aut maritis iniuria afficerentur [24]).

§. XX.

Qui autem sine liberis aut naturalibus aut adoptivis intestatus obiisset, huius hereditas ad

---

18) Harpocr. s. v. ἐπίδικος.

19) Petit. Legg. Att. p. 539. Bunsen. p. 17. Meier. Proc. Att. p. 469. Platner. Proc. u. Klagen. II p. 254.

20) Isae. de Pyrrh. her. §. 64. de Arist. her. §. 19. — Item viri nonnunquam epicleros ducturi cum priore uxore divortium faciebant. Demosth. adv. Eubul. p. 1311, 16. argum. or. in Onetor. p. 863, 4.

21) Isae. de Pyrrh. her. §. 73. Dem. in Macart. 1053, 16. Platner. Symbol. p. 140.

22) Vid. ad Isae. de Cir. her. §. 31. — Sed etiam si nemo ex nepotibus avo materno filius institutus erat, bona tamen ad hos perveniebant postquam adoleverant. Vid. Isae. de Pyrrh. §. 50 c. comm. Ceterum si plures epicleri erant et epiclerorum filii, neque ex his unus propinquorum consensu avo materno pro filio institutus, bona inter matres filiosque in capita dividebantur. Cf. ad Isae. p. 320.

23) Dem. in Macart. p. 1067, 27. Harpocr. s. v. θῆτες. Phot. s. v. θῆσσαι, p. 72.

24) De actione κακώσεως ἐπικλήρων vid. Meier. Proc. Att. p. 298 sqq. Platner. II p. 224. Infr. cap. 8 §. 88.

cognatos ita perveniebat[1]), ut primo quidem loco heredes fierent nepotes pronepotesve[2]) ex filiis, dein ex filiabus procreati: hi si non essent, succedebant collaterales a patre, h. e. fratres germani eorumque liberi: post hos sorores germanae harumque item liberi. Hi quoque si nulli essent, sequebantur patrueles et amitini eorumque liberi[3]), sed ita ut his illi praeferrentur[4]). Horum omnium si nemo superesset, tum demum ad successionem vocabantur qui a matre defuncto cognati essent, primo fratres uterini eorumque liberi, ac deinceps reliqui eodem modo atque ordine, quo cognati a patre. Quodsi ne ex his quidem quisquam superesset, revertebatur successionis ius ad paternam defuncti cognationem, ex qua ut quisque genere propior esset, ita ceteris anteferebatur. Coniunctum cum hereditate erat funeris procurandi officium[5]), sacra autem pecuniam non sequebantur, nisi si quis per adoptionem etiam in domum defuncti transiisset[6]): atque haec ipsa causa praecipua fuit, quo religiosius per

---

1) Legem ipsam, aut aliquot legis capita vid. ap. Demosth. in Macart. p. 1067 in. Cf. Isae. de Hagn. her. §. 1. 2. Sunt tamen nonnulla de heredum gradibus et iure admodum obscura, nec omnia lege ista comprehenduntur. Sed de his accuratius quaerere non est huius loci.

2) Ita Bunsen. p. 17. Sed res dubia. Vid. Klenzius, die Cognaten u. Affinen, in Zeitschrift f. geschichtl. Rechtswissensch. tom. VI p. 141. 150. — Quod Bunsen. p. 21 sq. etiam parentibus hereditatem tribuit, recte refutatum videtur a Gansio I p. 369 sqq.

3) *Ἀνεψιοὶ* et *ἀνεψιαδοῖ* s. *ἀνεψιῶν παῖδες*, de quorum nominum ambiguitate et quomodo in lege accipienda sint vid. ad Isae. p. 455 sq. Sed etiam patruos nequaquam exclusos fuisse patet ex Isae. de Cleonym. her. §. 45.

4) *Κρατεῖν δὲ τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων οἳ ἂν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι, καὶ ἐὰν γένει ἀπωτέρω:* quae explicare conatus sum ad Isae. p. 365 sq. Cf. et Bunsen. p. 29 sq.

5) Cf. ad Isae. p. 389.

6) Isae. de Apollod. her. §. 30. de Menecl. her. §. 46. de Astyph. her. §. 7.

adoptionem domus defunctorum conservari curarent [7]).

§. XXI.

Haec igitur fuerunt ἀγχιστείας iura, quorum participem leges neminem faciebant nisi iustis nuptiis procreatum, γνησίον, ὀρθῶς γεγενημένον [1]). Reliqui nothi dicebantur [2]), erantque et ipsi diversae inter se condicionis, prout aut civem quidem, sed non legitime nuptam, aut peregrinam, cum qua iustae nuptiae civibus nullae erant, matrem habebant [3]). Illis, si modo patrem civem haberent [4]), dubitari non potest quin civitas nunquam negata sit [5]): horum autem aliud aliis temporibus ius fuit. Nam Solonis lege ἀγχιστείᾳ quidem arcebantur, non autem civitate [6]): Pericles tulit, ut ne cives quidem essent nisi utroque parente cive nati [7]), quod quum per bellum Peloponnesiacum

---

7) Cf. ad Isae. p. 369.

1) Isae. de Pyrrh. her. §. 12. Iidem καλῶς, εὖ γεγονότες dicuntur. Lys. in Agorat. §. 59.

2) Platner. Symbol. p. 235.

3) Nam quibus ἐπιγαμία cum civibus erat, harum e civibus filii ne nothi quidem erant.

4) Civium mulierum e patribus peregrinis filii utrum peregrini an cives fuerint non satis constat. Nam κατὰ θάτερα ap. Demosth. in Eubulid. p. 1307, 24 dubitari potest utrum significet ab alterutra parte, quod Reiskio ad h. l Meiero de bon. damn. p. 72. Platnero Symb. p. 108 visum est, an ab altera parte h. e. a patre. Et ex Aristotele quidem Polit. III, 3, 4 apparet rarius fuisse nec nisi in maxime populari imperio usitatum, ut cives essent qui matrem tantummodo civem haberent. Ac Platner. ipse sententiam suam retractavit p. 235.

5) Vid. Meier. l. l. p. 67.

6) Aristoph. Av. v. 1668 et qui renovatae sub Euclide legis mentionem faciunt Isae. de Philoct. her. §. 47. Dem. ctr. Macart. p. 1067, 13. Cf. Bunsen. p. 15. Platner. p. 114. Gans. p. 313. Quod Meierus p. 73. 74 nothos etiam ἀγχιστείαν Solonis lege habuisse credit si γνήσιοι non extarent, opinor ita verum esse, si statuamus licuisse tum patribus nothos legitimare cum propinquorum venia. Cf. Platner. p. 142.

7) Meier. l. l. p. 70. Plut. Pericl. c. 37.

observari desiisset [8]), postea Euclide archonte iterum sancitum est Aristophontis lege [9]). Poterant tamen etiam nothis legitimorum iura tribui aut populi beneficio [10]) aut consensu propinquorum, si hi eos in phratriam patris introduci paterentur [11]). Adulta aetate iuvenes [12]) in demi s. pagi sui albo inscribebantur [13]): deinde in concionem populi in theatro producti hastaque et scuto instructi in arcem templumque Agrauli solemni pompa deducebantur. Ibi ius iurandum dabant, se pro virili parte rem publicam eiusque salutem domi forisque conservaturos, defensuros, aucturos esse [14]). Inde per biennium externae militiae im-

8) Huc fortasse pertinet Hieronymi Rhodii narratio ap. Diog. Laert. Socr. c. 10. (I p. 112 Huebn.) quae hoc significare videtur, etiam pellicum, quae plerumque peregrinae erant, liberos in civitatem receptos ad explendam hominum multitudinem.

9) Vid. Meier. p. 71. Platn. p. 107 sq. Cf. et Petit. Legg. Att. p. 213. ibiq. Wessel. Herald. de rer. iud. auct. II, 17 §. 4.

10) Plut. Pericl. c. 37. Gans. I p. 319.

11) Haec tamen legitimatio in iis tantum nothis locum habuisse videtur, qui matrem civem haberent. Cf. Meier. Proc. Att. p. XX. nos ad Isae. p. 336. — Nothis non legitimatis νοθεῖα dari solebant μέχρι χιλίων δραχμῶν. Vid. Harpocr. s. v. νοθεῖα. Schol. Arist. Av. 1663. Wessel. ad Petit. Legg. Att. p. 588. nos ad Isae. p. 254. — Legitimatis autem nonnunquam certa tantummodo pars bonorum concedebatur. Isae. de Philoct. her. §. 23.

12) Ἐπὶ διετὲς ἡβήσαντες h. e. aetatis anno duodevigesimo. Cf. de comitt. Ath. p. 76. Boeckh. in prooem. lectt. Berol. aest. 1819 p. 4 sqq. Clinton. F. H. p. 362 Krueg.

13) Vid. infr. c. 2 §. 24. Ante quam inscriberentur examen (δοκιμασία) subeundum erat, essentne civilibus muniis obeundis idonei et, si qui pupilli erant, possentne ad rem familiarem administrandam admitti. Veteres quidam scriptores, (e. c. Xenoph. de r. p. A. 3, 5) oratores et grammatici (quorum loc. vid. de comitt. p. 379. Boeckh. prooem. supra laud. p. 5 not. 8. Vales. ad Harpocr. s. v. δοκιμασθείς.) plerumque de pupillorum tantummodo δοκιμασίᾳ loquuntur: sed videntur tamen etiam ceteri, si non idem, at simile examen subiisse. Vid. Isocr. Panath. c. 10. Areop. c. 14. De iuniorum circa XV annum δοκιμασίᾳ infra videbimus.

14) De comitt. Ath. p. 331 sq. Boeckh. prooem. hibern. 1819 p. 3. 4. Ceterum ex Aeschine in Ctesiph. p. 541 sq. apparet maiorem honorem iis habitum, quorum patres in bello occidissent: hos enim πανοπλίᾳ publice donatos et ad προεδρίαν vocatos esse. Tamen reliquos plane non in theatrum productos esse nolim inde

munes περιπόλων s. circuitorum munere in Attica fungebantur[15]. Post hoc tempus in tabulis ecclesiasticis pagorum suorum inscripti[16] iam et comitiis interesse et militare extra Atticae fines coeperunt. Magistratus tamen capere, senatores iudicesve fieri non poterant ante trigesimum aetatis annum[17]. Qui integro erant iure civitatis, ἐπίτιμοι, quibus aliquid de iure civitatis deminutum, ἄτιμοι dicebantur. Sed huius deminutionis genera et gradus varii[18]. Nam aliis civium iure omni interdictum[19], ut neque forum neque ullum populi conventum adire, neque causam in iudicio dicere neque publicis sacris interesse, aut, si quid eorum facerent, in vincula rapi possent[20]: eaque ἀτιμία modo temporaria, modo perpetua[21], nonnunquam etiam cum bonorum publicatione coniuncta fuit[22]. Alii autem certis quibusdam iuri-

---

cum Boeckhio p. 5 concludere: licet illos solos etiam Isocrates commemoret, or. de pace c. 29.

15) Vid. Boeckh. l. l. p. 3 not. 3. de comitt. p. 331. Platner. Symbol. p. 176. — De aliis περιπόλοις in externa militia vid. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 305.

16) Vid. cap. 2 §. 24.

17) Vid. cap. 5 §. 38.

18) Vid. locum classicum Andoc. de myst. p. 35. Add. Meier. de bon. damn. p. 101 — 144. J. P. van Lelyveld, περὶ ἀτιμίας. de infamia iure Attico. Amstelod. 1835. 8.

19) Dicitur ἄτιμος etiam is qui omni legum praesidio privatus a quolibet impune occidi potest, e. c. Arthmius ille Zelites ap. Demosth. Phil. III p. 122. Sed hoc genus ἀτιμίας rarissimum et a fori Attici usu fere alienum. Cf. de comitt. p. 73. Meier. p. 102 not. 339. Lelyveld. p. 17 not.

20) Meier. p. 103 sq. et p. 236.

21) Temporaria fuit in debitoribus aerarii donec debita solvissent: et haec ad liberos quoque eorum propagabatur, utpote debitorum paternorum heredes. Andoc. l. l. Demosth. in Macart. p. 1069 extr. Meier. p. 137 sqq.

22) Publicabantur primum bona debitorum aerarii: quodsi his divenditis debitum lueretur, illi ἐπιτιμίαν recuperabant; si quid etiam superesset, iis reddebatur. Demosth. in Boeot. de dot. p. 1014, 20. Meier. p. 142. — Porro perpetua ἀτιμία cum bonorum publicatione afficiebantur propter nonnulla delicta, quae enume-

bus nominatim excludebantur, reliquo statu non mutato[23]).

---

2. De populi Attici divisionibus.

§. XXII.

Iura civium ea quibus maxime civitas censetur et a peregrinorum condicione discernitur, alia ad totius rei publicae administrationem pertinent in senatu, comitiis, magistratibus, iudiciis, alia ad minores quasdam universitates, quae quum illi maiori, tanquam corpori membra, subiectae essent eaque continerentur, habebant tamen etiam sua quaeque separatim iura rerumque communium administrationem ab universa re publica plus minus seiunctam. Tales erant tribus ac pagi, quorum utique uni alicui quemvis civem adscriptum esse oportebat: phratriae porro et gentes, quarum non quidem omnes, sed plurimi tamen participes erant. Nam de minoribus sodalitiis varii generis[1]) ac de iis quae cum censu coniunctae erant civium distributionibus ac symmoriis alio loco dicendum erit. Tribuum ac demorum descriptio a Clisthene instituta haec fuit, ut omni Attica in centum partes, quas δήμους s. pagos dixerunt[2]), diviso, harum denas in unam tribum coniungeret[3]). Ita

---

rantur a Meiero p. 142 sq. Quibus ἀτιμία sine publicatione bonorum imposita fuerit vid. ap. eund. p. 106—130. Cf. et infra cap. 8. §. 89.

23) Vid. Meier. p. 131—136.

1) Vid. legem Atticam ap. Gaium, Dig. XLVII, 22, 4. Cf. Salmas. de mod. usur. c. 3. Herald. Obss. et emend. c. 42 in E. Otton. Thes. J. R. tom. II p. 1364. Salmas. Obss. ad J. A. et R. c. 4. Herald. Animadvers. II, 1—3. Add. Bynkershoek. Obss. J. R. I, 16. Petit. Legg. Att. p. 524 ibiq. Wesseling. Niebuhr. H R. I p. 323 ed. 2. Meier. de gentil. Att. p. 26. Lobeck. Aglaoph. p. 305.

2) Nomen δήμων haud dubie Clisthene antiquius; sed non certa fuit descriptio definitusve numerus. Cf. de comitt. p. 363 not. 4.

3) Herodot. V, 69, cuius verba δέκα δὲ καὶ τοὺς δήμους κατέ-

decem tribus factae, nominaque iis indita a veteribus heroibus, Erechtheo, Aegeo, Pandione, Leonte, Acamante, Oeneo, Cecrope, Hippothoonte, Aiace, Antiocho [4]). Demi autem alii ab oppidis vicisque denominati sunt, qui in iis erant, ut Marathon, Oenoe, Brauron, Lamptra, Eleusis, Rhamnus, Decelia, Piraeeus, Sunium, Phalerus, alii a gentibus quae ibi inhabitabant praecipuis, ut Daedalidae, Butadae, Thymaetadae, Thyrgonidae, Ionidae, Cothocidae, Paeonidae, Perithoedae, Semachidae, Scambonidae [5]). Non omnes autem, quos uni tribui Clisthenes assignaverat pagi finitimi inter se et in eadem Atticae parte siti erant, ut quaeque tribus unam atque continuam regionem occuparet, sed diversis nonnunquam tribubus attributos videmus pagos maxime vicinos, contraque in una tribu coniunctos, qui locis maxime disiuncti et interiectis

---

νεμε εἰς τὰς φυλάς aliter explicari non possunt, quod Valck. ad h. l. recte intellexit, neque adiendi sunt Wesseling., Corsin. Fast. Att. III p. 128. Wachsmuth. I, 1 p. 271, *δέκα* ad *φυλάς* non ad *δήμους* pertinere putantes.

4) Hic legitimus fuit ordo ab auctore epitaphii inter or. Demosth. p. 1397—1399 et in multis inscriptionibus servatus (Corsin. F. A. I p. 145 sqq. Boeckh. C. J. I p. 153) neque tamen, ut Corsin. credidit ad militiam quoque pertinens. Vid. Boeckh. l. l. p. 299. Ceterum horoes illi *ἐπώνυμοι* aut *ἀρχηγέται, ἀρχηγοί* vocantur, Hesych. I p. 563. or. epitaph. p. 1398, 18. 21. 27. Dem. in Macart. p. 1072, 25, statuaeque eorum in foro positae erant. Harpocr. s. v. *ἐπώνυμοι.* Pausan. I, 5. Meurs. Lectt. Att. V, 5. Corsin. F. A. I p. 121. Tribulium nomina patronymica, *Ἐρεχθεῖδαι, Αἰγεῖδαι* etc. non solum in epitaph. l. l. extant, sed etiam or. in Theocr. p. 1327, 16 (*Λεοντίδαι*), psephism. ap. Pseudoplutarch. vitt. X oratt. p. 851 A. (*Πανδιονίδαι*) Plut. Aristid. c. 5. (*Λεοντίδης. Ἀντιοχίδης.*) ib. c. 19 (*Αἰαντίδης.*) quod moneo propter Mueller. Aegin. p. 139.

5) De nominibus et distributione demorum vid. praeter notos Meursii, Sponii, Corsinii libros imprimis C. L. Grotefend, de demis s. pagis Atticae. Gotting. 1829. 8. De diversis grammaticorum hac in re fontibus monuit F. H. L. Ahrens, de Athen. statu politico etc. (Gotting. 1829. 4) p. 27. Ceterum memoratu dignum est demos eos qui a gentibus dicti sunt plerosque in mediterranea Atticae parte sitos esse, quippe in qua eupatridae frequentissimi essent. De demis ipsius urbis vid. Mueller. ad Leakii topogr. Ath. a Rienaeckero convers. p. 461, et Krueger. de vita Thucyd. (Berol. 1832. 4) p. 91 sq.

diversarum tribuum pagis separati erant[6]): qua in re hoc maxime sequutus esse videtur, ut veteribus coniunctionum vinculis solutis fractisque nobilium qui in his pollucerant opibus et auctoritate, nova populi libertas expeditior fieret neve plus apud multos unius cuiuspiam partis quam universae rei publicae respectus valeret. — Numerus demorum post Clisthenem supra dimidium auctus est[7]), quum crescente hominum in Attica multitudine fieri non posset quin pagi novi multi conderentur, novique demi fierent quae antea partes tantummodo demorum fuerant[8]). Et ratio quoque demorum tribuumque eo nonnihil immutata est, quod filii patrum suorum tribui et demo adscribebantur. Nam quum fieri non posset, ut sedes semper easdem tenerent, sed ex aliis subinde in alios pagos migrarent, evenit ut multi non, ut olim, eius in qua habitarent fundosque possiderent, sed alius cuiuspiam, cui ab initio maiores eorum adscripti fuerant, demi ac tribus censerentur[9]).

§. XXIII.

Habebant autem singulae tribus et sacra communia, quo pertinet imprimis herois epoymi cultus[1]), et fundos, quorum nonnulli eponymo con-

6) Vid. Prooem. lect. hibern. Gryph. a. 1835 p. 11. 12.

7) Polemo ap. Strab. IX, 1 p. 396 centum septuaginta quattuor numerat.

8) Cf. de comitt. Ath. p. 366. Mueller. in Ersch. et Grub. Encyclop. XI p. 227. Id cur Wachsmuthio II, 1 p. 22. Grotefendio l. l. p. 10 et Hermanno Ant. Gr. §. 111, 9 parum credibile visum sit non intelligo. Niebuhrii autem opinioni ap. Grauert. in Museo Rhen. I, 3 p. 180 fidem recte denegarunt Grotef. et Herm.; probat tamen Krueger. l. l. p. 6.

9) Vid. de comitt. p. 366. Taylor. lectt. Lysiac. p. 252. Exempla suppeditabunt Demosth. in Leoch. p. 1086, 9. 10. coll. p. 1083, 5. 1091, 6. 9. Plutarch. Themist. I et 22. Artstid. c. 1. Alcib. c. 22 coll. Plat. Alcib. I cap. 19. Aeschin. in Timarch. p. 118. 121. Diog. Laert. vit. Plat. lib. II §. 41. p. 220. 221 Huebn.

1) Hinc sacerdotes eponyorum et sacella, e. c. Pandionis. Corp. Inscr. no. 128, 1 et no. 213. Cf. Osann. syllog. inscr. p. 98.

secrati (τεμένη) fuerunt [2]), arcamque communem eiusque dispensatores (ταμίας) [3]), porro curatores (ἐπιμελητάς) vel ad communium rerum administrationem, vel ad festorum ludorumque solemnium apparationem [4]), aliosque fortasse magistratus, quorum obscurata memoria est [5]). Itaque et concilia tribulium [6]) saepenumero haberi oportebat, in quibus magistratus suos crearent, vel gesti muneris rationes a magistratibus redditas cognoscerent [7]), vel de communium bonorum administratione aliisque negotiis decreta (ψηφίσμασα) facerent [8]). Et publicorum quoque operum curatores, τειχοποιοὶ, ταφροποιοὶ aliique a tribulibus populi iussu creabantur [9]): ab iisdem editores munerum publicorum, velut choragi, gymnasiarchi, epulones nominabantur [10]): denique etiam senatores fortasse in tribulium conventibus sortiebantur [11]). Magistratus autem rei publicae eos, quos singulos e singulis tribubus capi oporteret, quales erant strategi, taxiarchi, phylarchi aliique plurimi, non in suorum quosque tribulium sed in universi populi conciliis creari consentaneum fuit [12]).

---

2) Demosth. in Macart. p. 1069 extr.

3) Corp. Inscr. no. 104, 9.

4) Ibid. no. 104, 13. 213, 13. Cf. de comitt. p. 369. Hos ἐπιμελητὰς Herodotus V, 69 φυλάρχους appellare videtur. Hermann. de iure magistr. p. 42. Schubert de aedil. p. 39.

5) In his numeraverim euthynos quos sicut demorum ita etiam tribuum fuisse probabile est.

7) Haec ἀγοραὶ dicuntur Aeschin. in Ctesiph. p. 421. Corp. Inscr. no. 85, 6, 7. ubi commemoratur tribus Cecropidis κυρία ἀγορὰ ἐν ἀκροπόλει. Fuerunt igitur concilia et ordinaria et extraordinaria.

7) Vid. de comitt. p. 372 sq.

8) Decretum tribus incertae de fundorum elocatione extat Corp. Inscr. no. 104. Decretum honorarium tribus Cecropidis ib. no. 85. item tribus Pandionidis no. 213.

9) Vid. de comitt. p. 374.

10) Vid. ib. et Boeckh. de oec. r. p. A. 1 p. 485. 498 sq. infra cap. 7 §. 79.

11) Haec Corsinii est sententia F. A. diss. VI no. 4 p. 265.

12) Vid. infra cap. 5.

§. XXIV.

Eadem fere de demis dicenda sunt. Nam hi quoque sacra sua [1]) aut singuli aut etiam plures inter se communia [2]) habebant, fundosque et praedia varii generis [3]), pecuniasque ex eorum reditibus aut ex tributis [4]) et vectigalibus confectas, earumque dispensatorem (*ταμίαν*) [6]) cum contrascriptore [7]), porro demarchum [8]), euthynum [9]) aliosque fortasse plures: ac de his creandis [10]), de ra-

1) *Ἱερὰ δημοτικά*, probe distinguenda ab *ἱεροῖς δημοτελέσιν* Cf. Boeckh. oec. r. p. A. 1 p. 228. Meier. de bon. damn. p. 103. et 235. — De illis vid. Wachsmuth. II, 2 p. 119 not. 21, et de sacerdotibus demorum de comitt. p. 378. Habebant etiam demi si non omnes at certe multi eponymos suos, teste Polemone ap. schol. ad Aristoph. Av. v. 646, nec dubito quin his etiam honores habiti sint. Sed a veteribus scriptoribus, quorum libri extant, eponymi heroes non alios quam tribuum commemoratos memini: quamobrem etiam Demosth. in Macart. p. 1069 de tribus non de demi eponymo accipiendum supra §. 23, 2 censui.

2) Communia sacra fuerunt e. c. *τῶν Ἐπακρίων* h. e. Semachidarum, Plotheensium et tertii cuiusdam pagi ignoti, de quibus vid. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 122. Porro *τῶν Τετρακώμων* h. e. Phaleri, Piraeei, Thymaetadarum et Xypeteonum, quo pertinet *τετράκωμον Ἡρακλεῖον* ap. Steph. Byz. s. v. *Ἐχελίδαι*. Boeckh. l. l. p. 123. Denique Tetrapolis h. e. Marathonis, Oenoes, Tricorythi, Probalinthi communem Herculis cultum fuisse admodum probabile est. Cf. Mueller Dor. I p. 438.

3) *Τεμένη*. Demosth. in Eubul. p. 1318, 20 Theatrum Piraeenses certe habebant, de quo cf. Corp. Inscr. no 102. Alia praedia sunt no. 93 (ubi v. l. scrib. *ΦΕΛΛΙΔΑ*) et 103.

4) *Εἰσφοραὶ τῶν δημοτῶν*. Vid. de comitt. p. 377. Corp. Inscr. no. 103, 7.

5) Huc pertinet *τὸ ἐγκτητικὸν*, ab iis exactum qui fundos in alieno demo possiderent (Boeckh. oec. r. p. A. 1 p. 319) oppositumque in Inscr. no. 101, 25 *τοῖς τέλεσιν* a demotis pendi solitis. Porro *εἰκοστὰς* quoque quasdam exactas docet *εἰκοστολόγου* commemoratio inscr. no. 89, 22.

6) De comitt. p. 378. Inscr. no. 88, 5. 89, 23. 93, 21. 35. 100, 21. 102, 7.

7) *Ἀντιγραφεύς*. Inscr. no. 100, 22.

8) De hoc. vid. impr. Platner. Symbol. p. 210 sqq.

9) Inscr. no. 70 et 88, ubi etiam eius *πάρεδροι* commemorantur. Cf. Boeckh. Addend. p. 890.

10) *Ἀρχαιρεσίαι* demorum commemorantur ab Isaeo de Apollod. her. §. 38. Dem. in Leoch. p. 1092, 12.

tionibus eorum cognoscendis[11]), de praemiis decernendis[12]), de praediorum locationibus[13]) aliisque varii generis negotiis conventus (*ἀγοραὶ*)[14]) saepenumero habebantur. Sed duae nobis res imprimis memorandae sunt, novorum demotarum in tabulas lexiarchicas et ecclesiasticas inscriptio et eorum qui inscripti erant recognitio. Inscribebantur autem aut adolescentes duodevigesimo fere aetatis anno[15]) in paterni demi tabulis, aut etiam viri, si quos propter adoptionem in alium demum transire oporteret[16]). Tabulae, quae lexiarchicae dicebantur[17]), sub demarchi custodia erant: ab eodem novorum demotarum nomina inscribebantur, idque in eo plerumque conventu factum videtur, qui etiam magistratibus creandis destinatus erat[18]): nec recipiebatur nomen nisi causa probata[19]). Ecclesiasticis tabulis adolescentes vigesimo fere aetatis anno inscripti videntur[20]), ac deinceps iam

---

11) Inscr. no. 88.

12) Inscr. no. 100. 101. 102. 214.

13) Inscr. no. 93. 102. 103.

14) Lex. Seguer. p. 327. Dem. in Leoch. p. 1091, 16. — Horum conventuum loca, quae et ipsa *ἀγοραὶ* dicuntur, alia in urbe fuisse videntur, alia in ipsis demis fuerunt. Cf. Inscr. no. 70. Boeckh. p. 106. b. Add. no. 88, 14. 102, 9. et quae diximus in Seebod. Bibl. crit. ann. 1826. no. 8 p. 782.

15) Vid. §. 21, 12.

16) Isae. de Apollod. her. §. 27. 28. Demosth. in Leoch. p. 1092.

17) Harpocr. Suid. Phot. s. v. Poll. VIII, 104 aliique multi ap. Boeckh. prooem aest. 1819 p. 6. Cf. de comitt. p. 76 et 379. Pro *ληξιαρχικῷ* etiam *κοινὸν γραμματεῖον* dicitur a Demosth. in Eubul. p. 1317, 18. quo nomine alias phratorum album designari solet.

18) *Ἐν ταῖς ἀρχαιρεσίαις.* Demosth. in Leoch. p. 1092, 12. Isae. de Apollod. her. §. 28. c. comm. Ex hoc apparet non plane eadem omnes aetate inscriptos, sed alios inchoato fortasse anno XVIII, alios expleto. De *δοκιμασίᾳ* ante inscriptionem subeunda vid. §. 21, 13.

19) Cf. Demosth. in Eubul. p. 1318.

20) Demosth. in Leoch. p. 1051, 5. Platner. symbol. p. 208. Boeckh. prooem laud. p. 5. 6.

et sui quique demi et populi conciliorum participes facti. Sed quum saepe eveniret ut aut demarchi aut demotae pretio aut gratia permoti peregrinae condicionis homines in tabulis inscriberent[21]), huic malo remedium quaerebatur recognitione demotarum instituta. Convocabantur igitur omnes, nominibusque recitatis de singulis rogabantur iuratique suffragium inibant[22]): quod negotium magnis diversarum partium contentionibus testiumque et argumentorum disceptationibus nonnunquam per plures dies extrahebatur[23]). Qui eiecti erant (*οἱ ἀποψηφισθέντες*), si acquiescerent demotarum iudicio, praeter usurpatae civitatis privationem nulla amplius poena afficiebantur; si non acquiescerent, ad heliastas iudices provocatio erat, sed ea lege, ut si apud hos quoque causam non obtinuissent, servi poenae fierent venumque darentur. Huiusmodi recognitionum nobilissima ea est, quam omnes demi Ol. CVIII, 3 Demophili cuiusdam lege instituerunt[24]): aliae a singulis demis haud dubie habitae sunt quoties opus esse videretur[25]).

§. XXV.

Phratrias gentesque Clisthenes, quum tribus novas et demos faceret, intactas quot qualesque

---

21) Potamii hoc nomine saepe exagitantur. Vid. Harpocr. s. v. *Πόταμος*. Halimusios criminatur Demosth. in Eubul. p. 1316, 21. Ceterum not. vocc. *παρέγγραπτος, παρεγγεγραμμένος*.

22) Vid. de comitt. p. 381 sq. Platner. Symbol. p. 194. 198. Meier. de bon. damn. p. 80—88. F. C. Petersen, om de Foranstaltninger vid hvilke Athenerne sögte at forebygge og straffe ulovlig Besiddelse af deras Borgerret. Kiöbenhafn. 1823. (E comm. soc. litt. Scand. seorsim express.)

23) Demosth. in Eubul. p. 1302. 1303.

24) Non ol. XC, 2, quod plerique crediderunt. Vid. Clinton. F. H. p. 151 Krueg. et Boeckh. de Philochoro p. 21. Quae sub Pericle (ol. LXXX, 3) acta est civium recognitio, huius alia forma fuisse videtur.

25) Cf. Platner. p. 138. 200. Meier. p. 80.

fuerunt reliquisse videtur [1]), religione nimirum permotus, ne sacra vetustissima aut interirent aut temerarentur. Erat igitur harum descriptio a decem tribubus earumque demis plane seiuncta et discreta, ut qui gentiles inter se ideoque etiam phratores essent, tribuum tamen et demorum diversarum esse possent [2]). Atque quum omnes utique cives, adscripticios non minus quam ingenuos, in una aliqua tribu demoque censeri oporteret, gentibus ipsi adscripticii nunquam, adscripticiorum posteri vix unquam recepti videntur [3]), quamquam in phratrias admittebantur aut populi beneficio [4]) aut ingenuorum civium adoptionibus [5]). Ceterum phratriarum omne institutum, quum ante Clisthenem etiam ad rei publicae administrationem pertinuisset, post hunc non fere nisi ad sacra et ad privata

1) De gentibus omnes, quod sciam, consentiunt, de phratriis non item. Quamquam Aristotelis ad quem provocant locus Polit. VI, 2, 11 de Atticis quidem phratriis nihil probat, et grammaticorum quorundam, qui de tribuum Clisthenearum phratriis loquuntur, nulla est auctoritas. Platnerus, qui novas phratrias factas esse vult, gentes autem veteres relictas, Symb. p. 68--77, non potuit non omnem inter gentes et phratrias connexionem sublatam statuere, quod non recte factum esse et a me demonstratum est ad Isae. p. 363 et a Meiero de gent. Att. p. 20. Cf. et Wachsmuth. I, 1 p. 270.

2) Vid. Meier l. l. p. 35.

3) Cf. Platner. p. 68. Hinc etiam illud explicandum, quod Pl. observavit p. 72, rarissimam apud oratores esse gentilium mentionem, quum tamen phratores plurimis locis commemorentur: neque assentior Meiero p. 20 rem aliter explicanti. Non paucos gentilitatis expertes fuisse etiam ex Hesychio s. v. *ἀτριάκαστος* colligi potest, de quod vid. Meier. p. 21. Quod autem M. p. 28 adscripticiorum liberos gentibus receptos vult propterea quod auctore orat. in Neaer. p. 1376, 16. 1381, 21 his etiam sacerdotia capere et *τελετῶν ἐκ γένους* participes fieri licuerit, nihil aliud hinc probari potest, quam potuisse Plataeensium liberos (de his enim loquitur or.) gentibus recipi: recipiendi necessitatem gentibus impositam non credo.

4) Huius rei exemplum est in psephism. de Audoleonte (Bulletino di corrispond. archeol. 1833. no. XI p. 153. Diar. litt. Hal. 1814 Intellig. no. 31. Meier. de gent. Att. p. 15.): *ἐξεῖναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται.*

5) Vid. Platner. p. 128 — 131. Fortasse tamen phratriis etiam absque adoptionibus aut populi scito licuit adscripticios si vellent recipere, quae Meieri sententia est p. 15.

ἀγχιστείας iura pertinebat. Ac de his quidem supra satis dictum est [6]), de sacris autem exponere non est nostri consilii [7]). Commemorandum tamen est Apaturiorum festum, omnibus Ionicae stirpis populis commune, quod Athenis mense Pyanepsione a singulis phratriis per triduum agebatur. Huius enim die tertio, qui κουρεῶτις dicitur, ea cuius supra mentionem fecimus inscriptio liberorum parvulorum in phratorum conventu peragi solebat. Tabulae phratorum τὸ κοινὸν v. φρατορικὸν γραμματεῖον dicuntur [8]). Adoptivorum et iam adultorum inscriptiones etiam aliis nonnunquam temporibus fiebant [9]). Quod autem nonnulli eos, qui parvuli inscripti essent, postquam ad pubertatem pervenissent circiter quinto decimo aetatis anno iterum producendos, examinandos et in tabulis quibusdam inscribendos fuisse volunt, hac de re, quum veteres probatique testes sileant, nobis non satis liquere profitemur [10]). — Restat unum phratorum officium, ut, si quis homicidio interemptus esset, persequenti caedem propinquo in iudicio adessent, itemque si caedes involuntaria expianda esset, neque adesset, qui occisum cognatione contingeret, phratores expiationis ritu fungerentur [11]). Curandis communibus negotiis praefectos phratriae habebant, suffragiis phratorum creatos. Hi phratriarchi dicebantur [12]).

6) Vid. §. 19.

7) De his in universum, et impr. de Apaturiis Meierus tam diligenter disseruit, ut ad hunc unum lectores remittere satis sit, de gent. Att. p. 11 — 14.

8) Isae. de Apoll. her. §. 1 et 17. Demosth. in Leoch. p. 1092 extr. Harpocr. Suid. Phot. s. v. κοινὸν γραμματεῖον.

9) Isae. de Apoll. her. §. 15 c. comm. p. 363. Platner. Symb. p. 150.

10) Vid. Platner. 147 — 149. Boeckh. prooem aestiv. ann. 1819 p. 4. Meier. de gent. p. 17. C. F. Hermann. in Zimmerm. diurn. antiquar. ann. 1835 p. 1141.

11) Demosth. in Macart. p. 1068, 27. Meier. de gent. p. 18. Vid. infr. c. 6. §. 65.

12) Demosth. in Eubul. p. 1305, 22. Harpocr. Suid. s. v. φράτορες. Lex. Seguer. p. 313, ubi est φρατορίαρχος.

§. XXVI.

Gentes, quas tricenas in una quaque phratria fuisse, et a familiarum numero, quae olim item tricenae singulis attributae fuerint, τριακάδας quoque dictas esse grammatici memorant [1]), dubitari non potest quin procedente tempore multum imminutae et aliquanto pauciores factae sint [2]). Conservabantur tamen, quantum fieri poterat, imprimis propter sacra, quum et privatae multae religiones gentilium essent [3]) et publica quoque complura sacerdotia certis quibusdam gentibus propria [4]), velut Eumolpidis, Eteobutadis, Cerycibus, Phylaidis, Phytalidis, Poemenidis, Cynidis, Lycomidis, Thaulonidis aliisque. Communis autem omnibus, praeter sua cuiusque sacra patria, Iovis Penetralis et Apollinis Patriti religio fuit, adeo ut horum numinum cultu civitas plena et ingenua censeretur [5]). Habebant sua quaeque sacella et conciliabula quaedam sive leschas [6]), rerumque communium causa haud dubie aliquem antistitem et praefectum [7]). Qui generis aut adoptionis iure in gentem aliquam recipiendi essent, gentilium tabulis eodem quo phratoricis tempore inscribi so-

---

1) Pollux VIII, 111. Quos hic ἄνδρας dicit, haud dubie non omnes virilis sexus homines, sed patres familias designat. Ceterum cf. Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 900, sententiam p. 140 propositam prudenter retractantem. Et tamen Meier. de gent. Att. p. 22 de gentibus in τριακάδας descriptis loquitur.

2) Hoc Meierus quoque statuit p. 21; idem tamen p. 28 etiam Demosthenis aetate aut nullos aut perpaucos cives Atticos sine gente fuisse vult. Crediditne igitur gentium numero imminuto gentilium in singulis multitudinem crevisse, receptis in eas, quae e veteribus gentibus supererant, novitiis civibus?

3) De his vid. Meier. p. 29 sq.

4) Meier. p. 29 et a p. 38 passim. Cf. Chr. L. Bossler, de gentibus et familiis Atticae sacerdotalibus. Darmstad. 1832. 4.

5) Cf. Taylor. ad Demosth. in Eubul. p. 1319, 26. Meier. p. 28. Platner 88 sqq.

6) Meier. p. 33 et de leschis Procl. ad Hesiod. O. et D. v. 492.

7) Meier. p. 33 not. 85.

14

lebant [8]). Sed quum non omnes gentibus illis veteribus reciperentur, sacra tamen privata nulli familiae non essent, ad gentium instar mox alia quaedam sodalitia inita esse videntur ab iis familiis, quae ab iisdem maioribus oriundae sacra quoque privata eadem habebant: in quibus quin praecipue etiam Iovis Penetralis et Apollinis Patriti religiones fuerint, dubitari non potest. Sed haec sodalitia, quamvis gentibus similia, non tamen eodem *γενῶν* nomine, neque sodales *γεννῆται* sed *ὀργεῶνες* appellati esse videntur [9]).

3. De Senatu Quingentorum.

§. XXVII.

Quum in populari imperio summa rerum penes populum sit, cuius in conciliis et leges sciscuntur abroganturve, et de bello, pace, foederibus decernitur, et magistratus creantur aut amoventur, et de pecuniis publicis statuitur, denique de criminibus quoque gravioribus iudicia exercentur, est tamen harum rerum vel multitudo tanta, ut

8) Cf. comm. in Isae. p. 363. Add. or. ctr. Neaer. 1365. Meier. p. 36. Fuerunt autem haud dubie tabulae gentilium propriae et a *κοινῷ* phratorum *γραμματείῳ* diversae, nec satis distincte loquitur Harpocr. s. v. *κοινὸν γραμμ.*

9) Vid. Comm. in Isae. p. 208 sqq. — Meierus p. 24. 26. aliter statuit. Nam quum omnem CCCLX gentium descriptionem a Solone demum repetat p. 22, duo ab hoc gentium genera facta vult, alterum eorum quorum vetusta esset sacrorum gentiliciorum communio, licet originis communis memoria in plerisque haud dubie abolita, alterum eorum quorum adhuc nulla eiusmodi coniunctio fuisset, sed quos nollet tamen legislator gentiliciis quibusdam sacris carere. Hos utrum e cognatione an alia quapiam ratione in sodalitia descriptos putet non significat. *Γενῶν* autem et *γεννητῶν* nomina utrisque communia fuisse vult, licet alii non stirpis sed sacrorum tantum communione coniuncti fuerint, quos nonnunquam *ὀργεώνων* nomine distinctos censet, alii autem etiam stirpis eiusdem fuerint, quos quidem a Philochoro *ὁμογάλακτας* dici arbitratur. Nititur autem Meieri sententia imprimis Philochori fragm. (ap. Phot et Suid s. v. *ὀργεῶνες*) interpretatione admodum dubia, ne dicam plane improbabili.

non possit de omnibus maximis minimis populus semper universus convocari, vel etiam difficultas ea, ut recte a multitudine pernosci et administrari non possint. Necesse est igitur seligi e populo quosdam numero pauciores, qui quum de minoribus quotidianisque negotiis ipsi statuant, tum de maioribus consultent inter se consultaque ad populum ferant, huiusque conventus auctoritate et consilio moderentur. Huiusmodi selecti in Atheniensium re publica Senatores erant Solonis lege quadringenti, e singulis tribubus centeni [1]), sive suffragiis sive sorte quotannis creati [2]), post Solonem autem auctumque a Clisthene tribuum numerum quingenti, e singulis tribubus quinquageni, sorte ducti [3]). In his quum olim etiam census ratio haberetur, neque admitterentur nisi trium superiorum classium cives [4]), mox, incertum a quo tempore [5]), ex omnibus promiscue sumebantur, qui quidem civitate integra (*ἐπίτιμοι*) et triginta haud minus annos nati essent [6]). Mercedem quoque de publico accipiebant, singulas drachmas diurnas [7]), quumque annui essent, poterant tamen, quibus sors contingeret, plus semel senatorio munere fungi [8]). Professi ad sortitio-

1) Plutarch. Solon. c. 19.

2) Sortitos statuit Wachsmuth. I, 1 p. 257 a quo non sine causa dissentit Hermann. Ant. Gr. §. 108. 3.

3) Probabile est Clisthenem sortitionem ut magistratuum ita etiam senatorum instituisse. Cf. de comitt. Ath. p. 311 et supra §. 10, 8.

4) Cf. §. 8, 9.

5) Fortasse post bellum Persicum secundum, quum in magistratibus quoque plerisque census requiri desiit. Vid. supra §. 11, 3.

6) Xenoph. Memm. I, 2, 35. Cf. H. Wolf. ad Dem. in Androt. p. 587, 5.

7) Hesych. 1 p. 750 s. v. *βουλῆς λαχεῖν*. Thucyd. VIII, 69. Cf. Boeckh. de oec. A. 1 p. 249.

8) Temere hoc negavit Reiskius ad Aeschin. or. in Timarch. p. 127. Timarchus senator fuit Nicophemo archonte, Ol. CIV, 4 (Aeschin. p. 127.) iterumque proximo ante iudicium anno, Aesch. p. 103: *καὶ ἐν τῇ βουλῇ* (ita leg.) *ὅτε ἐβούλευσε πέρυσιν*. h. e. circ. Ol. CVIII, 4. Porro Demosthenes senator fuit aetatis anno circiter

nem apud eum cui successuri erant senatum argui tanquam indigni a quolibet senatore poterant, convictique non admittebantur [9]): item etiam sortitis examen (*δοκιμασία*) in senatu subeundum erat [10]), in quo si non probati essent, alii in eorum locum subsortiti intrabant [11]). Probati quum munus inirent ius iurandum dabant, consulturos omni modo rei publicae commodis neque quidquam contra leges commissuros [12]). Ipso muneris anno senatu moveri a collegis propter delicta poterant [13]): perfuncti munere dubitari non potest quin a quolibet cive ad reddendas actorum rationes in ius vocari potuerint [14]). Ceterum vacationem militiae eo anno habebant [15]), locum porro in theatro praecipuum [16]), et insigne honoris coronam myrteam, quum con-

---

XXXI, ante causam Midianam (in Mid. p. 552 in. cf. Boeckh. de temp. or. in Midiam p. 33) Ol. CVI, 3; rursus autem Ol. CVIII, 2, quo tempore de pace cum Philippo agebatur. Aeschin. de f. leg. p. 201. in Ctesiph. p. 451.

9) Lys. or. in Philon. p. 890, qui locus demonstrat sortitionem adhuc futuram fuisse quum Philo ab adversario impugnaretur. Rem in senatu agi manifestum est, accusatoremque Philonis ipsum senatorem esse docet p. 869. Nec tamen negaverim etiam aliis accusare licuisse.

10) Lys. in Euandr. p. 794 sq. Id. pro Mantith. p. 570 sqq. et in univ. Meier. Proc. Att. p. 202 sq. Heffter. p. 23.

11) Ἐπιλαχόντες. Secundum Harpocr. s. v. ἐπιλαχὼν ex una quaque tribu duplex numerus h. e. centum sortiebantur, ut essent ex quibus supplerentur si qui in sortitione reiecti forent. Cf. Aeschin. in Ctesiph. p. 451. Lex. Seguer. p. 256, 3. Add. R. Hanow, exercitt. critt. in comicos Gr. p. 93. Meier. in Diurn. litt. Hal. 1836 no. 201 p. 367.

12) Or. in Neaer. p. 1346. Omnes senatorii muneris partes hoc iusiurandum singulatim complexum esse paucae eius reliquiae docent ap. Taylor. Lectt. Lys. p. 325. Cf. Demosth. in Timocr. p. 754. Andocid. in Alcib. p. 112, 5. Philoch. ap. schol. Aristoph. Plut. 973 (καθιδοῦμαι ἐν τῷ γράμματι.)

13) Per ἐκφυλλοφορίαν. Aeschin. in Timarch. p. 129. Cf. de comitt. p. 230.

14) Demosth. in Androt. p. 605, 14. 21. Aeschin. in Ctes. p. 412.

15) Lycurg. in Leocrat. p. 164. (c. 11 §. 4.)

16) Βουλευτικὸς τόπος. Aristoph. Av. 794 ibiq. schol. Hesych. h. v. cf. Pollux. IV, 122.

scessus agerent capiti impositam[17]): exacto autem anno, si munere cum laude functi viderentur, collegio universo honoris causa aurea corona a populo decerni solebat[18]).

§. XXVIII.

Munia senatus duorum generum fuerunt, primum ut res ad populum ferendas ante consuleret (*προβουλεύειν*) comitiorumque deliberationi quasi praepararet, alterum ut mandata sibi aut ordinaria aut extraordinaria negotia administraret. Illud genus varium et multiplex est, nec potest commode explicari nisi in comitiorum descriptione, alterius generis negotia maximam partem ad pecunias rei publicae colligendas, servandas, dispensandas, alia ad rem navalem et militarem, alia ad novorum senatorum et magistratuum probationes, alia ad criminum publicorum cognitiones pertinebant. Nam et vectigalia rei publicae per poletas locanda senatus curabat[1]), et pensiones a redemptoribus exigebat, quique intra certum tempus quod deberent non solvissent in vincula coniiciebat[2]), et omnino quicunque aliquid publicae pecuniae apud se haberent, reddere cogebat[3]). Receptores et exactores publici quas collegissent pecunias in senatu numerabant, rationesque proponebant[4]): item quaestores aerariorum, quae sub Minervae ceterorumque deorum tutela in arce asservabantur, quum inibant magistratum, res et pecunias a decessori-

17) Lycurg. p. 222 (c. 30 §. 12.)

18) Demosth. in Androt. c. argum. p. 590 extr.

1) Boeckh. oec. r. p. A. I p. 167. cf. Andoc. de myst. p. 66 Aeschin. in Timarch. p. 134.

2) Or. in Neaer. p. 1353, 22. Dem. in Timocr. p. 730 extr. 745. Boeckh. I p. 362 sqq.

3) Dem. in Timocr. p. 730.

4) Harpocr. s. v. ἀποδέκται. Lex. Seguer. p. 198. Boeckh. p. 171.

bus traditas coram senatu accipiebant [5]): denique omnium quae illatae in publicum et expensae essent pecuniarum rationes certis temporibus senatus conficiendas populoque proponendas curabat [6]). Dispensatio penes populum erat. Erogabant magistratus quantum cuique attributum erat, neque senatus hac in re partes ullae memorantur, nisi quod cives pauperiores et qui propter corporis infirmitatem quaestum facere non poterant, stipem de publico assignatam non accipiebant nisi a senatu probati [7]). Iniuncta porro senatui cura triremium erat quotannis aedificandarum [8]), cui negotio τριηροποιοὶ ab eo adhibebantur [9]): quumque armandae deducendaeque naves erant, trierarchis hoc officio optime et celerrime perfunctis praemia a senatu adiudicabantur [10]). Item equitum, quos res publica etiam in pace trecentos, mox sexcentos, dein mille aut mille et ducentos alebat, senatus curam agebat, ipsosque et equos eorum certis temporibus inspiciebat et probabat [11]). Neque in peditum nautarumque delectu per demos agendo senatorum partes nullae fuisse videntur [12]). Sed imprimis memoranda est novem archontum

5) Corp. Inscr. no. 76, 20. Boeckh. l. l. p. 172--177.

6) Per contrascriptorem (ἀντιγραφέα), qui senatus erat. Aeschin. in Ctes. p. 417. Harpocr. s. v. ἀντιγραφεύς. (cf. §. 29, 15.) Boeckh. I p. 202.

7) Taylor. ad Lys. p. 738. Boeckh. I p. 260 sq. Cf. infr. c. 8 §.

8) Dem. in Androt. p. 595, 20. 596, 15. Liban. hypoth. p. 587. Boeckh. I p. 268.

9) Demosth. l. l. p. 598, 23. Boeckh. l. l. et p. 183.

10) Dem. or. de coron. trierarch. p. 1228.

11) Xenoph. de arte equestr. I, 18. hipparch. I, 8. 13. oecon. 9, 15. Andoc. de pace p. 92 sq. Aeschin. de f. leg. p. 334—337. Harpocr. s. v. δοκιμασθείς. Schol. Aristoph. Equitt. 624. Hesych. II p. 63. Boeckh. I p. 269. 283. C. F. Hermann. de equitt. Att. (Marburg. 1835. 4) p. 28. et 36 sq.

12) Demosth. in Polycl. p. 1208, 5. — Etiam in demorum διαψηφίσεσι demarchis aliqui e senatu affuisse videntur. Vid. de comitt. p. 381 sq.

probatio [13]), quos ubi designati erant examinari a senatu oportebat, essentne per leges ad ineundum magistratum admittendi: in quo quum cuivis eos tanquam indignos arguere liceret, saepenumero causa non secus quam apud iudices in senatu disceptabatur [14]). Postremo etiam delationes aut accusationes ad senatum deferebantur, si quid commissum esset publica animadversione dignum, sed quod ordinario iudicio apud unum e magistratibus iudicesque populares (heliastas) persequi accusator aut nollet aut non posset [15]). Eiusmodi delicta, si leviora essent neque ultra mulctam quingentarum drachmarum, senatus ipse vindicabat [16]); graviora ad populum aut ad heliastas reiiciebat, nisi si maior a populo potestas ipsi data esset. Hoc enim nonnunquam fieri solebat, ut earum quoque rerum, de quibus non senatui sed populo statuendi ius erat, liberum illi arbitrium atque potestatem extraordinariam populus permitteret [17]). Ceterum consulta senatus non ultra eum quo perlata erant annum valebant [18]).

§. XXIX.

Convenire senatus quotidie in curia [1]) sole-

13) Vid. locc. ap. Meier. Proc. Att. p. 206, e quibus satis manifestum videtur archontes tantum et eorum assessores in senatu ac deinde apud iudices, reliquos autem magistratus non nisi apud iudices *δοκιμασίαν* subiisse.

14) Ex hoc genere causarum superest una Lysiae in Euandrum oratio.

15) Cf. de comitt. p. 180 sqq. p. 190 sqq. Proc. Att. p. 260 sqq. et quae infra cap. 4 §. 34 dicentur.

16) Demosth. in Euerg. et Mnesib. p. 1152.

17) *Βουλὴ αὐτοκράτωρ*. Andoc. de myst. p. 8. Cf. de comitt. p. 95.

18) *Ἐπέτεια τὰ τῆς βουλῆς ψηφίσματα*. Dem. in Aristocr. p. 651. cf. de comitt. p. 96. Platner. Proc. II, p. 25. *Προβουλεύματα* igitur non poterant nisi ab eo a quo decreta erant senatu ad populum ferri. Cf. et Annal. crit. Berol. ann. 1820 Septb. p. 331.

1) *Ἐν τῷ βουλευτηρίῳ* in Ceramico ad forum. Pausan. I, 3, 4. Leake topogr. Ath. p. 177. Extra ordinem etiam aliis in locis, ve-

bat, praeterquam feriis [2]). Sed quum molestum atque incommodum esset, quingentos quotidie homines multis diei horis in curia teneri [3]), interesset tamen rei publicae nullo non tempore, praesertim ad subita negotia, adesse quosdam qui quod res postularet sine mora consulerent, tributim diviso senatu institutum erat, ut singulae senatorum tribus vicissim per decimam partem anni totis diebus considerent [4]). Hi prytanes dicti, senaculumque eorum prytaneum [5]). In hoc etiam convictum de publico habebant, invitabanturque eo ad coenam alii quoque vel peregrini vel cives, quibus honor a civitate habendus esset: nonnullis etiam perpetuo victus praebebatur propter insignia in rem publicam merita [6]). Prytanes autem rursus in quinque decurias dividebantur, quarum singulae vicissim per septenos dies reliquis praesi-

---

lut in arce (Xen. Hell. VI, 4, 20.) et in Eleusinio (Andoc. de myst. p. 55.) de quo vid. Pausan. I, 14, 1. Mueller. in Addend. ad Leak. p. 458. Taylor. ad Lys. p. 197. Valckenaer. ap. Sluiter. Lectt. Andoc. p. 176. De ordine sedendi, *καθέζεσθαι ἐν τῷ γράμματι*, Philoch. ap. schol. Aristoph. Plut. V. 973. De *κιγκλίδι, δρυφάκτοις, τοξόταις* Aristoph. Equitt. 641. 665. 675.

2) Pollux VIII, 95: *ὁσημέραι πλὴν ὅταν ἀφετός τις ᾖ.* Huc pertinent dies festi et d. religiosi, *ἀποφράδες*. Cf. de comitt. p. 49 sq. Proc. Att. p. 152. Ast. ad Plat. Legg. p. 357. Decretum de *ἀφετῷ βουλῇ* exstat ap. Athenae. IV p. 171. E.

3) Et plurimi *τῶν ἰδιωτῶν* ne adesse quidem frequentes solebant. Demosth. in Androt. p. 604, 28. Dicuntur enim ibi *ἰδιῶται* ipsi senatores ii qui quasi pedanei non solebant ad dicendum surgere: alibi *ἰδιῶται* senatoribus opponuntur, ut Dem. de f. leg. p. 346, 18. Si quid autem senatus secreto agere vellet, hi *ἰδιῶται* arcebantur. or. in Aristogit. 1 p. 776 cf. Aesch. in Ctes. p. 516: alias igitur adesse iis et audire licebat.

4) Ordo tribubus sorte assignabatur. Vid. Harpocr. s. v. *πρυτάνεις*. Schol. Aristoph. Equitt. v. 396. Boeckh. C. I. 1 p. 234. Clinton. F. H. p. 356 Krüg.

5) Proprie etiam *Θόλος* vel *Σκιάς*. Vid. Pausan. I, 5. 1. Harpocr. s. v. *Θόλος*. Lex. Seguer. p. 264. Timae. p. 143 ibiq. Ruhnk. Erat *τῷ βουλευτηρίῳ* propinquum. cf. Leak. p. 177. diversumque a vetere Prytaneo ad occidentem arcis situm. Pausan. 1, 18, 3. Leak. p. 202. Cf. Mueller. in Ersch. et Grub. Encycl. VI p. 237. b.

6) Pollux IX, 40. Plur. vid. de comitt. p. 335 sq. et ap. Westermann. de publ. Ath. honor. (Lips. 1830. 8.) p. 45 sqq.

derent. Hinc πρόεδροι dicti [7]), ex quibus unus quotidie ἐπιστάτης arcis et aerarii ac tabularii publici claves sigillumque civitatis custodiebat [8]) praeeratque quum prytanibus tum universi senatus consessibus. Sed in his consessibus ab epistata praeter illos, quorum ipse erat, alii novem proedri e reliquis tribubus singulis singuli sorte capiebantur [9]), sine quorum consensu de nulla re suffragium dari potuit: eratque posterioribus temporibus unus ex his novem qui suffragium ceterorum nomine daret. Res in senatu tractandae programmate ante designatae erant, nec licuit de aliis referre [10]). Privatis, qui aliquid apud senatum agere vellent, venia opus erat, quam scripto petebant [11]). Dies cuiusque prytaniae in vulgaribus CCCLIV dierum annis erant XXXV aut XXXVI: quum autem intercalatum erat, id quod antiquitus tertio quoque anno, postea vero subtilius ex Metonis, ut videtur, descriptione temporum fiebat, XXXVIII

---

7) Auctor argum. Demosth. or. in Androt. p. 590. Ulpian. ad or. in Mid. p. 320. 16. Etym. M. p. 364, 48, quibus cur ab Hermanno Ant. Gr. §. 127 not. 9 fides denegaretur, causa nulla idonea fuit. Nam quod ab aliis hi prytanum proedri (sive proedri tribules, contribules) non commemorantur, sed tantummodo alteri novem diversarum tribuum, de quibus vid. not. 9, hoc inde factum est, quod posteris temporibus tribulium proedrorum officia in alteros non tribules aut omnia aut pleraque translata sunt, ut illorum commemorandorum vix unquam occasio esset. Cf. quae infra dicentur cap. 4 §. 31.

8) Telephus Pergamen. ap. Eustath. ad Odyss. XVII v. 455. Pollux VIII, 96. Suid. Etym. M. s. v. Ἐπιστάτης.

9) Telephus ceterique gramm. modo citati. Add. Harpocr. et Phot. s. v. πρόεδροι et quae dixi de comitt. p. 85 F. et 85 G. — Ex his unum videmus senatores in curia congregatos in suffragium mittentem Inscript. n. 124 (cf. de comitt. p. 82 G) post Ol. CLII. et epistatam eorum commemorant plurimi gramm., impr. Harpocr. s. v. ἐπιστάτης, Aristotelem testem citans. Hic haud dubie fuit qui suffragium dabat (ἐπεψήφιζε), quod antiquitus ut in comitiis ita haud dubie etiam in senatu alterius epistatae e prytanibus fuit.

10) Demosth. de f. leg. p. 399.

11) Vid. de comitt. p. 117.

aut XXXIX [12]). Additus porro prytanibus scriba erat, sortito in prytaniae tempus creatus [13]), quem tamen non necesse erat ex eadem cum illis tribu esse [14]). Num etiam alius praeter hunc universi senatus scriba fuerit, si de antiquiore tempore quaeritur, non liquet [15]). Erat autem senator etiam is, qui senatus populique aut etiam populi aut civitatis scriba dicitur: porro contrascriptor (*ἀντιγραφεύς*), imprimis ad pecuniarum acceptarum et expensarum rationes conficiendas [16]), hique omnes fortasse *ὑπογραμματέας* tanquam ministros et adiutores habebant. Quum inibant munus senatores solemnia sacra initialia (*εἰσιτήρια*) peragebant [17]): item quum abibant *ἐξιτήρια* [18]): quotidie autem quum congregabantur precibus numina adorabant, quorum in tutela senatum credebant, Iovem praecipue, Minervam, Vestamque *βουλαίαν* [19]).

12) De anno Attico satis est Idelerum laudare, Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie tom. 1 p. 266 — 362 et Clinton. F. H. p. 324. — 348. De Metonis periodo ad intercalationum rationem ab Atheniensibus publice adhibita quum olim dubitassem, nunc Idelero assentior. Cf. et Boeckh. Corp. Inscr. 1 ad no. 105. add. p. 226 et 230.

13) Cf. de comitt. p. 319. Boeckh. de oec. r. p. A. 1 p. 200. Corp. Inscr 1 p. 120. 148. Hinc etiam nonnunquam nomen eius qui *πρῶτος ἐγραμμάτευε* h. e. qui scriba primae prytaniae fuit, ad anni designationem in tabulis publicis ponitur. Vid. Boeckh. C. I. 1 p. 112. 326. de oec. r. p. A. II p. 199.

14) Semper ex alia tribu fuisse Boeckhius censet C. J. I p. 120, a quo dissentio propter tria contraria exempla, primum inscriptt. no 124. alterum ap. Pseudoplut. vitt. X oratt. p. 833, tertium in Diurn. litt. Hal. 1834. Intellig. no. 31.

15) Cf. Boeckh. C. I. 1 p. 148.

16) Cf. Demosth. in Androt. p. 605. Boeckh. de oec. A. 1 p. 201 sq. C. J. 1 p. 315. nos de comitt. p. 320. et supr. §. 28, 6.

17) Suid. s. v. *εἰσιτήρια*.

18) Hesych. s. v. *ἐξιτήρια* ibiq. intt. — De sacris Jovi Sospitatori a prytanibus extremo anni die factis vid. Hemsterh. ad schol. Aristoph. Plut. v. 1176.

19) De *θεοῖς βουλαίοις*, Vesta, Jove, Minerva, Diana, aliisque cf. Andoc. de myst. p. 22. de reditu p. 82. Aeschin. de f. leg. p. 227 sq. Xenoph. Hellen. II, 3, 52 ibiq. Schneid. Diodor. XIV, 4 ibiq. Wessel. Pseudoplutarch. vit. Isocr. p. 837 F. Harpocrat. s. v. *Βουλαία*. Boeckh. C. J. 1 p. 155 et 671. Westermann. in Act. societ. Graec. 1 p. 176.

4. De Comitiis.

§. XXX.

Populi concilia, quo magis populare imperium crevit, eo frequentius convocari oportuit. Antiquitus singula singulis prytaniis ordinaria fuisse videntur, quae κύριαι ἐκκλησίαι dicebantur: mox auctis rebus ternae additae ecclesiae, legitimae (νόμιμοι), postea autem et ipsae κύριαι dictae [1]). Harum una quaeque certis quibusdam rerum generibus destinata erat [2]); si quid autem subiti accidisset, extra ordinem populus convocabatur, erantque aut σύγκλητοι ἐκκλησίαι aut κατάκλητοι, (s. κατακλησίαι,) quum etiam ex agris cives in urbem invitarentur [3]). Certi comitiorum dies si fuerunt Athenis, alii tamen haud dubie in aliis prytaniis fuerunt [4]). Congregabatur populus olim in foro [5]), mox in Pnyce, qui locus erat in clivo e regione Arei collis [6]), postremo in Bacchi theatro ad ar-

---

1) Cf. de comitt. I, 1 p. 29—32 (locis ibi citatis add. Phot. Pors. p. 191, 10) Wachsmuth. I, 1 p. 258.

2) Pollux VIII, 95.

3) De comitt. p. 28. 29. Κατάκλητος ἄλλα est in tabula Heracleensi p. 145 Mazoch.

4) De comitt. I c. 2 p. 33 — 51. Quam ibi p. 48 proposui prytaniarum tabulam, haec corrigenda erit ex iis quae de Metonis periodo Idelerus exposuit. Vid. et Boeckh. Oec. r. p. A. II p. 195 sq. coll. C. J. I p. 143. 144. et 226.

5) Apollod. ap. Harpocr. s. v. πάνδημος Ἀφροδίτη. Sed Apollodorus de remotissimis tantum temporibus dixit. De situ fori veteris cf. Leak. p. 160. 176. Posterioribus temporibus non nisi propter ostracismum populus in foro congregabatur. Vid. infr. §. 35, et de comitt. p. 245.

6) De comitt. p. 53 — 56. Cf. Meurs. Athen. Att. II c. 9. Dodwell. Sickler. I p. 234. Leak. p. 131—133. De nominis originatione vid. et Buttm. Gramm. mai. 1 p. 237. (Schaeferi autem coniectura ad Dem. or. pr. cor. p. 244, 2: ἐν πυκνῇ τῇ ἐκκλησίᾳ parum probabilis est.) De suggestu in Pnyce operae pretium est conferre quae dicta sunt in Ephemerid. Hal. ann. 1834 no. 33 p. 258. De Metonis heliotropio in Pnyce cf. Krüger. vit. Thucyd. p. 88. Ceterum Pnyx ap. Athenae. V, 51 p. 213 dicitur θεῶν χρησμοῖς καθωσιωμένη.

cis radices sito, versus meridiem [7]); extra ordinem etiam in aliis locis idoneis, nec solum in urbe, comitia habebantur [8]). Convocabant populum ex more prytanes promulgato ante quintum diem edicto s. programmate; rarius nec nisi extra ordinem strategi [9]). Ipso comitiorum die inlicium cives a praeconibus vocabantur [10]), proposito simul in loco urbis conspicuo signo quodam s. vexillo [11]). Saepe etiam qui in foro vicinisque urbis locis morarentur, a lexiarchis per Scythas sagittarios fune rubricato in comitium compelli septisque obductis ne alio dilaberentur arceri solebant [12]). Ab iisdem lexiarchis eorumque ministris cavebatur, ne irreperent quibus ius non esset [13]), tesseraque ingredientibus dabatur, qua prolata mercedem a thesmothetis acciperent [14]), olim obolum, mox triobolum [15]). Hac qui sero

---

7) Jam Demosthenis et superiore aetate de certis quibusdam rebus populum in theatro congregari lex fuit. Vid. de comitt. p. 56. Postea in Pnyce strategi tantum creandi causa populus convenisse dicitur (ib. p. 53.) quamquam hunc quoque nonnunquam in theatro creatum ostendit Athenae. l. l. De situ theatri vid. Leak. p. 141 — 147. Id paullo post Ol. LXX, 1 inchoatum moxque eatenus exaedificatum fuit ut ludis et concionibus inservire posset, licet plane absolutum a Lycurgo demum sit. Cf. Mueller ad Aeschyl. Eum. p. 100. Falsa est Kanngiesseri opinio (die Komische Bühne. p. 142) lapideum theatrum Lycurgi demum aetate et inchoatum et perfectum esse: quamquam recoxit hanc nuper aliquis et pro sua venditavit.

8) Ut in theatro Munychiae s. Piraeei (est enim unum. v. Boeckh. comm. de Dionysiis p. 74, in Comm. Acad. Berolin. 1817.) et in Colono. vid. de comitt. p. 56. 57. De verbo *ἐξεκκλησιάζειν* verum docuit Buttm. in Dem. Mid. p. 102.

9) De comitt. p. 58. 61.

10) Ibid. p. 59.

11) Ibid. p. 159.

12) Ibid. p. 62 — 64. De sex lexiarchis et eorum triginta adiutoribus cf. Hesych. s. v. *τριάκοντα* ibiq. intt. et Phot. Porson. II p. 599.

13) Pollux VIII, 104: *'τοὺς ἐκκλησιάζοντας ἐξήταζον.* Utebantur hac in re haud dubie tabulis lexiarchicis aut ecclesiasticis.

14) De comitt. p. 68.

15) Ibid. p. 65 sqq.

venissent excidebant, qui plane non adfuissent insuper etiam mulctabantur [16]).

§. XXXI.

Auspicari comitia moris erat a sacrificio lustrali, hostiis, quae *περίστια* dicebantur, praeeunte sacerdote (*περιστιάρχῳ*) per concionem circumlatis sanguineque earum subselliis adsperso [1]). Adultis deinde suffimentis solemne precationis carmen a praecone pronunciabatur, verba praeeunte scriba [2]). His peractis ferebatur ad populum qua de re ageretur [3]): idque negotium unus ex proedris, sive hic prytanis erat sive ex novem non tribulibus, administrare solebat. Nam ut in senatu ita etiam in comitiis singuli erant e singulis tribubus, quae prytaniam illo tempore non gererent, a prytanum epistata proedri sortiti [4]). Extra ordinem

---

16) Pollux VIII, 104. de comitt. p. 62 not. 22.

1) De comitt. p. 91. 92.

2) Ibid. p. 92—94.

3) Ibid. 94. 95. et de formula *χρηματίζειν πρῶτον μετὰ τὰ ἱερά* cf. Boissonad. comment. epigraph. p. 457. Osann. syllog. inscriptt. p. 167.

4) Vid. locc. supra §. 29, 9 citt. *Χρηματίζειν* in comitiis ab Aeschine quidem et Demosthene semper proedri dicuntur; sed prytanes fortasse in lege ap. Dem. in Mid. p. 517 init: *τοὺς πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν — — ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν.* Quamquam fieri potest ut verbum *χρηματίζειν* ne pertineat quidem ad *τοὺς πρυτάνεις*, sed omisso subiecto positum sit, quippe quod a quolibet facile subintelligi posset: et Demosthenes ipse paullo infra dicit: *ἐπειδὰν χρηματίσωσιν οἱ πρόεδροι.* Apud antiquiores contra proedrorum nulla fit mentio, sed tantummodo prytanum, quos et tulisse ad populum et suffragium dedisse docent Thucydidis, Platonis, Xenophontis, Antiphontis loci de comitt. p. 90 — 93 commemorati. Unus est Axiochi dialogi locus c. 12, qui *προέδρων* in comitiis Ol. XCIII, 3 habitis mentionem faciat: sed is utrum prytanum proedros an novem non tribules significet non potest ex ipso cognosci. Cf. Luzac. disqu. de epist. et proedr. §. 14. 15. Apud Aeschinem autem et Demosthenem ubique proedros non tribules intelligendos esse suaserint loci, qualis est or. in Ctes. p. 385: *καὶ ταῦτα ἕτεροί τινες τὰ ψηφίσματα ἐπιψηφίζουσιν οὐκ ἐκ τοῦ δικαιοτάτου τρόπου λαχόντες προεδρεύειν, ἀλλ' ἐκ παρασκευῆς καθεζόμενοι,* et quae sequuntur: *ἐὰν δέ τις τῶν ἄλλων βουλευτῶν ὄντως λάχῃ κληρούμενος προεδρεύειν,* ex quo loco Boeckhius C. J. 1 p. 130 recte collegit, certe illo tempore

autem etiam strategi aliive magistratus ad populum ferebant de rebus ad ipsorum administrationem pertinentibus [5]). Si qua erat senatus auctoritas perscripta, haec recitabatur a praecone, rogabaturque populus, standumne eo quod senatus censuisset an amplius consultandum videretur. Populus voluntatem suam porrectis manibus declarabat, idque *προχειροτονεῖν, προχειροτονία* dicitur [6]). Si amplius disceptari placuisset, aut si nulla perscripta esset senatus auctoritas [7]), sententiae di-

(Ol. CXII.) proedros non tribules populum in suffragium misisse. Neque ex eo quod Demosthenem Ol. CVIII, 2 duobus continuis diebus proedrum videmus (cf. de comitt. p. 92. 93 plag. F.) tuto colligi potest, eum illo tempore prytanin fuisse, quod ego olim feci, inductus etiam psephismatis praescriptione ap. Dem. de coron. p. 235, cuius psephismatis nullam auctoritatem esse nunc in confesso est, (vid. Boeckh. comm. de archontt. pseudeponymis p. 8 sqq. Winiewsky. comm. histor. in Dem. or. de cor. p. 291. Rank. in Ersch. et Grub. Encycl. s. v. Demosth. p. 53 sq.) et Aeschines in Ctes. p. 463 criminatur Demosthenem secundo quidem die *ἐκ παρασκευῆς* proedrum fuisse. Neque tamen nullas illa aetate in suffragio dando etiam prytanum partes fuisse colligas e Dem. in Timocr. p. 749: *ἔστιν ὅστις ἂν ἢ πρόεδρος ποτ' ἐπεψήφισεν ἢ πρύτανις τούτων τι;* Habita est haec oratio Ol. CVI, 3 aut 4. Itaque hoc tempore communiter illud negotium ab utrisque administratum videri possit. Accedit quod legitur ib. p. 723: *τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν Ἀριστοκλῆς Μυρρινούσιος,* quem prytanin fuisse apparet, quum res agatur *ἐπὶ τῆς Πανδιονίδος,* ex qua tribu sunt Myrrhinusii. Add. or. in Neaer. p. 1375 extr. *τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι δύο καδίσκους ὁ νόμος καὶ τὴν ψῆφον διδόναι.* Habita est oratio Ol. CIX. Sed post hoc tempus nulla amplius prytanum in suffragio dando mentio fit, ut totum hoc negotium, quod olim horum et eorum epistatae fuerat, iam ad proedros non tribules cum horum epistata translatum videri debeat.

5) De strategis vid. de comitt. p. 103. de novem archontibus ib. 245. 326. 330. de thesmothetis p. 141. 259.

6) De committ. p. 99. — Quae psephismata senatus auctoritate a populo scita erant, *βουλῆς* aut *πρυτάνεων καὶ βουλῆς γνώμῃ* (s. *γνώμη*) praescriptum habere solent. Vid. ib. p. 100 sq. Cf. Boeckh. C. J. II p. 218. Senatus auctoritatem ad populum ferre est *γνώμην βουλῆς συμβάλλεσθαι εἰς τὸν δῆμον* in psephismate Salaminio C. J. no. 108, 24. Exempla psephismatum, in quibus ad senatus auctoritatem a populo acceptam etiam additum insuper aliquid est ex rogatione in comitiis lata, habemus inscriptt. no. 84. 92. 106.

7) Hoc opinor ita factum esse, si tantummodo in universum edictum esset de quibus rebus cum populo agi liceret, v. c. in magistratuum *ἐπιχειροτονίαις,* de quibus infra dicetur, aut si quid subiti accidisset de quo nullum Scitum confici potuisset.

cendae potestas civibus a proedris dabatur [8]), provocabanturque a praecone primum qui quinquaginta annis maiores essent, post hos reliqui, quibus quidem verba ad populum facere liceret [9]). Licebat autem omnibus, qui integro erant iure civitatis nec propter pecuniam rei publicae debitam aut propter delicta aut flagitia capite minuti aut digni qui minuerentur [10]): quorum si quis tamen ad dicendum prodiret, huic iudicium a quolibet denuntiari poterat [11]). Qui dicebant in suggestu coronam capiti impositam gerebant, tanquam publicae quam suscepissent personae insigne [12]): nec interpellari eos a privatis, nec omnino laedi verbis factisve fas erat: ipsis autem non de alia re dicere, quam de qua latum erat, nec de pluribus per saturam, nec saepius quam semel licebat [13]). Qui contra facerent, aut qui aliquo modo contra legitimum ordinem bonosque mores gravius delinquerent, hos proedri per ministros deturbare de suggestu, amovere e concione, mulcta quinquaginta drachmarum afficere, aut, si graviore poena digni viderentur, senatui aut proximae ecclesiae puniendos tradere poterant [14]), eratque ad

---

8) *Γνώμας, λόγον προτιθέναι.* De comitt. p. 104. *γνώμης ἀπόδειξιν προτιθέναι.* Dem. Aristogit. I p. 772. Cf. intt. ad Thucyd. III, 36. Dorvill. ad Chariton. I, 10 in.

9) Aeschin. in Ctes. p. 386, qui tamen hunc morem dudum observari desitum queritur. Cf. de comitt. p. 105.

10) Neque igitur propter adolescentiam quisquam excludebatur (vid. de com. p. 105.) neque quod Dinarchus ait in Demosth. p. 51 de legitimo matrimonio et de fundorum in Attica possessione ad ius verba faciendi pertinet, sed ad munera publica oratoribus a populo mandanda (vid. l. l. p. 113), quamquam in his quoque illud saepe neglectum credo. Ceterum cf. Boeckh. oecon. r. p. A. I p. 450 et 460.

11) *Δοκιμασίαν τοῦ βίου ἐπαγγέλλειν.* Vid. de comitt. p. 110. 112. 240. Proc. Att. p. 209.

12) De comitt. p. 113.

13) Ibid. p. 114 sqq.

14) De comitt. p. 90 G. et p. 114 sq. Cf. Plat. Protag. p. 319 C.

coercendam in comitiis petulantiam et immodestiam Aeschinis aetate institutum, ut e civium tribubus sortiretur una, ex qua certus hominum numerus in gradibus suggestus praesideret et prytanibus proedrisque adesset [15]). Quibus autem verba ad populum facere, iisdem etiam rogationes proponere licebat. Has scripto consignatas per scribam tradi proedris oportebat [16]), qui, si nihil obstaret, pronuntiari rogationem a praecone iuberent populoque suffragium darent [17]). Intercedere autem quo minus in suffragium populus mitteretur, uni cuique proedris licuisse videtur: quamquam saepenumero fiebat, ut intercessores aut a collegis aut a multitudine suffragium flagitante deterrerentur [18]). Potuit autem etiam privatus quivis intercedere, quum se legis male rogatae actionem latori intenturum iure iurando (*ὑπωμοσίᾳ*) interposito denunciaret: eaque actio etiam post perlatam rogationem denunciari poterat, eratque eius haec vis, ut quod populus scivisset, non tamen pro lege observaretur ante quam iudicum sententiis comprobatum esset [19]). Qui autem proedri contra ius legesque aut dedissent populo suffragium aut quo minus in suffragium iretur impedissent, gravissimis poenis obnoxii erant [20]). Ferebatur autem suffragium duobus modis: aut manibus porrectis aut calculis in urnas coniectis.

---

15) Ibid. p. 88. 89.

16) Ibid. p. 118.

17) *Ἐπιψηφίζειν, διαχειροτονίαν, ἐπιχειροτονίαν διδόναι, ἐπιτρέπειν ψηφίζεσθαι, ἐπάγειν ψῆφον.* Vid. ib. p. 121. — Nomophylacum nullam mentionem feci, quia a nemine veterum scriptorum ante Dinarchum et Demetrium Phalereum commemorantur. Cf. infr. §. 59.

18) Aeschin. de f. leg. p. 260 sqq. Cf. de comitt. p. 119.

19) Vid. de comitt. p. 119. 159 sqq. — De Aristophanis loco Plut. v. 725, ubi *ἐπομνύμενον* nonnulli pro *ὑπομνύμενον* acceperunt aut hoc ipsum reponi voluerunt, vera docuit vir doctus in Ephemm. Lips. ann. 1820 no. 97 p. 776. Cf. Brisson. de formulis p. 687 ed. Conrad.

20) Plat. Apolog. p. 32 A. Demosth. in Timocr. p. 716, 18.

Illud, quod proprie *χειροτονεῖν, χειροτονία, διαχειροτονεῖν, διαχειροτονία* dicitur, longe erat usitatissimum[21]): calculis non utebantur, nisi certis quibusdam de rebus, in quibus aut plurimum intererat iubentium et antiquantium numerum quam certissime teneri, aut caveri libertati sententiarum volebant, velut in ostracismo, in civitate peregrinis impertienda, damnatis, exulibus, capite deminutis, in integrum restituendis, poenis propter graviora delicta irrogandis: de quibus rebus omnibus cautum erat, ne ratum esset populi scitum, nisi sex mille haud minus cives suffragium tulissent[22]). Latis a populo suffragiis quod plures iusserant pronuntiabatur ab epistata[23]): rogatio autem perlata in tabulis publicis a scriba asservabatur[24]), saepenumero etiam in lapide aut aere scripta proponebatur[25]). —

21) De comitt. p. 122 sqq.

22) Ibid. p. 125 sq. 209. 245. 273. 275. 338. Cf. Boeckh. de oec. r. p. A. II p. 412. Wachsmuth. I, 1 p. 272. Platner. Proc. II p. 136. Tittmann. p. 190.

23) *Ἀναγορεύειν τὰς χειροτονίας.* Aeschin. in Ctes. p. 385.

24) De comitt. p. 129.

25) Ibid. p. 130. Formas psephismatum, quales fuerunt variis rei publ. temporibus, ibidem proposui p. 131—136.; quamquam quae ap. Demosth. extant in orat. de corona non debebant in censum venire, quippe quum omnium praescriptiones adulteratae sint, qua de re Boeckhius subtilissime disputavit in comm. Acad. Berol. ann. 1827 (diss. de archontibus pseudeponymis), scribarum nomina pro archontum nominibus posita esse docens. (Quae Bruecknerus opposuit in libro, König Philipp S. des Amyntas. Gotting. 1837. p. 368 non magni momenti sunt). Sunt igitur duo tantum genera, alterum antiquius, cuius exemplum extat Corp. Inscr. no. 76: *Ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, Κεκροπὶς ἐπρυτάνευε, Μνησίθεος ἐγραμμάτευε, Εὐπείθης ἐπεστάτει, Καλλίας εἶπεν.* Alia eiusdem generis aut cum exiguis varietatibus vid. de comitt. p. 131 sq. Temporis accuratior designatio praemittebatur hoc modo: *Ἐπὶ τοῦ δεῖνα ἄρχοντος καὶ ἐπὶ τῆς βουλῆς ᾗ πρῶτος Εὐδράμων ἐγραμμάτευεν Ἀχερδούσιος.* Vid. Corp. Inscr. I p. 120. Huius generis omnia sunt ante Euclidem. Alterum genus est huiusmodi: *Ἐπὶ Νικοδώρου ἄρχοντος ἐπὶ τῆς Κεκροπίδος ἕκτης πρυτανείας, Γαμηλιῶνος ἑνδεκάτῃ, ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τῆς πρυτανείας, ἐκκλησία· τῶν προέδρων ἐπεψήφισεν Ἀριστοκράτης Ἀριστοδήμου Οἰν. καὶ συμπρόεδροι, Θρασυκλῆς Ναυσιστράτου Θριάσι. εἶπεν.* C. Inscr. no. 105. Alia eiusdem generis cum levibus varietatibus vid. de comitt. p. 135. unum extat C. J. no. 111, in quo etiam symproedrorum nomina perscripta fuerunt, quamquam

Peractis autem quorum causa populus convenerat, dimittebatur per praeconem ab iisdem a quibus convocatus erat prytanibus [26]). Quodsi peragendis rebus dies non suffecisset, in proximum aut tertium diem iterum convocabatur. Idem fiebat, si propter fulgur, tonitru, pluviam aliaque eiusmodi quae διοσημίαι vocantur, comitia ante tempus dirimenda fuerant [27]).

§. XXXII.

Legitimis ecclesiis quaternis sua cuique negotiorum genera legibus destinata fuisse dicuntur [1]): neque tamen adeo constanter hunc ordinem servatum esse credimus, ut nunquam ab eo discederetur [2]), et nobis certe in percensendis rebus, quarum penes populum arbitrium fuit, is potius ordo sequendus erit, quem rerum ipsarum genera praescribunt. Itaque quum omnis rei publicae administratio legibus, magistratibus, iudi-

---

nunc de undecim nominibus (est enim psephisma XII tribuum aetate scriptum) octo tantum et ne haec quidem integra supersunt. Vetustissimum huius formae exemplum est no. 90 ex Ol. CVI, 2, proximum apud Demosth. in Timocr. p. 723 ex Ol. CVI, 3 aut 4, tertium C. J. no. 96 ex Ol. CXIV, 3 ut arbitror; et recentiora sat multa. Sunt autem qui in his inveniuntur proedri omnes non e prytanibus, praeter unum ap. Demosth. in Timocr., viderique potest haec praescriptionum formula eo tempore instituta esse, quum suffragii dandi munus cum proedris non contribulibus communicari coepit.

26) De comitt. p. 147. Elmslei. ad Arist. Ach. v. 173 recte monet, λύεσθαι μὲν τὴν ἐκκλησίαν, ἀφίεσθαι δὲ τὴν βουλὴν καὶ τὰ δικαστήρια, coll. Equitt. 764. Vesp. 595. Eccl. 377.

27) De comitt. p. 147. 148.

1) Pollux VIII, 95: Τῶν ἐκκλησιῶν ἡ μὲν κυρία, ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἐπιχειροτονοῦσιν, εἴπερ καλῶς ἄρχουσιν, ἢ ἀποχειροτονοῦσιν· ἐν ᾗ καὶ τὰς εἰσαγγελίας ὁ βουλόμενος εἰσαγγέλλει, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῶν δημοσιευομένων ἀναγιγνώσκουσιν οἱ πρὸς ταῖς δίκαις, καὶ τὰς λήξεις τῶν κλήρων (vid. Proc. Att. p. 463.). ἡ δὲ δευτέρα ἐκκλησία ἀνεῖται τοῖς βουλομένοις ἱκετηρίαν θεμένοις λέγειν ἀδεῶς περί τε τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων. ἡ δὲ τρίτη κήρυξι καὶ πρεσβείαις ἀξιοῖ χρηματίζειν, οὓς δεῖ πρότερον τοῖς πρυτάνεσιν ἀποδοῦναι τὰ γράμματα. ἡ δὲ τετάρτη περὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων. Cf. de comitt. p. 297.

2) Apud Aristophanem certe Acharn. v. 19 κυρία ἐκκλησία est, sed agitur de rebus quas Pollux tertiae ecclesiae destinatas dicit.

ciis contineatur, horumque omnium in populari imperio summum arbitrium populus habeat, videndum nobis hoc primum erit, quae qualesque in iis comitiorum partes esse solitae sint [3]); post haec de negotiis singularibus, quae vel ad externa cum aliis populis commercia bellique et pacis rationes vel ad internam atque domesticam administrationem pertinent, summatim exponemus. — Ac primum quidem de legibus [4]) cautum erat Solonis instituto [5]), ut veniam quidem populus daret abrogandarum veterum novarumque ferendarum, quae autem ita abrogarentur ferrenturve, de his suffragium non multitudo ferret in comitiis congregata, sed pauciores aliquot viri aetatis maturae et iuris iurandi religione adstricti. Itaque in prima quotannis ecclesia [6]) — hoc enim erat huic negotio tempus legitimum — rogabatur a prytanibus populus, retinendaene veteres leges ut erant viderentur, an quid in iis mutari novasque ferri placeret: qua de re quo melius iudicare populus posset, iniunctum thesmothetis erat, ut leges accurate recognoscerent, ac si quas invenirent aut contrarias inter se aut iam obsoletas neque tamen de reliquarum numero sublatas, aut plures de una re, has omnes in tabulis publice propositis populo indicarent [7]): nec facile oratorum consilia

---

3) Apparet autem aucta supra modum populi potestate, praeter ea quae ex vetere instituto ad populum ferri oporteret, nihil fuisse rei paullo maioris, quod non posset etiam in comitiis tractari: *ὁ γὰρ δῆμος ὁ Ἀθηναίων κυριώτατός ἐστι τῶν ἐν τῇ πόλει ἁπάντων, καὶ ἔξεστιν αὐτῷ ποιεῖν ὅ τι ἂν βούληται.* Or. in Neaer. p. 1375, 1.

4) Leges nunc dicimus *νόμους,* non *ψηφίσματα,* de quorum discrimine vid. de comitt. p. 248 sq.

4) Hoc contra F. A. Wolfium prolegg. ad Dem. Leptin. p. CXXXIII probasse mihi videor de comitt. p. 265 — 268, assentientibus Platnero Proc. II p. 28. Tittmanno p. 147. Hermanno §. 131.

6) Omnem rei ordinem accurate expositum vid. de comitt. lib. II c. 7. Cf. Wolf. l. l. p. CCXXVI sqq. Tittmann. et Platner. ll. ll.

7) De hoc thesmothetarum officio testis unus superest Ae-

deerant, has illasve leges tollendas permutandasque cum aliis aut suadentium aut dissuadentium. Quodsi mutationi locum dari placuisset, qui laturi novas leges erant, — nec licebat abrogari veteres nisi ita ut novae pro iis subrogarentur, — promulgare eas apud statuas eponymorum iubebantur, creabanturque a populo, qui veterum legum patrocinium susciperent novasque impugnarent, quini oratores. Hi συνήγοροι aut σύνδικοι dicuntur. Deinde in tertia ecclesia legitima ferebatur ad populum de nomothetis, quot in quantum temporis creari, quidque mercedis iis numerari placeret. Sumebantur autem nomothetae non alii, nisi qui heliasticum ius iurandum eo anno dedissent. Apud hos iam reliquum negotium plane ad instar iudicii pertractabatur, accusantibus veteres leges iis qui novas tulissent, defendentibus patronis a populo creatis, nomothetis autem re cognita suffragium pro alterutris ferentibus [8]). Praeerant autem consilio iidem qui ecclesiis prytanes et proedri, aderantque, ut videtur, etiam alii senatores [9]). Perlatam rite apud nomothetas legem nihilo secius per γραφὴν παρανόμων, itidem ut psephismata in comitiis perlata, accusare et ad iudicii cognitionem vocare cuivis licebat, quum aut inutilem eam rei publicae, aut aliis legibus contrariam contenderet: nec valebat illa nisi a iudicibus quoque comprobata [10]). — Ceterum praeter annuam illam et

schines in Ctes. p. 430: alterum Theophrastum Harpocratio laudat s. v. Θεσμοθέται. Dubitatum est, utrum haec thesmothetarum recognitio cum illa, quae in prima cuiusque anni ecclesia peragebatur, coniuncta fuerit, an non: hoc Petito placuit Legg. Att. p. 187 mihique olim de comitt. p. 260; illud Wolfio l. l. p. CL, et recte, ut nunc arbitror. Scilicet statuendum est superioris anni thesmothetas ante quam magistratu abirent illo munere functos, quaeque ab his indicata et proposita essent, in prima novi anni ecclesia populo recitata esse. Cf. et Platner. II p. 30. 31.

8) Non tamen calculis, ut in iudiciis, sed manibus. Vid. de comitt. p. 258.

9) Ibid. p. 258 not. 26.

10) Ibid. Heffter. p. 272 sqq. Athenaeische Gerichtsverfassung, p. 394 sq. Memorandae sunt h. l. leges de privilegits, de restitu-

legitimam legum censuram, quae proprie ἐπιχειροτονία νόμων dicitur, nonnunquam etiam extra ordinem si res posceret nomothetas a populo constitutos legimus [11]): ac posteris temporibus, ubi libertas paullatim in licentiam degeneravit, nimis saepe leges non aliter quam psephismata et ferri quovis tempore ad populum et accipi a populo in comitiis solebant, nulla nomothetarum mentione [12]).

§. XXXIII.

Magistratus et honores quum olim omnes populi suffragiis mandarentur, mox a Clisthene, ut videtur [1]), institutum est ut plurimi sortito caperentur, quo minus scilicet opes aut ambitio iuris aequabilitati officere possent. Manebat tamen suffragii latio in iis [2]), qui aut maiorem rerum usum peritiamque non cuilibet obviam, aut spectatam populo fidem praecipue postulabant, quales erant e. c. praefecturae militares, aerarii dispensatio, theoricorum cura aliaeque pecuniae publicae administrationes, publicae disciplinae rectio, festorum solemnium procuratio, porro quae extra ordinem mandabantur operum publicorum curationes, — quamquam de his suffragium plerumque tribuum conciliis a populo permitti solebat, — causarumque populi patrocinia legationesque. Comitia magistratuum creandorum ἀρχαιρεσίαι vocantur [3]), quae quo anni tempore celebrata sint, non constat [4]), nisi hoc

---

tionibus in integrum, de antinomiis. Vid. de comitt. p. 273. 275. 276.

11) Ibid. p. 270.

12) Ibid. p. 264 sq.

1) Vid. supra §. 10. 8.

2) De omnibus proximo capite accuratius dicetur. Interim vid. de comitt. p. 313.

3) Cf. de comitt. p. 322. ad Isae. p. 368. Schaef. ad Dem. or. de contrib. p. 171, 17.

4) Vid. de comitt. p. 322 sqq. ubi grammaticorum commenta de quattuor ἀνάρχοις diebus refutavi.

quidem dubitari non potest, sat longum inter designationem et ingressum muneris intervallum fuisse, quod examinandis rite probandisque designatis magistratibus sufficeret [5]). Praeerant autem his comitiis praeter prytanes et proedros etiam novem archontes, certe in militarium magistratuum creatione [6]). Petitores, *σπουδάρχαι*, quum ambiunt honorem, *ἀρχαιρεσιάζειν, σπουδαρχιᾶν* dicuntur [7]): neque ambitus malae artes apud Athenienses, posterioribus quidem temporibus, aut rariores quam Romae aut levioribus poenis sancitae erant [8]). Fiebat tamen nonnunquam ut etiam absentes et non petentes a populo crearentur [9]). Qui creati erant, eiurare munus poterant propter sonticas causas [10]): inito autem munere privari omnes a populo poterant, si deliquisse viderentur. Hanc ob causam in prima cuiusque prytaniae ecclesia legitima rogabatur ab archontibus populus, viderenturne magistratus officio recte fungi an secus, relinquendine in munere an amovendi essent [11]). Licebat etiam cuivis vel privatarum iniuriarum querelas [12]) vel publicorum delictorum indicia aut accusationes

---

5) Cf. infr. c. 5 §. 38.

6) Pollux VIII, 87. de comitt. p. 327.

7) Ibid. — Cf. Arist. Polit. V, 4, 6 c. Schneideri comm. p. 305. *Χειροτονίαν μνηστεύειν* est apud Isocr. de pac. c. 5. Petitores qui proponuntur populo *προβάλλεσθαι* dicuntur. Vid. de comitt. p. 328. Ex eo quod Plato Legg. VI p. 765 B. *ἀντιπροβολὴν* et *προχειροτονίαν* institui suadet, haec ita etiam apud Athenienses obtinuisse Hermannus de vestigg. vett. institt. etc. p. 40 coniicit, calidius, opinor, quam cautius. Mirum certe foret nullum huius rei indicium apud alios scriptores extare.

8) De comitt. p. 327 sq.

9) Plutarch. Phoc. c. 8.

10) De comitt. p. 329. Cf. Ast. ad Teophr. char. c. 24 p. 211 sq.

11) Haec est *ἐπιχειροτονία τῶν ἀρχόντων*, de qua vid. Pollux VIII, 95. Harpocr. et Suid. s. v. *κυρία ἐκκλησία*. Add. de comitt. p. 231. Meier. de bon. damn. p. 89. Platner. Proc. I p. 330.

12) *Προβολάς*. Vid. de comitt. p. 229 sqq. et 330. Cf. Annal. crit. Berol. ann. 1827 no. 176 p. 1402 sq. et infr. §. 34.

contra magistratus ad populum deferre, quae si acceptae essent, illi in iudicium vocarentur, interimque magistratu abire cogerentur.

§. XXXIV.

Hoc igitur primum genus fuit delationum accusationumve ad populum, contra magistratus: sed praeter hos etiam alii saepenumero propter graviora delicta rei apud populum fiebant, sive quis index tantummodo existebat, qui delati criminis persequutionem ipse suscipere aut nollet aut non posset, sive accusator, qui se reum etiam in iudicio persequuturum reciperet [1]). Deferebantur autem eiusmodi imprimis crimina, quae aut propter gravitatem insolitam aut propter alias causas extraordinario iudicio vindicanda viderentur [2]), vel ad senatum vel ad populum [3]). De senatu supra dictum est [4]): ad populum vero hoc genus causae aut remittebantur a senatu, aut statim ab accusatore cum senatus venia deferebantur: ac videtur etiam thesmothetarum fuisse, ut, si quis quid ad eos detulisset, quod ipsi ad populi potius cognitionem per-

---

1) Quid intersit inter indicium (*μήνυσιν*) et accusationem (*εἰσαγγελίαν*) vid. de comitt. p. 221 sq. Heffter. p. 234 sqq. Platner. I p. 353 sqq. Indices quum plerumque aut culpae affines aut peregrini aut servi essent, *ἀδείας* opus erat ad indicium deferendum, Plut. Pericl. c. 31, probatoque eo impunitas aut etiam praemia dari solebant.

2) Vid. quae de eiusmodi criminibus, quae *ἄγραφα ἀδικήματα δημόσια* a grammaticis dici solent, exposui de comitiis p. 180—189. Add. Meier. Proc. Att. p. 262—264. Heffter. p. 214—221. Platner. I p. 365—368.

3) *Πρὸς τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον ἡ πρώτη κατάστασίς ἐστι.* Harpocr. s. v. *εἰσαγγελία.* Exempla delationum, tam *μηνύσεων* quam *εἰσαγγελιῶν*, vid. de comitt. p. 190—198. 219. Cf. Isae. de Nicostr. her. §. 28. Nonnunquam malefici ipsi deprehensi in senatum aut in concionem producebantur. De comitt. p. 222. Nonnulla prytanes ex officio ad populum deferebant, ib. p. 218, et in criminibus vulgo notis etiam sine alicuius indicio aut accusatione populus inquisitionem fieri iussit per *ζητητὰς* aut per Areopagitas. ibid. p. 224.

4) Cap. 3 §. 28, 15.

quidem dubitari non potest, sat longum inter designationem et ingressum muneris intervallum fuisse, quod examinandis rite probandisque designatis magistratibus sufficeret [5]). Praeerant autem his comitiis praeter prytanes et proedros etiam novem archontes, certe in militarium magistratuum creatione [6]). Petitores, *σπουδάρχαι*, quum ambiunt honorem, *ἀρχαιρεσιάζειν, σπουδαρχιᾶν* dicuntur [7]): neque ambitus malae artes apud Athenienses, posterioribus quidem temporibus, aut rariores quam Romae aut levioribus poenis sancitae erant [8]). Fiebat tamen nonnunquam ut etiam absentes et non petentes a populo crearentur [9]). Qui creati erant, eiurare munus poterant propter sonticas causas [10]): inito autem munere privari omnes a populo poterant, si deliquisse viderentur. Hanc ob causam in prima cuiusque prytaniae ecclesia legitima rogabatur ab archontibus populus, viderenturne magistratus officio recte fungi an secus; relinquendine in munere an amovendi essent [11]). Licebat etiam cuivis vel privatarum iniuriarum querelas [12]) vel publicorum delictorum indicia aut accusationes

---

5) Cf. infr. c. 5 §. 38.

6) Pollux VIII, 87. de comitt. p. 327.

7) Ibid. — Cf. Arist. Polit. V, 4, 6 c. Schneideri comm. p. 305. *Χειροτονίαν μνηστεύειν* est apud Isocr. de pac. c. 5. Petitores qui proponuntur populo *προβάλλεσθαι* dicuntur. Vid. de comitt. p. 328. Ex eo quod Plato Legg. VI p. 765 B. *ἀντιπροβολὴν* et *προχειροτονίαν* institui suadet, haec ita etiam apud Athenienses obtinuisse Hermannus de vestigg. vett. institt. etc. p. 40 coniicit, calidius, opinor, quam cautius. Mirum certe foret nullum huius rei indicium apud alios scriptores extare.

8) De comitt. p. 327 sq.

9) Plutarch. Phoc. c. 8.

10) De comitt. p. 329. Cf. Ast. ad Teophr. char. c. 24 p. 211 sq.

11) Haec est *ἐπιχειροτονία τῶν ἀρχόντων*, de qua vid. Pollux VIII, 95. Harpocr. et Suid. s. v. *κυρία ἐκκλησία*. Add. de comitt. p. 231. Meier. de bon. damn. p. 89. Platner. Proc. I p. 330.

12) *Προβολάς*. Vid. de comitt. p. 229 sqq. et 330. Cf. Annal. crit. Berol. ann. 1827 no. 176 p. 1402 sq. et infr. §. 34.

contra magistratus ad populum deferre, quae si acceptae essent, illi in iudicium vocarentur, interimque magistratu abire cogerentur.

§. XXXIV.

Hoc igitur primum genus fuit delationum accusationumve ad populum, contra magistratus: sed praeter hos etiam alii saepenumero propter graviora delicta rei apud populum fiebant, sive quis index tantummodo existebat, qui delati criminis persequutionem ipse suscipere aut nollet aut non posset, sive accusator, qui se reum etiam in iudicio persequuturum reciperet [1]. Deferebantur autem eiusmodi imprimis crimina, quae aut propter gravitatem insolitam aut propter alias causas extraordinario iudicio vindicanda viderentur [2], vel ad senatum vel ad populum [3]. De senatu supra dictum est [4]: ad populum vero hoc genus causae aut remittebantur a senatu, aut statim ab accusatore cum senatus venia deferebantur: ac videtur etiam thesmothetarum fuisse, ut, si quis quid ad eos detulisset, quod ipsi ad populi potius cognitionem per-

---

1) Quid intersit inter indicium (*μήνυσιν*) et accusationem (*εἰσαγγελίαν*) vid. de comitt. p. 221 sq. Heffter. p. 234 sqq. Platner. I p. 353 sqq. Indices quum plerumque aut culpae affines aut peregrini aut servi essent, *ἀδείᾳ* opus erat ad indicium deferendum, Plut. Pericl. c. 31, probatoque eo impunitas aut etiam praemia dari solebant.

2) Vid. quae de eiusmodi criminibus, quae *ἄγραφα ἀδικήματα δημόσια* a grammaticis dici solent, exposui de comitiis p. 180—189. Add. Meier. Proc. Att. p. 262—264. Heffter. p. 214—221. Platner. I p. 365—368.

3) *Πρὸς τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον ἡ πρώτη κατάστασις ἐστι.* Harpocr. s. v. *εἰσαγγελία*. Exempla delationum, tam *μηνύσεων* quam *εἰσαγγελιῶν*, vid. de comitt. p. 190—198. 219. Cf. Isae. de Nicostr. her. §. 28. Nonnunquam malefici ipsi deprehensi in senatum aut in concionem producebantur. De comitt. p. 222. Nonnulla prytanes ex officio ad populum deferebant, ib. p. 218, et in criminibus vulgo notis etiam sine alicuius indicio aut accusatione populus inquisitionem fieri iussit per *ζητητὰς* aut per Areopagitas. ibid. p. 224.

4) Cap. 3 §. 28, 15.

tinere censerent, id in comitiis proponi curarent [5]). Populus autem accepta huiusmodi delatione nonnunquam ipse iudicis partes suscipiebat [6]), auditisque accusationibus et defensionibus de reo, qui interim in vinculis haberi solebat, suffragium calculis ferebat; quae non unis omnia comitiis peragi potuisse apparet; saepius vero iudicandam causam heliastis demandabat, iisque qua ratione quibusve legibus cognoscerent, damnatoque reo qualem poenam imponerent praescribebat [7]), creatis simul syndicis sive synegoris, qui una cum primario accusatore populi nomine reum in iudicio persequerentur. — Ab his longe divera erat querelarum (*προβολῶν*) ratio [8]), quas qui populo proponebant, nihil aliud quaerebant, quam ut praeiudicium quoddam populi contra adversarium nanciscerentur, quo muniti maiore cum spe successus causam in iudicium deducerent: quandoquidem non facile fore videbatur, ut, quem populus deliquisse censuisset, iudicum sententiis absolveretur. Itaque huiusmodi querelae imprimis contra potentes factiososque adversarios usurpabantur, aut etiam contra magistratus, quos aliter in iudicium ordinarium vocari non potuisse credibile est.

§. XXXV.

Aliqua cum iudiciis similitudo etiam ostracismo intercedit, quamquam non puniebantur eo delicta in rem publicam commissa, sed cavebatur tantummodo ne quid committeretur, neve nimiae

---

5) Pollux VIII, 87. Cf. de comitt. p. 205.

6) De comitt. p. 205—209. Proc. Att. p. 268 sqq. Heffter. p. 225—228. Platner. I p. 372.

7) De comitt. p. 209—217. Heffter. p. 228. Platner. I p. 377 sqq. Nec diversa ratio erat in *μηνύσεσι*, si per *ζητητὰς* delictum exploratum erat, aut si sua sponte populus inquisitionem fieri iusserat. De comitt. p. 219. 221. 224.

8) Vid. supr. §. 33, 12. De comitt. p. 227—239. Heffter. p. 229—233. Platner. I p. 379—386. Proc. Att. p. 271—277.

paucorum opes aequae libertati officerent [1]). Huius arbitrium Athenis penes populum fuisse sua sponte apparet, referuntque gravissimi auctores stato quotannis tempore a prytanibus cum populo agendum fuisse, velletne ostracismum exerceri [2]). Qui autem periculum illud sibi imminere viderent, dissuadere ostracismum aut amoliri a se populi invidiam et suspicionem et in alios potius convertere annitebantur [3]). Stato die cives in forum congregabantur, cancellis circumseptum, relictisque decem aditibus, per quos tributim ingredientes testularum suffragia eius quem exsulare vellent nomine inscripta in sitellas dispositas coniiciebant: custodum ac diribitorum munere cum prytanibus novem archontes fungebantur [4]), nec rata erant suffragia nisi sex millium numerum explerent [5]). Qui exsulare iussi erant, intra decimum diem urbe excedere cogebantur et decem annos patriae abesse [6]), nulla amplius aut poena aut mulcta adiun-

---

1) Plut. Themist. c. 22. Aristid. c 7. Alcib. c. 13. Nic. c. 11. In univ. cf. J. A. Paradys de ostracismo, in Classical Journal ann. 1818 et Meier. in Ersch. et Grub. Encyclop. sect. III tom. 7 p. 177 sqq.

2) Aristot. ap. gramm. incert. in append. Photii Porson. p. 672, 12: *ἐπὶ δὲ τῆς ἕκτης πρυτανείας — (φησὶν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ) καὶ περὶ τῆς ὀστρακοφορίας ἐπιχειροτονίαν δίδοσθαι, εἰ δοκεῖ ἢ μή.* Sed Philochorus ibid. p. 675: *προχειροτονεῖ μὲν ὁ δῆμος πρὸ τῆς ἡ πρυτανείας εἰ δυκεῖ τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν.* Sintenis tamen ad Plut. Pericl. p. 108 de horum tetsimoniorum fide dubitare videtur: nisi forte hoc tantum vult, non quotannis ostracismum a populo iussum esse: quod sane verissimum est, neque aliud inest in Plutarchi verbis Nic. c. 11: *γιγνομένης ὀστρακοφορίας, ἣν εἰώθει διὰ χρόνου τινὸς ὁ δῆμος ποιεῖσθαι.*

3) Vid. de comitt. p. 244. Ad. Droysen. in Museo Rhen. philolog. tom. III p. 199.

4) Philoch. l. l. et all. citt. de comitt. p. 245.

5) Philochorus, si recte verba eius ab epitomatore accepta sunt, haec tradidit: *διαριθμηθέντων δὲ [τῶν ὀστράκων] ὅτῳ [vulg. ὅτε] πλεῖστα γένοιτο καὶ μὴ ἐλάττω ἑξακισχιλίων, τοῦτον ἔδει — μεταστῆναι.* Similiter etiam alii: sed Plutarch. Aristid. l. l. eum, qui plurimis ex universo sex millium numero suffragiis designatus esset, exulem factum scribit.

6) *Τὰ δίκαια δόντα καὶ λαβόντα ὑπὲρ τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἐν δέκα ἡμέραις μεταστῆναι τῆς πόλεως ἔτη δέκα.* Philoch. l. l.

cta. Pro decennio postea quinquennium constitutum est [7]). Haud raro autem ante legitimum tempus revocari a populo solebant [8]), notumque est post Hyperbolum neminem amplius Athenis huiusmodi exilio affectum esse [9]). Etiam alii exules, qui non ostracismo sed iudicio damnati, simulque infamia (*ἀτιμίᾳ*) et bonorum publicatione puniti erant, restitui non poterant, nisi populi iussu [10]); nec alia ulla poena legitime nisi a populo in comitiis remitti aut imminui, nec rogari hac de re populus poterat, nisi venia ante impetrata [11]).

§. XXXVI.

Reliqua paucis commemorare satis est. Primum igitur belli, pacis, foederum varii generis ius et arbitrium penes populum erat. Hinc et creabantur in comitiis legati, et mandata iis populi iussu dabantur, reversique in urbem legationes prius in senatu, deinde ad populum renunciabant, itemque qui ab exteris missi erant prius ad senatum, hinc ad populum producebantur, solebatque his concio in tertia ecclesia legitima dari. De apparando autem bello, de exercitu classibusque instruendis populus decernebat, imperatores quos vellet praeficiebat, hostibus devictis condiciones imponebat [1]). Neque minus pecuniae publicae dispensatio populi scitis praescribebatur, quantum in opera publica, quantum in alias necessitates erogandum esset; deficienteque aerario augendorum aut tributis aut ve-

---

7) Pergit Philochorus: *ὕστερον δὲ ἐγένοντο πέντε.* additque: *καρπούμενον τὰ ἑαυτοῦ, μὴ ἐπιβαίνοντα ἐντὸς Πέρα τοῦ* [scrib. *Γεραιστοῦ*] *Εὐβοίας ἀκρωτηρίου.*

8) Cf. Plut. Pericl. c. 10.

9) De comitt. p. 247.

10) Cf. Meier. de bon. damn. p. 228 sqq.

11) Demosth. in Timocr. p. 714 sq. De comitt. p. 288. Platner. Proc. I p. 443—446.

1) Vid. de comitt. lib. II c. 8 p. 281 sqq.

ctigalibus aut collationibus aliisque modis redituum consilia a senatu aut a privatis proposita populus probabat sciscebatque [2]). Sacrorum etiam et rerum divinarum pars non minima populi scitis regebatur. Nam et de recipiendis in civitatem novis religionibus festisque novis celebrandis in comitiis statuebatur, et violatarum religionum quaestiones populus iubebat, de sacerdotiis instituendis, de creandis quibusdam sacerdotibus ac festorum solemnium curatoribus, denique de parentationum publicarum oratoribus epulique funebris apparatoribus suffragium ferebat [3]). Postremo praemia et honores viris bene meritis, etiamsi alii ab aliis, veluti a senatu, a tribubus, pagis aliisve collegiis dabantur, maximos tamen et amplissimos populus dabat, coronas in theatro aut in concione renunciandas, imagines titulosve honorarios in publicis locis, victum in Prytaneo, immunitatem aliaque similia [4]). Denique civitatem peregrinis impertiri populus tantum suis suffragiis poterat, qua de re quid leges caverint supra expositum est [5]).

---

5. De magistratibus.

§. XXXVII.

Magistratus nomine minus accurate eos omnes significare licebit, quibus ἀρχῶν appellatio ab Atheniensibus tribui solebat, quamquam nonnulli eorum rectius aut curatores (ἐπιμεληταί) aut ministri (ὑπηρέται) dicerentur [1]). Est enim omnino Grae-

2) Ibid. cap. 9 p. 286 sqq.

3) Ibid. cap. 10 p. 297 sqq.

4) Ibid. cap. 12 p. 334 sqq. Add. Westermann. de publicis Atheniensium honoribus ac praemiis commentatio. Lips. 1830. 8.

5) Cap. I §. 18.

1) Vid. Hudtwalcker. de diaetetis p. 32. Add. Aristot. Polit. IV, 12, 3 et quae a nobis dicta sunt de comitt. p. 308 et in Seebod. Biblioth. crit. nov. ann. 1829 mens. Aug. no. 97 p. 385.

corum sermo in his nominibus paullo indiligentior, et Athenis multi sunt, qui cuinam potissimum generi adnumerari debeant non satis liquet. In universum autem magistratus proprie dicendi erunt ii omnes [2]), qui aliquam rei publicae partem eo iure eaque potestate administrant, primum ut suo ipsi consilio atque iudicio agant quod opus sit, neque alienis in ea re imperiis atque mandatis, sed legibus tantummodo populique scitis regantur; deinde ut ipsi aliis praesint et quod quaeque res poscat praescribant atque edicant, eosque qui quid deliquerint, quod ad suam administrationem pertineat, mulctis coerceant aut in iudicium deducant, idque iudicium ipsi moderentur [3]). Curatores autem eos esse dicemus, qui quum et ipsi aliquam rei publicae partem pari cum magistratibus libertate administrent, edicendi tamen et coercendi iudiciique moderandi potestatem non habent [4]). Ministros denique, qui non suo ipsi consilio agunt, sed tantum aliis apparent praestoque sunt ad obsequium, eorumque mandata exsequuntur [5]). Atque hi quidem omnes operae suae et apparitionis mercedem accipiebant [6]), nec raro aut servi erant aut libertini [7]), videnturque ab iis ipsis quibus ap-

---

2) Cf. Aristot. Polit. VII, 4, 7: *ἄρχοντος δ' ἐπίταξις καὶ κρίσις ἔργον.* Add. Cic. de legg. III, 1, 2.

3) Cf. Aeschin. in Ctesiph. p. 419 sq., ubi *ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν* et *δικαστηρίων ἡγεμονίαι* tanquam propria *ταῖς ἀρχαῖς* tribuuntur. De *ἐπιβολαῖς* cf. Meier. Proc. Att. p. 34. add. p. 565 sq. Platner. I p. 309 sqq. et p. 314.

4) Tales sunt, quibus aliqua *πραγματεία κατὰ ψήφισμα* mandata est (Aeschin. l. l. p. 399.) v. c. legati, synegori eorumque similes. Horum nonnulli, et ii quidem *ὅσοι διαχειρίζουσί τι τῶν τῆς πόλεως* h. e. *τῶν δημοσίων χρημάτων* (Aeschin. p. 425), si administratio eorum plus triginta dierum esset, mulctae dicendae potestatem et *ἡγεμονίαν δικαστηρίου* habebant, quamobrem *ταῖς ἀρχαῖς* proprie dictis adnumerantur ab Aeschine l. l. p. 400. 419 sqq. 422. Cf. Boeckh. oecon. r. p. A. II p. 201.

5) Cf. Ullrich de undecimviris p. 257.

6) Cf. Boeckh. l. l. I p. 257. Demosth. de f. leg. p. 419, 24 in Leochar. p. 1081, 23.

7) Demosth. in Androt. p. 615. Add. Ulpian. ad Olynth. II p 25. Petit. Legg. Att. p. 342. Boeckh. I p. 222.

parebant electi esse [8]). Magistratus autem omnes, curatores plerique, gratuito rei publicae inserviebant, erantque cives optimo iure, et aut sorte capiebantur a thesmothetis, aut suffragiis ab universo populo, aut a singulis tribubus populi iussu creabantur [9]). Omnibus porro, antequam munus inirent, examen in senatu aut in iudicio subeundum, exactoque munere rationes reddendae apud logistas et euthynos erant.

§. XXXVIII.

Examine (*δοκιμασίᾳ*) [1]) cavebatur, ne quis indignus parumve idoneus ad honores et munera rei publicae admitteretur: in quo tamen non doctrina aliqua et peritia, sed generis, vitae morumque probitas spectabatur. Nam doctrina et ars in plerisque magistratibus aut non requiri videbatur nisi vulgaris illa et omnibus civibus liberaliter educatis in medio posita, aut si quid supra hanc opus erat ad nonnulla negotiorum genera,

---

8) Pollux VIII, 92. Cf. de comitt. p. 318 et Hermann. de iure magistratuum p. 50 sq.

9) Hinc distinguuntur ab Aeschine l. l. p. 425 *ἄρχοντες κληρωτοί, χειροτονητοὶ* et *αἱρετοί*, quamquam duo postrema nomina promiscue usurpantur. Cf. Boeckh. prooem. ind. lectt. Berol. aest. 1830 p. 6. Hermann. de vestigg. vett. institt. ap. Platonem de legg. p. 40. — Ceterum de sortiendi ratione ac modo cf. Tittmann. p. 309 sq. Peragebatur ea in Thesei templo (Aeschin. l. l. p. 399.) adhibebanturque et *κύαμοι* et *πινάκια* nominibus petitorum inscripta. Duabus urnis positis in alteram tabellae in alteram fabae indebantur: cuius nomen simul cum faba certi coloris exiisset, is pro creato erat. Hinc *κυαμεύειν, ἀπὸ κυάμου λαχεῖν.* Dem. in Timocr. p. 747. Ulpian. p. 239 C. Petit. Legg. Att. p. 303. Sed quod alibi passim factum est, ut e certo numero hominum suffragiis electorum sortito magistratus caperentur, id Athenis non fiebat (cf. de comitt. p. 329) nisi in sacerdotiis quibusdam et in iudicibus Dionysiacis (vid. infr. §. LVI, 6 et 25.) Nam quod Platner. Symbol. p. 87 de novem archontibus idem statuit, hac coniectura non opus est, si Apollinem Patritum Iovemque Penetralem non a solis *γεννηταῖς* cultos esse ponamus. Vid. supr. cap. 2 §. 27.

1) De *δοκιμασίᾳ* magistratuum cf. Platner. Symbol. p. 229. Process. I p. 317 sqq. Heffter. p. 366. Tittmann. p. 320 sqq. Meier. Proc. Att. p. 202 sqq.

haec quum populi suffragiis, non sorte mandarentur, ipse populus non creabat nisi quos satis ab arte et peritia instructos esse confideret [2]. Itaque in examine talia potissimum quaerebantur: num quis deos patrios coleret: num debita parentibus pietatis officia praestaret: num stipendia legitima fecisset: num cetera munera civilia obiisset, aliaque eiusdem generis [3]. Neque eadem erant in omnibus aut omni tempore. Nam census post Aristidis legem non requirebatur nisi in certis quibusdam magistratibus, quibus maiorum pecuniarum administratio adiuncta esset [4]: fundorum in Attico solo possessio liberique legitimo matrimonio procreati in imperatoribus tantummodo et paucis fortasse aliis [5]: antiqua civitas (*ἐκ τριγονίας*) in sacerdotibus novemque archontibus [6]; quamquam hi quoque, ut videtur, Demosthenica aetate ex adscripticiorum liberis esse poterant [7]. Ceterum aetas legitima in omnibus fuisse videtur post trigesimum annum [8]. — De his itaque rebus exa-

---

2) Cf. Isocrat. Areop. c. 8. c. Bergmani not. p. 107. Add. Aristot. Polit. VI, 1, 8: *κληρωτὰς εἶναι τὰς ἀρχὰς ἢ πάσας ἢ ὅσαι μὴ ἐμπειρίας δέονται καὶ τέχνης.*

3) Huc pertinet etiam corporis *ἀφέλεια*. Petit. Legg. Att. p. 323. Ceterum cf. Dinarch. in Aristogit. p. 86 R: *εἰ γονέας εὖ ποιεῖ, εἰ τὰς στρατείας ὑπὲρ τῆς πόλεως ἐστράτευται, εἰ ἱερὰ πατρῷά ἐστιν, εἰ τὰ τέλη τελεῖ.* Ex his quod primo loco commemoratur idem est atque *εἰ τοὺς γονέας μὴ κακοῖ*: et de *γονέων κακώσει* vid. Meier. Proc. Att. p. 288. Petit. p. 241 sqq. *Πατρῷα ἱερὰ* autem pertinent imprimis ad Apollinis Patriti et Iovis Penetralis cultum (vid. cap. 2 §. 27. cf. Polluc. VIII, 85.) neque opus est *ἠρία πατρῷα* scribi cum Valesio ad Harpocr. p. 88. Cf. Wurm. in Dinarch. p. 175 sq.

4) Pollux VIII, 97. — Quod idem §. 85 in thesmothetarum *ἀνακρίσει* ponit etiam *εἰ τὸ τίμημά ἐστιν αὐτοῖς*, pertinet haud dubie ad antiquiora tantum tempora. Cf. de comitt. p. 312. De Isaei loco ibidem commemorato, de Apollod. her. §. 39, ita statuendum videtur, licitum quidem fuisse omnibus magistratus etiam maiores petere, sed hos plerumque tamen non esse nisi ab iis captos, qui censu idoneo v. c. equestri essent, improbatumque vulgo si quis e tenuioribus ad eos aspiraret.

5) Dinarch. in Demosth. p. 51.

6) Pollux VIII, 85.

7) Vid. cap. I §. 18 not. 11.

8) Meier. Proc. Att. p. 204.

men in iudicio[9]) ita instituebatur, ut primum de singulis quaereretur ex ipsis qui magistratum capturi erant[10]): qui ubi respoderant, probationesque, si opus esset, et documenta protulerant, interrogabantur iudices, satisne ipsis omnia probata essent. Si negarent, ille *ἀποδοκιμασθῆναι* dicebatur, succedebatque in eius locum aut subsortitus aliquis aut subrogatus[11]), quibus tamen eandem et ipsis *δοκιμασίαν* subeundam fuisse apparet. Sed poterat etiam quilibet civis in hoc examine accusator existere, illumque qui examinabatur arguere aut falsa respondisse aut propter aliquam caussam, veluti propter malum erga rem publicam animum[12]), aut propter debita aerario non persoluta[13]), aut propter rationes alius magistratus gesti nondum redditas, aut propter alium magistratum eodem anno administrandum, aut propter eundem iam administratum[14]), aut denique propter maleficia ac flagitia[15]) honoribus arcendum esse. Ita res per accusationem et defensionem eodem modo atque ordine quo in aliis caussis iudicialibus peragebatur. Qui reprobati a iudicibus essent, *ἄτιμοι* fiebant[16]).

§. XXXIX.

Rationes ab omnibus, quicumque aliquam rei

---

9) De novem archontibus etiam in senatu. Vid. cap. 3 §. 28, 13.

10) Hoc proprie *ἀνακρίνειν, ἀνάκρισις* dicitur. Demosth. in Eubul. p. 1319, 21. Poll. VIII, 85.

11) De subsortitione vid. Harpocr. in *ἐπιλαχών*.

12) Lys. in Agorat. p. 451.

13) Dem. Leptin. p. 504 §. 135. Cf. supr. c. 1 §. 21 extr.

14) Dem. in Timocr. p. 747. Leptin. p. 503 §. 131. Prooem. demegor. p. 1461, 11. Petit. Legg. Att. p. 336 sq.

15) Huc pertinet e. c. si quis decoxisset, aut si muliebria passus esset, aut scutum in proelio abiecisset. Aeschin. in Timarch. p. 44 sq. et 54 sq.

16) Platner. Proc. I p. 328.

publicae partem administrassent, intra certum tempus referendae erant [1]), imprimis pecuniarum quas expendissent erogassentve, sed fortasse aliarum quoque rerum, quascumque in magistratu vel curatione gessissent [2]). Referebantur autem scripto consignatae [3]) ad logistarum collegium, qui decem erant, e singulis haud dubie tribubus singuli sorte creati [4]). Hi relatas ad se rationes euthynis, qui et ipsi decem erant sorte capti, eorumque viginti assessoribus, ab ipsis, ut arbitror, assumptis, examinandas diligenter excutiendasque tradebant [5]); qui si quid deprehendissent, de quo satisfacere ipsis et se expurgare is qui rationem retulerat non posset, [6]) hoc logistis indicabant,

1) Harpocr. s. v. λογισταί. Poll. VIII, 45. Aeschin. in Ctes. p. 405 sqq. Meier. Proc. Att. p. 216 sqq. Platner. I p. 338. Heffter. p. 374.

2) Ita Platner. p. 342 sq. et Meier. p. 219. Sed ex Aeschine in Ctesiph. p. 414 apparere videtur, rationem, quae vere dici possit, ab iis tantum relatam esse qui pecunias administrassent; reliquos nihil fere nisi hoc retulisse, ὅτι οὔτ᾽ ἔλαβον οὐδὲν τῶν τῆς πόλεως οὔτ᾽ ἀνήλωσαν. Itaque aliarum rerum in magistratu actarum rationem non perscriptam et ad logistas relatam, sed ita demum redditam arbitror, si quis accusator extitisset, cui in iudicio respondendum esset. Cf. not. 4.

3) Hinc λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν. Aeschin. in Ctesiph. p. 403. 408. λόγον ἀπογράφειν. Demosth. in Timoth. p. 1187. 1189. Quid intersit inter λόγον (rationem) et εὐθύνας (quae ad probandam rationem pertinent), docuit Boeckh. in Museo Rhenano ann. 1827. tom. I p. 72 sq.

4) Vid. Harpocr. s. v. λογισταὶ et all. ap. Meier. Proc. Att. p. 100. — Pollucis verba VIII, 45: εὐθύνη δὲ — ἡ μὲν περὶ χρημάτων πρὸς τοὺς εὐθύνας καὶ λογιστάς, ἡ δὲ περὶ ἀδικημάτων πρὸς δικαστάς, confirmare videntur sententiam supra not. 2 propositam. Quod Aeschines ait in Ctesiph. p. 403, λόγον καὶ εὐθύνας ἐγγράφειν πρὸς τὸν γραμματέα καὶ τοὺς λογιστάς, ambigi potest quisnam sit ille γραμματεύς, logistarumne scriba, an alius. Sed haec quaestio, sicut Pollucis VIII, 99 emendatio et interpretatio, longam disputationem postulat, quam hic locus non capit.

5) De euthynis et quomodo a logistis diversi fuerint luculentissime Boeckhius exposuit Mus. Rhen. l. l. p. 72 sqq. De assessoribus (παρέδροις) eorum vid. ib. p. 76—81. Hos ab ipsis lectos esse probabile fit ex comparatione eorum, qui ab archontibus allegebantur.

6) Si probabant rationem, hoc subscriptione indicabant, quod ἐπισημαίνεσθαι dictum videtur. Boeckh. oec. r. p. A. I p. 208.

iique hominem in iudicium deducebant, cuius ipsi praesides erant, accusabat autem unus e decem synegoris, quos ob id ipsum euthyni adiunctos sibi habebant [7]). Poterant autem etiam alii quilibet e civibus accusatores existere: quam ob rem provocabantur statis temporibus a logistarum praecone, ut si quis accusare hunc vel illum propter res in magistratu aut curatione commissas vellet, apud logistas profiteretur [8]). Nemini autem ante redditam confectamque hoc modo rationem nec peregre proficisci licuit, neque alium magistratum capere, neque praemio publice ornari, neque de bonis suis quidquam diis consecrare, neque testamentum facere, neque per adrogationem in aliam familiam transire [9]).

§. XL.

Potestas omnium magistratuum permodica erat tantoque magis circumscripta, quanto populi imperium in maius excreverat. Primum enim publicis consiliis in senatu vel in comitiis magistratus aut plane non intererant, aut si interessent non plus fere poterant, quam quilibet privatus: [1]) deinde in administrandis negotiis, quae cuique attributa erant, non magis legibus adstricti quam populi scitis obnoxii erant, [2]) privatorum plerumque hominum suasu et auctoritate perlatis: subeunda porro in comitiis identidem quasi quaedam populi censura et iudicium, in quo a quolibet accusari, et si videretur multitudini, potestate sua

---

7) Aristot. ap. schol. Aristoph. Vesp. 689. Lex. Seguer. p. 301. Boeckh. l. l. p. 207. de comitt. p. 108.

8) Aeschin. in Ctes. p. 415.

9) Id. ibid. p. 413. 414.

1) In senatu nullas magistratuum partes fuisse satis constat; in comitiis erant quidem aliquando nonnullae, sed eae non ita magni momenti. Cf. c. 4 §. 30, 9. 33, 6. 35, 4.

2) Cf. Arist. Polit. IV, 4, 3. 6. VI, 1, 8.

exui poterant. [3]) Ipsa vero potestas non temporis solum brevissimi, [4]) sed etiam inter plures plerumque pari inter ipsos iure distributa, quo minus per se singuli possent. Erga privatos ius quidem coercendi mulctaeque dicendae, si qui non obtemperaret; sed quum modus mulctae definitus [5]), tum ne huius quidem penes ipsos qui dixerant exactio erat [6]): et poterat qui vellet a magistratu ad iudices provocare [7]), qua re fieri necesse erat ut saepenumero magistratus imperium eluderetur. Non magnam igitur magistratuum apud cives auctoritatem et reverentiam Athenis fuisse nemo mirabitur; quamquam iniurias, etiam verborum, erga eos commissas capitis deminutione (ἀτιμίᾳ) vindicari leges iubebant [8]). Insignia magistratuum et ornamenta nulla commemorantur, praeter coronas myrteas, quas et novem archontes et alii plures in fungendo munere gestabant [9]). Plerisque etiam aedes publicae (ἀρχεῖα) attributae erant, in quibus

---

3) Vid. cap. 4 §. 33, 11. Cf. Lys. in Nicomach. p. 842, ex quo loco apparere videtur, etiam conscriptam rationem quavis prytania a magistratibus, si non omnibus, at plerisque tamen, exhibendam fuisse. Ait enim Lysias: κατὰ πρυτανείαν λόγον ἀναφέρουσι. Cuinam ea ratio exhibita sit quaerere nunc non vacat: coniuncta autem haec questio cum ea est, quam supra §. XXXIX not. 4 tetigi.

4) Erant ordinarii magistratus omnes annui praeter ταμίας. Ceterum cf. Aristot. Polit. V, 8, 3, qui docet antiquitus magistratus πολυχρονίους fuisse.

5) Ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος. Demosth. in Macart. p. 1076: quem locum rectius a Petito Legg. Att. p. 594 et a Meiero Proc. Att. p. 34 acceptum arbitror, quam a Reiskio (Schaef. App. crit. IV p. 132) et ab Hermanno, de vestigg. vett. institt. p. 36.

6) Nam indicari mulctam aut praetoribus aut quaestoribus oportebat, qui eam exigerent. Aeschin. in Timarch. p. 62. Lys. ὑπὲρ τοῦ στρατ. p. 323. Meier. l. l. Cf. et infra §. 44, 2 et c. 6 §. 60, 12.

7) Plutarch. Solon. c. 18. Meier. p. 35. Heffter. p. 418 sqq. Cf. supra §. 8, 10.

8) Dem. in Mid. p. 524, 22 et all. ap. Meier. de bon. damn. p. 129. Lelyveld. de infamia p. 168.

9) Aeschin. in Timarch. p. 44. Lys. in Euandr. p. 793. Demosth. in Mid. p. 524 extr. or. 2 in Aristogit. p. 802. or. in Theocrin. p. 1330, 21. Meurs. Lectt. Att. VI, 6. Corsini F. A. 1 p. 25.

negotia sua administrarent. Initio magistratus εἰσιτήρια sacra faciebant, multaque collegia etiam communes epulas habebant[10]).

§. XLI.

Principem inter magistratus locum obtinebant novem archontes, quorum unus, qui nomen anno dabat, Archon simpliciter[1]), alter Rex, tertius Polemarchus, reliqui sex Thesmothetae[2]) dicebantur. Hi olim summae rei publicae praefuerant[3]); postea vero nihil fere gravioris negotii praeter iuris dictionem retinebant, eamque ipsam ita circumscriptam[4]), ut tantummodo delatas ad se causas examinarent, collectisque quae ab actore et reo afferebantur probationibus et documentis in iudicium deducerent, iudicumque consilio praeessent. Nam pronunciare ipsis sententiam non licuit, nisi quod in levioribus delictis, quum liquere de culpa videretur, mulctas imponere poterant, cum eo tamen, ut provocatio ad iudicium damnatis daretur[5]). Pertinebant autem ad Archontem civium causae eae omnes, quae ex iure personarum, imprimis

---

10) Demosth. de f. leg. p. 400, 24. Cf. Meier. Proc. Att. p. 107 not. 11.

1) Nam ἐπώνυμος dici non solet nisi a scriptoribus non Atticis, praecipue a grammaticis, ut ab aliis magistratibus, qui omnes ἄρχοντες sunt, facilius distinguatur. Extat tamen ἄρχων ἐπώνυμος in inscriptione C. J. no. 353 v. 11.

2) Nonnunquam thesmothetarum nomen de omnibus novem archontibus usurpari Meierus docuit in schedis philolog (Philologische Blätter. Breslau 1817.) Fasc. 1 p. 102. Cf. Boeckh. C. J. 1 p. 440; neque causam esse cur duo thesmothetarum genera distinguantur, contra Tittmannum p. 262. 302 idem Meierus recte monuit Proc. Att. p. 59.

3) Thucyd. 1, 126. Perizon. ad Aelian. V. H. V, 13.

4) Nam olim, ut est apud Suidam s. v. ἄρχων, κύριοι ἦσαν ὥστε τὰς δίκας αὐτοτελεῖς ποιεῖσθαι. Neque collegium eorum ante Solonem fuisse dicitur, sed sua quemque negotia separatim administrasse. Apollodor. ap. Diog. Laert. Solon. lib. 1 §. 58.

5) Cf. legem de archontis potestate ap. Demosth. in Macart. p. 1076.

familiarum et hereditatum manabant [6]): de peregrinis in eodem causarum genere ius dicebatur a Polemarcho [7]): Regis erant eae causae, quae cum iure sacro et religionibus publicis privatisque coniunctae erant [8]): Thesmothetarum denique reliquae omnes, praeterquam si quid aliis magistratibus nominatim attributum esset [9]). Communia autem novem archontibus haec erant [10]): ut animadverterent in capite deminutos, si qui accederent, quo fas ipsis non erat: ut sortirentur quotannis iudices atque arbitros: ut in prima cuiusque prytaniae ecclesia de magistratibus populum rogarent, amovendi an relinquendi viderentur, quosque populus amovisset, si opus esset, in iudicium deducerent: denique ut militarium praefectorum creationi praeessent [11]). Praeterea sacrorum quorundam procuratio tribus superioribus archontibus mandata erat: de quibus nunc accuratius exponere non opus est [12]). Polemarchus, quum antiquitus rei militari una cum strategis praefuisset [13]), postea nihil ex hoc genere nisi publicam eorum qui in bello ceciderant parentationem pro-

6) Meier. Proc. Att. p. 42—45.

7) Id. ib. p. 52—56.

8) Id. ib. p. 47—49. — Animadvertenda autem sunt Pollucis verba VIII, 90: *καὶ τοῖς γένεσι καὶ τοῖς ἱερεῦσι* [ita enim scrib. pro vulg. *ἱεροῖς*, quod Schubert. de aedil. p. 35 frustra defendere conatur] *πᾶσιν αὐτὸς δικάζει*, quae ostendere videntur in gentium et sacerdotum *διαδικασίαις* Regis iurisdictionem latius patuisse, quam in ceteris causis. Cf. et Mueller. in Ephem. litt. Götting. ann. 1827 p. 790.

9) Meier. l. l. p. 60—68.

10) Pollux VIII, 87.

11) His quae a Polluce enumerantur addenda fortasse erit iurisdictio in actionibus legum male rogatarum (*γρ. παρανόμων*), quam ille thesmothetis tribuit, Aeschines autem etiam ad Archontem delatas esse ostendit. Vid. Meier. l. l. p. 41.

12) Pollux VIII, 89. 90. 91. Cf. infr. §.46, 27—30. et de iurisdictione etiam cum hac procuratione coniuncta Meier. p. 46. 50.

13) Id adhuc bello Persico primo ita fuisse Herodotus ostendit VI, 109. 111. Cf. Lex. Seguer. p. 283, 20.

curabat[14]). Ceterum superiores tres archontes binos sibi assessores (*παρέδρους*) quos vellent assumebant, quibus tamen examen (*δοκιμασία*) in senatu et apud iudices pariter ac magistratibus publice constitutis subeundum erat[15]). Thesmothetae si quos adhibebant consiliarios, horum privata tantum opera erat[16]). Sedes Archontis in foro erat prope statuas decem heroum eponymorum: Regis in Bucolio prope Prytaneum aut in porticu regia: Polemarchi ad Lyceum: Thesmothetarum in Thesmothesio, quod haud dubie ad forum erat[17]). Quum magistratum inibant, iurabant in leges[18]): functi magistratu, si bene ac laudabiliter se gessisse iudicarentur, in Areopagum recipiebantur[19]).

§. XLII.

Undecimviri sorte capiebantur[1]) singuli e singulis tribubus, quibus pro undecimo scriba accensebatur[2]). Hi recte a multis comparantur cum Romanorum triumviris capitalibus. Erant enim utrique vindices rerum capitalium custodiamque

14) Pollux VIII, 91. Meier. p. 52 not. 69.

15) Pollux VIII, 92. Meier. p. 57—59.

16) Or. in Theocrin. p. 1330, 14. Meier. p. 58.

17) Vid. locos ap. Meier. p. 42, 21. 47, 61. 62. 52, 70. 60, 89.

18) Cf. Pollux VIII, 86 Suid. s. v. *χρυσῆ εἰκών*. Plat. Phaedr. p. 235. D. Add. Wex. ad Soph. Antig. tom. II. p. 78.

19) Argum. Dem. or. in Androt. p. 588. cf. Demosth. in Timocrat. p. 707, 5. or. 2 in Aristogit. p. 802, 6. Pollux VIII, 118. Meurs. Areopag. c. 5.

1) Lex. Segu. p. 250. Etym. M. s. v. *ἕνδεκα*.

2) Pollux VIII, 102. Negat Meierus Proc. Att. p. 71 Pollucis relationem sibi probabilem videri, undecimvirosque non solum decem tribubus Clistheneis sed etiam Solonis legibus priores fuisse statuit. Ego Pollucem sequi malo. Nam quod Meierus undecimviros in Solonis legibus commemoratos obiicit, hoc argumentum quale sit dudum monuit Sigonius de re publ. Ath. IV, 3 ad fin. Sigonio undecimviri a Themistocle et Aristide instituti videntur propter Heraclidae Pontici locum c. 1 p. 4, qui hoc certe nequaquam testatur. Assentitur tamen Sigonio Ullrichius in dissert. de undecimviris, quam addidit quattuor Platonis dialogis in germ. serm. conversis Berol. 1821. 8.

carceris [3]) habebant. Tradebantur igitur undecimviris qui vinciendi suppliciove afficiendi erant de iudicum sententia [4]), illique poenam per ministros exsequebantur. Denunciabantur apud eos malefici [5]), quorum delicta vinculis aut capite plectenda erant, quos illi, si manifesti ac confessi essent, statim ipsi legitima poena afficiendos curabant, sin minus, in iudicium deducebant [6]). Etiam publicatorum bonorum, si qua a privatis detinerentur, designationes ad undecimviros fiebant, qui ea in publicum redigenda, et si qua de iis controversia moveretur, causam iudicibus cognoscendam traderent, quorum ipsi consessui praeerant [7]). — Astynomi decem erant e tribubus sorte creati [8]). Horum quinque in urbe, quinque in Piraeeo curabant [9]), ne aedium viarumque publicarum securitati aut munditiae officeretur [10]), ne in coetibus multitudinum turbaretur, neve quid ab iis, qui populi voluptatibus inserviebant, mulierculis imprimis, fidicinis, tibicinis aliisque [11]) per lasciviam et petulantiam delinqueretur,

---

3) An „carcerum"? Nam plures Athenis fuisse videntur. Cf. Meier. P. A. p. 73. not. 26. Ullrich. de undecimv. p. 231. — De *δεσμοφυλάκων* nomine vid. eund. p. 72. de *ἀναγκαίῳ* cf. nos ad Isac. p. 493 sq.

4) *παραδιδόναι τοῖς ἕνδεκα.* Vid. Proc. Att. p. 740.

5) *Οἱ κακοῦργοι.* Vid. Ullrich. p. 246. Meier. p. 228 sq. Platner. II. p. 167 sqq. Lelyveld. de infamia p. 64 sqq.

6) Pollux VIII, 102. Lex. Segu. p. 250. Etym. M. s. v. *ἕνδεκα.* De *ἀπαγωγῇ* et *ἐφηγήσει* Meier. p. 227 sqq. et 246. de *ἐνδείξει* 244, 97.

7) Etym. M. l. l. Meier. de bon. damn. p. 209. Proc. Att. p. 77 et 259, 37.

8) Demosth. in Timocr. p. 735, 10. 13.

9) Harpocr. s. v. *ἀστυνόμοι.* — In Blancardi editione perperam quindecim in urbe, quinque in Piraeeo numerantur. Cf. Boeckh. C. J. 1 p. 337. Schubert. de aedil. p. 88.

10) Hinc ab Aristot. ap. Harpocr. l. l. *τῶν κοπρολόγων* curam habuisse dicuntur. Ceterum cf. Plat. Legg. VI, 10 p. 763 et Meier. P. A. p. 94 sq.

11) Arist. l. l. *περί τε τῶν αὐλητρίδων καὶ ψαλτριῶν.*

ne qui in publico versarentur cum indecoro vestitu [12]), aliaque id genus plura [13]). Quamquam non omnis eiusmodi cura solis astynomis mandata erat. Muniendis certe ac reficiendis viis publicis praefectos legimus ὁδοποιούς [14]), aquaeductibus ἐπιστάτας τῶν ὑδάτων [15]), locorum denique publicorum, ne privatis aedificiis occuparentur, etiam Areopagus tutelam gerebat. Eiusdem erat in universum animadvertere quidquid vel in vestitu vel aliis in rebus contra decorum ac bonos mores fieret: ne de gynaeconomis dicam, quorum magistratus haud dubie recentior fuit, aut de sophronistis item recentioribus, qui adolescentum tantummodo mores et gymnasia custodiebant [16]).

§. XLIII.

Foris rerum venalium Agoranomi praepositi erant quinque in urbe totidemque in Piraeeo [1]), tributim haud dubie sortiti. Apud hos institores, tabernarii et quicunque mercibus minutim vendendis quaestum faciebant profitebantur ac, si peregrini essent, vectigal numerabant [2]): merces ab iis inspiciebantur quaeque improbae essent abiiciebantur: fraudes imprimis circa pondera et mensuras coercebantur: denique pro-

---

12) Huc pertinet Diog. Laert. VI, 90 de Cratete: ὑπὸ τῶν Ἀθήνησιν ἀστυνόμων ἐπιτιμηθεὶς ὅτι σινδόνα ἠμφίεστο.

13) Quod ap. Isae. de Cleon. her. §. 14 testamentum apud astynomos depositum legimus, non pertinet sine dubio ad proprium aliquod horum officium, sed poterant testamenta apud quosvis vel magistratus vel privatos deponi. Vid. comm. ad h. l. p. 184.

14) Cf. Aeschin. in Ctesiph. p. 419.

15) De his et de κρηνοφύλαξι cf. Sintenis ad Plutarch. Themist. p. 193.

16) Vid. infr. c. 6 §. 66. c. 10 §. 94. c. 9 §. 85, 1.

1) Harpocr. s. v. Blancardiana editio hic quoque quindecim in urbe quinque in Piraeeo numerat. Vid. §. 42, 9. Schubert. de aedil. p. 106.

2) Meier. Proc. Att. p. 91. Cf. schol. ad Aristoph. Acharn. v. 896. Boeckh. oec. r. p. A. I p. 357.

videbatur, ut in foro et mercatura recte omnia atque ordine agerentur [3]). In simili genere etiam Sitophylacum cura versabatur, qui olim tres, postea quindecim, et decem quidem in urbe, quinque in Piraeeo erant, et dardanariorum ac pistorum quaestui invigilabant [4]): itemque Metronomorum, quorum totidem in urbe et in Piraeeo pondera ac mensuras examinabant et probabant [5]). Negotiationi autem maritimae invigilabant Emporii curatores decem sorte creati, ne quid in mercibus invehendis exportandisve contra leges committeretur ab iis, qui portu Attico utebantur [6]). Atque hi omnes magistratus etiam iuris dictionem exercebant in eiusmodi causis, quae cum cuiusque administratione coniunctae essent, sive delicta erga rem publicam vindicanda, sive controversiae inter privatos dirimendae erant; nisi quod de negotiatorum controversiis (*δίκαις ἐμποριχαῖς*) ius a Nautodicis, post a Thesmothetis dicebatur [7]).

§. XLIV.

Pecuniis rei publicae colligendis, custodiendis, dispensandis multi vel magistratus vel curatores ac ministri operam dabant, alii ordinarii, alii extra ordinem, aut sorte aut suffragiis creati. Ac primum Practores erant sorte creati [1]), de quorum numero non constat. Hi mulctas a magistratibus aut iudicibus impositas, quae quidem in publicum cederent, exigebant [2]), exactasque receptoribus numerabant. Porro Poletae decem, qui et publi-

---

3) Harpocr. s. v. *κατὰ τὴν ἀγοράν.* Petit. Legg. Att. p. 495.

4) De horum numero et negotiis vid. Boeckh. l. l. p. 90. 91

5) Id. ib. p. 52. 53, ubi et de prometretis, metronomorum ministris.

6) Meier. Proc. Att. p. 86. 87.

7) Id. ib. p. 83—86. Cf. infr. cap. 6 §. 50.

1) Lex. Seguer. p. 190, 26.

2) Hinc *ἐγγράφειν* v. *ἐπιγράφειν τοῖς πράκτορσιν* i. q. nomen alicuius practoribus indicare ad mucltam exigendam. Andoc. de

cata bona ac servos poenae vendebant, et vectigalia rei publicae ex auctoritate senatus elocabant [3]): etiam iuris dictionem quandam in eos habuisse videntur, qui debita vectigalia non persolverent [4]). Extraordinarii erant, qui *σύνδικοι, συλλογεῖς* [5]), *ἐκλογεῖς, ἐπιγραφεῖς, ζητηταί* dicuntur [6]). — Quaecunque autem coactae erant publicae pecuniae, recipiebantur in senatu ab Apodectis sive receptoribus decem sorte creatis [7]). His igitur tabulae et indices tradendi erant eorum omnium, qui quid rei publicae deberent, ex quibus eorum qui solvissent nomina expungebant, ac si qua de solutis aut non solutis controversia moveretur, iuris dictionem exercebant [8]). Quas autem receperant pecunias in aerarium rei publicae (*τὸ τῆς διοικήσεως*) numerabant, quod erat in arce in postica cella Parthenonis [9]). Custodiebant ibi pecunias rei publicae decem *ταμίαι τῆς θεοῦ,* una cum sacris Minervae pecuniis [10]); sed dispensationem unus curabat *ταμίας τῆς διοικήσεως* populi suffragiis in qua-

---

myst. p. 36. Aeschin. in Timarch. p. 61. Demosth. in Aristog. I p. 778, 18. in Macart. p. 1074 sq. in Theocr. 1327, 29. 1337, 26. Quae autem mulctae non in publicum cedebant, has non a practoribus exactas esse constat. Proc. Att. p. 743.

3) Harpocr. s. v. *πωληταί* et all. ap. Boeckh. I p. 167.

4) Certe in inquilinos *τὸ μετοίκιον* non solventes. Vid. Meier. de bon. damn. p. 41.

5) Diversi ab his sunt *οἱ συλλογεῖς τοῦ δήμου*, de quibus vid. Schubert. p. 49.

6) Boeckh. I p. 168—170.

7) Harpocr. s. v. qui docet ante Clisthenem Colacretas receptorum munere functos esse. Cf. Boeckh. I p. 171 sqq. et de Colacretis p. 186—188.

8) Pollux VIII, 97: *τούς τε φόρους καὶ τὰς εἰσφορὰς καὶ τὰ τέλη ὑπεδέχοντο, καὶ τὰ περὶ τούτων ἀμφισβητήματα ἐδίκαζον, εἰ δέ τι μεῖζον εἴη, εἰσῆγον εἰς τὸ δικαστήριον.*

9) Boeckh. I p. 175 sq. de *ὁσίοις χρήμασιν* in arce custoditis distinguendisque ab *ἱεροῖς*. De cella postica, *ὀπισθοδόμῳ*, vid. id. Corp. Inscr. I p. 177. Leake p. 281 c. addend. p. 443. — De Hellenotamiis eorumque aerario vid. infr. c. 7 §. 77, 5.

10) Boeckh. oec. r. p. A. l. l.

drіennium creatus[11]). Hic distribuebat quantum cuique vel magistratui vel publicorum operum curatori pecuniae e *διοικήσεως* aerario assignatum esset[12]), — habebant autem horum plerique suas arcas et earum dispensatores vel publice vel ab ipsis constitutos[13]) — alia, quae extra ordinem populi iussu eroganda erant, ipse erogabat[14]), omniumque quae vel recepisset, vel distribuisset, vel ipse erogasset, rationes conficiebat: quo in negotio tanquam custos ei appositus erat contrarotulator (*ἀντιγραφεὺς τῆς διοικήσεως*)[15]). Invigilabat porro non solum iis omnibus, qui in publicis exactionibus occupati erant[16]) — quamobrem etiam iuris dictionem quandam habuisse videtur — sed operibus quoque publicis[17]), quorum sumptus ab ipso erogandi erant, quamquam cura et effectio plerumque aliis mandabatur tributim creatis, quales sunt *ὁδοποιοί, τειχοποιοί, τριηροποιοί, ταφροποιοί*, qui et ipsi iuris dictionem habebant[18]). Ceterum horum negotiorum magna pars aliquando a quaestore *τῆς διοικήσεως* ad eos translata esse dicitur,

---

11) Etiam *ταμίας* v. *ἐπιμελητὴς τῆς κοινῆς προσόδου*. Vid. Boeckh. l. l. p. 177. 181.

12) Hoc probatur iis quae a Boeckhio afferuntur p. 179 et p. 184 in., nec video cur illa distributio ab Hermanno Ant. §. 151, 15 apodectis assignetur. Etiam colacretae, qui post institutos a Clisthene apodectas tantummodo mercedis iudicialis et sumptus publicarum in prytaneo epularum dispensationem habebant, pecunias his rebus destinatas, velut *πρυτανεῖα*, non ipsi recepisse sed a quaestore, *ταμίᾳ*, accepisse videntur. Cf. Boeckh. p. 188 et 180.

13) Publiee constitutos novimus *τοὺς ταμίας τῶν ἱερῶν τριηρῶν*, Parali (Dem. Mid. p. 570) et Salaminiae s. Deliae. Vid. Boeckh. I p. 184. De aliis, veluti *ταμίαις τῶν τριηροποιῶν, τῶν τειχοποιῶν* cf. id. p. 183.

14) Id. ib. p. 185.

15) Id. ib. p. 202. 203.

16) Ib. p. 180.

17) Ib. p. 181.

18) Ib. p. 183. cf. de comitt. p. 374. De horum iuris dictione vid. Aeschin. in Ctesiph. p. 401.

qui theoricis paeerant [19]); quod tamen non diuturnum fuit. — Erant autem praeter publicas pecunias plurimae etiam sacrae in Deorum aerariis repositae. Horum unum et praecipuum Minervae in arce eodem quo illud *τῆς διοικήσεως* aerarium loco a decem quaestoribus (*ταμίαις τῆς θεοῦ*) custoditum [20]): porro deorum reliquorum aeraria, olim in suis quaeque templis asservata, mox in arcem omnia delata decemque item quaestoribus tradita, qui *ταμίαι τῶν θεῶν* vocantur [21]). Hi omnes sorte capiebantur e pentacosiomedimnis [22]), suntque curatoribus potius quam magistratibus adnumerandi, quum praeter pecuniarum rerumque pretiosarum custodiam vix alio ullo munere functi esse videantur [23]).

§. XLV.

Rei militari praeerant Strategi, Taxiarchi, Hipparchi, Phylarchi. Strategi decem quotannis populi suffragiis tributim creabantur [1]), solebantque olim una omnes in bellum proficisci summamque imperii diurnis vicibus administrare [2]): poste-

---

19) Boeckh. l. l. p, 197. Cf. infr. c. 7 §. 69. G. G. Pluygersii (diatr. de Demade. Hag. 1836. 8) opinionem, plane non diversos fuisse theoricorum curatores eosque qui *ἐπὶ τῆς διοικήσεως* dicuntur, satis refutavit Westermannus in Zimmermann. Diurn. antiquar. 1837 no. 26 p. 219. 220.

20) Boeckh. p. 172 sq.

21) Circa Olymp. XC. Semel autem, Ol. CXV, *ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τῶν ἄλλων θεῶν* coniuncti erant, decem numero. Boeckh. p. 173. 174.

22) Ib. p. 175.

23) Unum commemorandum videtur, mulctas magistratuum aut iudicum sententia impositas, si in sacra deorum aeraria numerandae essent, a *ταμίαις* causa cognita remitti potuisse, ipsorum haud dubie periculo. Cf. Lys. pro veterano p. 323. 324. Sed fateor huius orationis auctoritatem mihi suspectam esse.

1) Plutarch. Cimon. c. 8. — Pollux VIII, 87 *στρατηγοὺς ἐξ ἁπάντων* creatos dicit, cogitans nimirum non de solo decem strategorum collegio, sed de iis quoque, qui praeter hos quum opus esset imperatores creabantur, qui multi saepe erant, et in quibus tribuum rationem non habitam esse apparet. Cf. not. 5.

2) Herodot. VI, 109. 110.

ris autem temporibus raro cuncti [3]), plerumque bini aut terni aut paullo plures emittebantur, quorum aut unus reliquis omnibus praeerat, aut pari omnes iure et communi consilio rem gerebant, aut alii terra, alii mari, denique alii in aliis provinciis imperabant [4]). Nec raro fiebat ut extra ordinem imperatores, qui non essent e decem strategorum collegio, exercitibus praeficerentur [5]). Demosthenis autem aetate plerumque bini tantum strategi ad bellum mittebantur, *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων* s. *ὁπλιτῶν* et *ὁ ἐπὶ τῶν ἱππέων* [6]). Reliquos ille queritur otiosos domi degere, pompas cum sacrificulis ducentes [7]).

---

3) Nullum satis certum huius rei exemplum est post pugnam Marathoniam, praeterquam apud Plutarch. Cimon. c. 8.

4) Vid. de comitt. p. 314 not. 15.

5) Extra ordinem apparet Cleonem exercitui praefectum ap. Thucyd. IV, 28 et Demosthenem ib. c. 2. Porro apud Xenoph. Hellen. I, 4, 21 quattuor videmus imperatores emitti, quibus brevi post tempore imperio privatis sufficiuntur decem, cap. 5, 16. Apud Thucyd. I, 57 undecim strategi sunt, moxque cap. 61 eadem aestate quinque alii mittuntur. Possint eiusmodi exempla multa ex historicis afferri, sed quae, ut perspicua omnibus fiant, longiorem disputationem requirunt, quam hic locus non capit. Sed certum est saepissime extraordinarios imperatores exercitibus praefectos aut solos aut cum aliquot ordinariis fuisse: quod si teneas, multae, quae alias inextricabiles videntur difficultates in scriptorum narrationibus et in inscriptionibus facile solvuntur. Cf. et Meier. Proc. Att. p. 106. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 294 et 906. Mueller. in Diar. Gotting. ann. 1828 vol. II p. 1367 sq. Grotefend. de demis p. 26. God. Hermann. progr. indic. certam. erud. ann. 1834 p. 6. Wex. prolegg. ad Soph. Antig. p. 15—21.

6) Demosth. de coron. p. 265. 238. Cf. Lys. in Diogit. p. 894. Ceterum habebant illa aetate Athenienses milites plurimos mercenarios eorumque imperatores peregrinos. Cf. Plat. Ion. p. 45 Nitzsch. cum editoris nota. Meier. P. A. p. 106 not. 10.

7) Philipp. I p. 47. — Commemorantur praeterea *στρατηγὸς ἐπὶ τῆς χώρας*, Plut. Phoc. c. 32, *στρατηγὸς ἐπὶ τὴν χώραν τὴν παραλίαν*, Corp. Inscr. I p. 311 (ex Ol. 123.), *στρατηγὸς ἐπὶ τὴν Μουνυχίαν καὶ τὰ νεώρια κεχειροτονημένος*, Dinarch. in Philocl. p. 92. His accensendum puto Archedemum *τῆς Δεκελείας ἐπιμελούμενον* apud Xenoph. Hell. I, 7, 2. — E locis Demosth. supra not. 6 citatis etiam *στρατηγὸν ἐπὶ τῆς διοικήσεως* fuisse collegimus ego de comitt. p. 314 et Meier. Proc. Att. p. 105 cum Reiskio in Schaef. appar. crit. tom. II p. 172. Alii quaestorem illum designari crediderunt, de quo supra dictum est. Sed quidni militaris aerarii cura uni e strategorum collegio commissa sit, quemadmodum semel *ταμίαν*

— Proximi strategis dignitate erant decem Taxiarchi, tributim et ipsi a populo creati [8]), qui et in bello suae quisque tribus pedites ducerent [9]), in consilio strategis adessent [10]), mandataque eorum exsequerentur, et domi multa cum iis negotia administrarent. Et primum quidem delectum habebant eorum, quibus militandum foret. Horum qui ad gravem armaturam pertinebant, vocabantur *ἐκ τοῦ καταλόγου*, quoniam nomina eorum in indice perscripta erant [11]). Conscribebantur autem ad gravem armaturam e Solonis legibus superiorum tantummodo classium cives: thetes aut plane immunes militia erant [12]), aut, si opus esset, tanquam velites aut classiarii militabant [13]), pariter atque inquilini et volones [14]): quamquam aliquando vel hi ad gravem armaturam [15]), vel superiores illi (*οἱ ἐκ τοῦ καταλόγου*) ad navalem militiam adigebantur [16]). Vacationem senatores ac magistratus [17]),

---

τῶν στρατιωτικῶν commemoratum videmus ap. Pseudoplutarch. vitt. X oratt. p. 842 F.

8) Demosth. Phil. I p. 47. Pollux VIII, 87.

9) Demosth. in Boeot. de nom. p. 999, 12. Aeschin. de f. leg. p. 333.

10) Thucyd. VII, 60.

11) Hemsterhus. ad Lucian. Timon. tom. I p. 425 Bip. Schneider. ad Arist. Polit. V, 2, 8 p. 295. Sturz. Lex. Xenoph. II p. 688. Poppo Thucyd. I, 2 p. 70. Boeckh. II p. 35.

12) Harpocr. s. v. *θῆτες* ex Aristophane.

13) Boeckh. l. l. Etiam remigium e civibus fuisse apparet ex Aristoph. Acharn. v. 162. Equitt. v. 795. Xenoph. de re publ. Ath. I, 2 et 20 imprimisque Isocr. de pace c. 16 extr.

14) Vid. supr. cap. I §. 17, 13. De volonibus cf. Meier. de bon. damn. p. 50. Isocr. de pace l. l. Boeckh. I p. 281. 282.

15) De thetibus vid. Antiphon ap. Harpocr. l. l., de inquilinis Thucyd. II, 13. Cf. Boeckh. I p. 277. II p. 35. Tittmann. p. 655.

16) Thucyd. VIII, 24: *ἐπιβάτας τῶν ὁπλιτῶν ἐκ καταλόγου ἀναγκαστούς*. Errat Tittmann. l. l.

17) De magistratibus hoc probabiliter conlicitur; de senatoribus vid. Lycurg. in Leocr. p. 164.

praeterea publicani et *ἔμποροι*[18]), denique choreutae habebant[19]). Aetas militaris erat ab anno undevigesimo ad sexagesimum[20]): quot quandoque annos nati ad militiam vocarentur, a strategis edicebatur[21]), servata plerumque serie quadam atque ordine certo, ut stipendiorum iustae vices essent[22]); quamquam etiam per vacationum tempora ad subitarias expeditiones, si opus esset, vocari poterant[23]). Habito autem delectu a strategis et taxiarchis[24]) milites in suas quique cohortes, *τάξεις*[25]), et centurias, *λόχους*, describebantur; qua in descriptione non solum tribuum, sed etiam demorum ratio habita esse videtur[26]): de minoribus cohortium partibus non satis constat[27]), nisi quod ad syssitia et contubernia ipsos milites sua voluntate coisse

---

18) De publicanis vid. or. in Neaer. p. 1353, 22. Ulpian. ad Demosth. Midian. p. 208 Meier.; de *ἐμπόροις* intt. ad Aristoph. Plut. v. 904.

19) Demosth. Mid. p. 29. 30 Meier.

20) Taylor. ad Lysiam p. 245 R. Lectt. Lys. p. 313.

21) Harpocr. s. v. *στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις.* Cf. Plut. Phoc. c. 24. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 156.

22) Lys. pro veter. p. 319. Huc pertinet *ἐκ διαδοχῆς* ap. Aeschin. de f. leg. 331.

23) Hae sunt *στρατεῖαι ἐν τοῖς μέρεσιν* apud Aeschinem l. l. quamquam de nominis ratione non satis constat. Vid. ib. intt. et Boeckh. prooem. hib. 1819—20 p. 7. Wachsmuth. II, 1 p. 442. Lelyveld. de infamia p. 96.

24) Delectum modo strategi habere dicuntur, ut ap. Lys. in Alcib. p. 521, modo taxiarchi, ap. eund. pro veter. p. 319. Aristoph. Pac. 1180. 1183. Cf. Pollux VIII, 115: *οἱ μέντοι ταξίαρχοι γεγραμμένους ἔχοντες τοὺς ἐκ τοῦ καταλόγου παρεσημαίνοντο τὰ τῶν ἀφυστερούντων ὀνόματα. καὶ τοῦτο παραστίζειν ἐκαλεῖτο.* Catalogos ipsos a demarchis et senatoribus confectos credo, qui etiam extraordinarios legebant milites et nautas. Vid. Demosth. in Polycl. p. 1208, 5.

25) Lys. in Agorat. p. 501. Pro *τάξει φυλή* dicitur ibid. p. 498.

26) De tribubus et constanti earum ordine vid. Taylor. Lectt. Lys. p. 236. Corp. Inscr. no. 165. 169. 171. 172 cum Boeckhii comm.; de demis cf. nos ad Isae. p. 221. 222.

27) De his earumque nominibus vid. Arrian. Tact. c. 4. Aelian. Tact. c. 9. Pollux I, 127.

comperimus [28]). Ductores ordinum (λοχαγοὺς) et si qui praeter hos praeerant, a strategis et taxiarchis praepositos coniicio [29]). — Iniuncta porro strategis erat etiam classis instruendae cura, quam ob rem munera trierarchis praestanda edicebant [30]), armandas deducendasque naves cum apostoleis et navalium praefectis curabant [31]), de controversiis trierarchorum ius dicebant [32]). Item si quando tributa belli causa indicta essent, horum quoque conferendorum rationem cum diagrapheis s. epigrapheis ordinabant [33]), et si quid litium hac de re ortum esset, iuris dictionem habebant [34]). Ad hoc de militaribus delictis, qualia sunt ἀστρατεία, δειλία, λειποτάξιον, λειποναύτιον, ius dicebant, in quo negotio taxiarchis tanquam administris et assessoribus utebantur [35]). Denique etiam ad comitia populum convocare poterant, si quid de bello decernendum esset [36]), habebantque omnino belli tempore, imprimis si in ipsam Atticam hostes irrupissent, permagnam in omni re publica auctoritatem [37]). In universum autem strategorum honor atque dignitas ceteris magistratibus omnibus illustrior habebatur [38]): neque id mirum, quum et ne-

---

28) Lys. in Agorat. p. 498. cf. ad Isae. p. 278.

29) Id probabile fit ex iis quae de equitum praefectis comperta sunt. Vid. infr. not. 40.

30) Demosth. in Lacrit. p. 940, 16. in Boeot. de nom. p. 997 in. Wolf. prolegg. ad Dem. Lept. p. XCIX et CII.

31) Demosth. in Euerg. p. 1145, 13. 1146, 29. 1147, 1 de coron. p. 262, 18. Pollux VIII, 99. Harpocr. s. v. Ἀποστολεῖς. Lex. Seguer. p. 203. 217. 435. Boeckh. oec. r. p. A. II p. 81. Meier. Proc. Att. p. 112.

32) Meier. l. l. p. 108. 550. 551. cf. infr. c. 8 §. 80 extr.

33) Boeckh. I p. 169. II, 70. Cf. infr. c. 8 §. 78.

34) Meier. Proc. Att. p. 551.

35) Id. ib. p. 363 sq. et 108. 109.

36) Vid. supr. cap. 4 §. 30, 9.

37) Hinc ap. Aristoph. Eccles. Praxagora, muliebris rei publicae princeps, ἡ στρατηγός dicitur, v. 727 sqq. cf. 246.

38) Aristoph. Plut. v. 192. Pac. 440. Aeschin. in Timarch.

gotia administrarent longe gravissima, nec facile quisquam ad hunc honorem eveheretur, nisi qui opibus, gratia, fide apud populum polleret. — Equestrem militiam hipparchi regebant, bini quotannis, hisque adiuncti phylarchi deni, tributim a populo creati[39]): minores equitum praefecti ab hipparchis legebantur[40]). Hi in bello strategorum imperiis parebant, domi autem equitum exercitia moderabantur, pompas solemnes ducebant[41]), emeritos aut minus idoneos exauctorabant aliosque in eorum locum sufficiebant[42]) ex iis, qui propter censum equis merere deberent[43]), quos etiam invitos cogere refragantesque in iudicium vocare poterant[44]). Iuris dictionem num ipsi exercuerint non satis constat[45]).

§. XLVI.

Praeter haec quae adhuc percensuimus magistratuum et negotiorum genera plurimae erant vel minores vel extraordinariae curationes, quas omnes singulatim persequi longum et supervacaneum est[1]). Ex hoc genere ea sunt, quae syn-

---

p. 54. De phylarchorum et hipparchorum dignitate cf. Arist. Avv. v. 799.

39) Pollux VIII, 94. Demosth. Phil. I p. 47 sq.

40) Xenoph. hipparch. 2, 2 sq.

41) Cf. C. F. Hermann, de equitibus Att. (Marburg. 1835. 4) p. 19. Ast. ad Theophrast. char. p. 178.

42) Xenoph. hipparch. I, 2. Diversa igitur fuit equitum a peditibus condicio eo quod illi, semel delecti, non in annum sed tamdiu in turmis equitum manebant, donec exauctorarentur.

43) Cf. Hermann. l. l. p. 14. 15. De eorum *καταστάσει* s. manupretio id. p. 31 sq. et de stipendio Ulpian. ad Demosth. in Timocr. p. 234. De numero et *δοκιμασίᾳ* vid. supr. c. 3 §. 28, 11.

44) Xenoph. l. l. I, 9. 10.

45) Meier. Proc. Att. p. 109. Hermann. l. l. p. 22.

1) Aristot. Polit. VI, 5, 12 magistratuum et curationum genera, quae necessaria sint rei publicae, summatim percensens, *αἱ μὲν οὖν ἀναγκαῖαι ἐπιμέλειαι*, inquit, *εἰσὶν περὶ τούτων, ὡς εἰπεῖν συγκεφαλαιωσαμένους· περί τε τὰ δαιμόνια καὶ τὰ πολεμικὰ καὶ περὶ τὰς προ-*

dicis s. synegoris h. e. patronis rei publicae mandantur, ut aut leges veteres apud nomothetas tueantur atque defendant, aut reos in iudicio persequantur [2]), aut causam populi apud externa iudicia agant [3]). Porro huc pertinent legati, quorum alii negotia rei publicae apud externas civitates administrant [4]), alii sacra solemnia populi nomine concelebrant, qui *θεωροὶ* vocantur [5]), nec magnopere ab his diversi Hieromnemones, ad Pylaicos conventus missi, iisque adiuncti Pylagorae [6]). Deinde quos populus extra ordinem creat inquisitores aut delictorum aut pecuniarum rei publicae debitarum, qui *ζητηταὶ* vocantur [7]). Curatores porro publicorum operum, de quibus supra iam dictum est: curatores annonae, qui *σιτῶναι* vocantur, emptores hostiarum, *βοῶναι* [8]), et si qui sunt id genus alii. Praecipue autem commemorandi sunt qui sacra publica procurant, sive hi sacerdotes sunt, sive magistratus, sive festorum ac ludorum curatores. Sacerdotia alia civibus omnibus, qui quidem avis

---

ὁδοὺς καὶ περὶ τὰ ἀναλισκόμενα καὶ περὶ ἀγορὰν καὶ περὶ τὸ ἄστυ καὶ λιμένας καὶ τὴν χώραν· ἔτι περὶ τὰ δικαστήρια καὶ συναλλαγμάτων ἀναγραφὰς καὶ πράξεις καὶ φυλακὰς καὶ ἀπολογισμούς τε καὶ ἐξετάσεις καὶ πρὸς εὐθύνας τῶν ἀρχόντων καὶ τέλος αἱ περὶ τὸ βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν. Ἴδια δὲ ταῖς σχολαστικωτέραις καὶ μᾶλλον εὐημερούσαις πόλεσιν, ἔτι δὲ φροντιζούσαις εὐκοσμίας, γυναικονομία, νομοφυλακία, παιδονομία, γυμνασιαρχία. Πρὸς δὲ τούτοις περὶ ἀγῶνας ἐπιμέλεια γυμνικοὺς καὶ διονυσιακοὺς καὶ εἴ τινας ἑτέρας συμβαίνει τοιαύτας γενέσθαι θεωρίας.

2) Vid. cap. 4 §. 32 et 34.

3) Vid. exempl. ap. Demosth. de coron. p. 271. 272. Cf. Boeckh. I p. 441.

4) Vid. cap. 4 §. 35.

5) Cf. Wesseling. ad Diodor. tom. VI p. 639 Bip. Spanhem. ad Callim. hymn. in Del. v. 314. Duker. ad Thucyd. III, 104. V, 16. Fischer. ad Plat. Crit. I, 13. Phaed. I, 19. Morus ad Isocr. Panegyr. c. 48.

6) Vid. infr. P. VI c. 3 §. 14.

7) Vid. de comitt. p. 316. Sluiter. lectt. Andoc. p. 55. Meier. de bon. damn. p. 206.

8) De comitt. p. 317. Schubert. de aedil. p. 44.

aut certe patribus civibus procreati [9]) neque capite deminuti essent, alia iis tantum patebant, qui e certis essent gentibus sacerdotalibus [10]). Commune omnibus erat ut capi rite non possent nisi ab iis, qui corpore integri, vita et moribus probi essent, quam ob rem δοκιμασίαν petentium institui necesse erat [11]). Neque nothi ad publica sacerdotia admittebantur: nam parasiti Herculis, e nothis sumpti [12]), non sacerdotes erant, sed sacerdotum administri [13]). Creabantur autem sacerdotes aut sorte aut suffragiis, aut ita coniuncta cum suffragiis sorte, ut legerentur populi aut gentilium suffragiis ii, inter quos deinde sors coniiceretur [14]). Paucorum hereditarium munus aut perpetuum erat [15]); plerique vel in annum, vel in aliquot menses, alii in quadriennium, alii ad certum aetatis terminum creabantur [16]). Munia sacerdotum pleraque in eo constabant, ut suis quique numinibus suisque in templis sacra facerent aut veteribus institutis [17]) aut oraculorum monitu [18]) aut populi iussu praescripta [19]), item ut operam darent si quis privatim rem divinam in

---

9) Vid. or. in Neaer. p. 1376, 10. 1380. 27. 1381, 20. Pollux VIII, 85. Meier. de gentil. Att. p. 30. cf. supr. c. 1 §. 18, 12.

10) De his praeter Meierum l. l. egit C. L. Bossler, de gentibus et familiis Atticae sacerdotalibus. Darmstad. 1832. 4.

11) Ὁλόκληροι, ἀφελεῖς, καθαροί. Hesych. s. v. ἀφελής. Etym. M. p. 176, 20. Petit. Legg. Att. p. 170. Ast. ad Plat. Legg. p. 294.

12) Athenaeus VI, 26. p. 234.

13) Ἱερὰν ὑπηρεσίαν Pollux dicit VI, 35. In universum de parasitis vid. Athen. l. l. p. 235 sq. cum Casaub. comm. Petit. Legg. Att. p. 159 sqq. Schubert de aedil. p. 35. Nomen inde datum, quod cum sacerdotibus vel magistratibus coenabant.

14) Meier. l. l. p. 31.

15) Huc pertinent hierophantes, hierophantis, daduchi, hieroceryx, Eleusinia sacerdos et alii complures. Vid. Meier. p. 32 not. 63.

16) Id. ib. not. 64—67.

17) Cf. Lys. in Nicomach. p. 854. 858.

18) Vid. exempla ap. Demosth. Mid. p. 530. 531.

19) Cf. de comitt. p. 300. 302. 304.

templo faceret[20]), ut donaria aliasque oblationes acciperent suisque locis reponerent, ut aedes sacras tuerentur, denique ut reditus templi colligerent et custodirent[21]): quam ob rem rationes, ut a magistratibus, ita etiam a sacerdotibus quotannis apud logistas et euthynos reddendae erant[22]). Plerisque tamen templis etiam alii praeter illos erant redituum collectores pecuniarumque custodes ac dispensatores[23]). Ipsi autem sacerdotes e templorum reditibus imprimisque e sacrificiis aliisque oblationibus partem suam percipiebant, *τὰ νομιζόμενα*[24]), quae quin satis lauta fuerint in religiosioribus quidem fanis, dubitari non potest[25]). Ceterum publica munera, velut militiae, ut plurimum pariter cum reliquis civibus obibant[26]), et magistratus quoque haud dubie a sacerdotibus capi poterant, sicut rursus etiam magistratus non pauci sacerdotalibus quibusdam muniis fungebantur, veluti ex novem archontibus is, qui *Βασιλεὺς* dicitur, quum universis rei publicae religionibus

20) Aristoph. Plut. v. 1183.

21) Cf. Aristot. Polit. VI, 5, 11, qui docet in minoribus civitatibus eiusmodi curas ipsis sacerdotibus impositas, in maioribus autem a sacerdotio seiunctas fuisse mandatasque *ἱεροποιοῖς, ναοφύλαξιν* aliisque. Tales fuerunt *νεωκόροι*, quamquam horum munus posteris temporibus longe amplius factum est. Vid. van Dale dissertt. ad inscriptt. et marmm. p. 289 sqq. De *ἱεροποιοῖς* Athen. cf. Schubert de aedil. p. 45.

22) Aeschin in Ctesiph. p. 405. 406.

23) *Ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων.* Cf. supra §. 44, 19. Boeckh. I p. 173. Corp. Inscr. no. 76, 13.

24) Aristoph. Plut. v. 1186. c. schol. Thesmoph. v. 768. Schol. ad Vesp. 715 (693). Quae sacerdotes pro sacrificio accipiebant, *ἱερώσυνα* dicebantur de quibus cf. Boeckh. prooem. lectt. aestiv. ann. 1830. recus. in Museo Cantabr. no. V ann. 1833 et ex parte in Bulletino di corrisp. archeol. 1830 p. 218. Add. eiusd. prooem. hibern. ann. 1836.

25) Hinc nonnulla sacerdotia etiam emebantur, quamquam non, ut videtur, Athenis. Vid. Boeckh. prooem. aest. 1830. Sed *διαδικασίαι* de sacerdotiis, utpote quaestuosis, aliquoties commemorantur. Cf. Proc. Att. p. 471.

26) Plutarch. Arist. c. 5.

praeerat, tum augustissimas caeremonias festaque solemnia procurabat, Eleusinia cum epimeletis, Lenaea, lampadum certamina aliaque[27]): Archon Dionysia et Thargelia cum epimeletis[28]): Polemarchus Dianae *ἀγροτέρᾳ* et Enyalio sacra faciebat, Harmodio et Aristogitoni inferias mittebat, publica parentalia iis qui bello ceciderant ordinabat[29]): Strategi Mercurio *ἡγεμονίῳ*, Paci, Ammoni sacrificabant[30]), et sic alii aliis numinibus. Erant praeterea, quorum munus et potestas ad sacra religionesque pertinebat, quum tamen non essent ipsi sacerdotes, velut Peristiarchi[31]), Athlothetae[32]), iudices Dionysiaci[33]) iique qui de iure sa-

---

27) Pollux VIII, 90. Conf. de *βασιλίσσῃ* et de *γεραίραις* or. in Neaer. p. 1369—1371. Appar. crit. tom. V p. 569. De epimeletis Eleusiniorum, Aristot. ap. Harpocr. s. v. *ἐπιμ. τῶν μυστηρίων*, qui quattuor fuisse docet suffragiis creatos, duos ex omnibus civibus, unum ex Eumolpidarum, unum e Cerycum gente.

28) Pollux VIII, 89. — De epimeletis Dionysiorum cf. Demosth. Philipp. I p. 50, 5, ex quo apparet eos sorte creatos esse. Distinguendi autem ab his ii sunt, quos tribules suffragiis creabant, quorum et ipsorum cura ad festa pertinebat, imprimis ad choros instruendos. Demosth. Mid. p. 519, 14. Antiph. de salt. p. 769. Cf. c. 2 §. 23, 4.

29) Pollux VIII, 91. — De parentationibus publicis, *ἐπιταφίοις ἀγῶσι*, cf. Taylor. Lectt. Lys. p. 236 sq. et de publica sepultura in univ. quos laud. Poppo ad Thucyd. II c. 34. 35.

30) Corp. Inscr. no. 157 v. 21. 31. 33. Cf. Boeckh. oecon. r. p. A. II p. 254. 257—259. De Mercurio hegemonio vid. intt. ad Aristoph. Plut. v. 1160.

31) Cf. de comitt. p. 91 plag. G. Schubert. de aedil. p. 51. supr. c. 4 §. 31, 1.

32) Pollux VIII, 93. Demosth. in Boeot. de nom. p. 997, 5. Erant decem numero tributim a novem archontibus sorte capti (Poll. VIII, 87.) curabantque per quadriennium Panathenaeorum ludos musicos, gymnicos et equestres. Cf. Schubert. p. 52 sqq.

33) Hi tributim sorte capiebantur in senatu, certo quodam numero idoneorum in sitellam coniecto. Lys. de vuln. praem. p. 168—170. Isocr. trapezit. c. 17. E decem universis God. Hermannus quinque de tragoediis, quinque de comoediis iudicasse credit, progr. indic. certam. erud. a. 1835 p. 7 (ubi Plutarch. Cim. c. 8 temere sollicitatur.) Probabilius Boeckhius statuit, quum quinque comoediarum iudices commemorentur, hos ex iis quinque tribubus fuisse, quae choros comicos non praebuissent. Cf. Meier. in Ephem. litt. Hal. ann. 1827 no. 123 p. 137: et in universum ubicunque non omnium tribuum chori erant, iudices ex iis tribubus

cro respondebant tres Exegetae[34]), qui etiam prodigia ac διοσημίας interpretabantur[35]). Sed vaticini, augures, haruspices publice constituti Athenis non fuisse videntur, quamquam qui illam artem factitabant saepenumero et adhiberi publice et praemiis ornari solebant[36]).

§. XLVII.

De apparitoribus magistratuum pauca sufficient. Horum honestissimi scribae sunt, quamquam hi quoque ut plurimum aut servi erant rei publicae, aut, si liberi, tamen ex infima plebe. Ceterum nulli non magistratui scriba suus fuisse videtur, sive ab ipso lectus, sive publice constitutus[1]). Praecones quoque non magistratus solum plerique habebant, sed erant etiam senatus quingentorum, senatus Areopagitici, populi praecones[2]): eumque quaestum, quamvis contemptum,

---

fuisse videntur, quae choros non dederant. Apud Lucian. Harm. c. 2 legimus κριτὰς ἑπτὰ ἢ πέντε ἢ ὅσους δή. Sententiam iurati dicebant, Arist. Eccl. v. 1160, poterantque mulctari, si convicti essent contra ius pronuntiasse. Aesch. Ctes. p. 625, ex quo simul disci potest, non tragicorum solum et comicorum, sed aliorum quoque chororum hos iudices fuisse, velut ἀνδρῶν αὐλητῶν. Demost. Mid. p. 520. Num apud logistas in ius vocati sint, nescio: qui hoc ex Eupolidis versibus ap. Harpocr. s. v. λογισταὶ concludi posse credidit, vereor ut locum recte intellexerit.

34) Vid. qu. cit. ad Isae. p. 398. Add. Meier. de bon. damn. praef. p. VII. Mueller. ad Aeschyl. Eum. p. 162. Alii erant ἐξηγηταὶ ἐξ Εὐμολπιδῶν Pseudoplut. vitt. X oratt. p. 843 B. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 443. 444; alios etiam e Phytalidis fuisse Meierus credit de gentil. Att. p. 32.

35) Pollux VIII, 124 ibiq. Hemsterhus.

36) Cf. schol. Aristoph. Nubb. v. 331. Avv. v. 521. 588, et de auspiciorum observatione Avv. 717. Spanhem. ad Callim. hymn. in Pall. v. 174. De χρησμολόγοις cf. Lobeck. Aglaoph. p. 978.

1) Cf. de comitt. p. 318. Senatus populique scribas et duos contrascriptores, de quibus supra dictum est, ex horum apparitorum numero eximendos esse sua sponte apparet. Scribam archontum Pollux VIII, 92 ab ipsis lectum sed in iudicio probandum fuisse memorat.

2) De praeconibus in univ. cf. Meier. de gentil. Att. p. 42. 43. Κῆρυξ ἄρχοντος commemoratur Corp. Inscr. no. 181, 17. 182,

etiam cives pauperiores non dedignabantur [3]). Alia ministeria sunt eorum, qui *παραστάται, βασανισταί, θυρωροὶ* dicuntur [4]), qui omnes communi *δημοσίων (ὑπηρετῶν)* nomine designari solent [5]), servilis condicionis. In iudiciis unus erat *ἐφύδωρ*, qui clepsydram custodiebat [6]). Alios commemorare nihil attinet.

---

6. De iudiciis.

§. XLVIII.

Iudiciis aut controversiae secundum legis normam dirimendae, aut quae contra leges commissa sunt vindicanda permittuntur, ex quo apparet nullam esse rei publicae partem, quae non possit aliquando iudiciorum potestati obnoxia fieri. Quidquid enim aliquis sive privatus sive magistratus sive in senatu sive in comitiis egerit, si contra leges actum arguatur, accusari apud iudices eorumque sententia aut damnari et rescindi aut comprobari et confirmari potest [1]), ut recte iudices ipsis magistratibus, senatui, comitiis praepositi esse dicantur. Iam vero quum leges, quas observari

---

9. *Κῆρυξ βουλῆς* no. 485. *K. τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου.* no. 115, 8. *K. τῆς βουλῆς ἐξ Ἀρείου πάγου* no. 180, 12. 181, 15, quem Boeckh. p. 447 ex hierocerycum gente fuisse censet. Cf. Meier. p. 43. Item praecones illi senatus quingentorum et senatus ac populi in inscriptionibus, quarum vetustissima no. 115 certe post Ol. 123 scripta est, haud dubie non vilioribus apparitoribus accensendi sunt, quum in catalogis etiam ante scribam rei publ. commemorentur. Cf. Boeckh. p. 326.

3) Theophr. char. c. 6 p. 10 ed. Ast. Demosth. in Leoch. p. 1081, 23.

4) Lex. Seguer. p. 296, 32. Phot. p. 391, 5 Pors. Hesych. s. v. *βασανιστής*. Plat. Phaed. p. 59 E.

5) Pollux VIII, 131. Ad hoc genus etiam Scythae (Speusinii, *τοξόται*) pertinent, de quibus supra dictum est.

6) Vid. Proc. Att. p. 716. cf. Plut. proverb. Alex. no. 117.

1) Cf. quae supra de magistratuum *εὐθύναις*, de *εἰσαγγελίαις* et de *γραφῇ παρανόμων* dicta sunt.

in iudicando oportet, ita scribi non possint, ut de omnibus quae quandoque inciderint certam iudicii normam et regulam praescribant, fieri saepenumero necesse est, ut quod legibus desit iudicum consilio et arbitrio suppleatur: idque Athenis eo magis eveniebat, quod et leges a Solone aliisque ambigue passim et perplexe scriptae erant [2]), et iudicum potestas nulla alia re praeterquam iuris iurandi religione coercebatur [3]). Neque id malo publico, si religio, probitas, prudentia in iudicum animis habitabant, quae sane meliores sunt iuris custodes, quam legum litterae; sed ubi corruptis civitatis moribus lubido malaeque artes gliscere coeperunt, his fieri non poterat quin iudicia quoque corrumperentur et in condemnandis absolvendisve reis cupiditas, largitio, ira, misericordia, gratia, invidia plus plerumque quam iustitia et veritas valerent [4]).

§. XLIX.

Iudicandi munus in populari civitate non magistratibus neque uni alicui civium ordini, exclusis ceteris, mandari convenit, sed pariter est ab omnibus nullo census aut generis discrimine administrandum: quod quum fieri ab universis aut nunquam aut rarissime tantum et in gravissimis causis possit, necesse est ex omni multitudine aliquot viros seligi, qui quoque tempore iudices fiant et populi quodammodo personam sustineant [1]). Hoc Athe-

---

2) Plut. Solon. c. 18: *λέγεται δέ καὶ τοὺς νόμους ἀσαφέστερον γράψας καὶ πολλὰς ἀντιλήψεις ἔχοντας αὐξῆσαι τὴν τῶν δικαστηρίων ἰσχύν. μὴ δυναμένους γὰρ ὑπὸ τῶν νόμων διαλυθῆναι περὶ ὧν διεφέροντο, συνέβαινεν ἀεὶ δεῖσθαι δικαστῶν καὶ πᾶν ἄγειν ἀμφισβήτημα πρὸς ἐκείνους, τῶν νόμων τρόπον τινὰ κυριεύοντας.* Cf. Lobeck. Aglaopham. p 163. — In iure iurando iudicum erat: *περὶ μὲν ὧν νόμοι εἰσί, κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι, περὶ ὧν δὲ μή εἰσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ.* Demosth. in Aristocr. p. 625, 25. in Boeot. p. 1006, 26. in Eubul. p. 1318, 25.

3) *Ἀνυπεύθυνοι* iudices dicuntur ab Aristoph. Vesp. 607.

4) E multis ipsorum Atheniensium testimoniis satis est duos Xenophontis locos commemorare, Memm. IV, 8. 5. Apolog. c. 4.

1) Cf. Platner. Proc. I p. 25. Hinc saepenumero iudices ab

nis per sortitionem fiebat, quum sexies mille quotannis cives ex iis qui statu integro et triginta annis haud minores essent [2]) sorte caperentur, qui *δικασταὶ* s. Heliastae dicebantur [3]) causasque plurimas et gravissimas iudicabant. Longe diversi ab his Heliastis Ephetae erant et Areopagitae, de quibus suo loco dicemus: porro Diaetetae, quadraginta viri qui *κατὰ δήμους δικασταὶ* dicuntur, et aliquando etiam, ut videtur, Nautodicae.

§. L.

Heliastarum annuam sortitionem [1]) novem archontes cum scriba suo ita peragebant, ut ex omni numero eorum qui ad sortiendum convenissent, sexies mille, e singulis tribubus sexcentenos, sorte ducerent: horum dein quinque millia in decem decurias describebantur virorum quingenorum [2]), qui supererant mille homines supplendis si opus esset, decuriis inserviebant. Omnes autem iure iurando adigebantur [3]) accipiebantque tabel-

---

oratoribus ita appellantur ut qui sint populi instar. Vid. Tittmann. p. 217. nos ad Isae. p. 277.

2) Pollux VIII, 122. Cf. Dem. in Timocr. p. 716, 11.

3) Cf. dissertationem nostram de sortitione iudicum (Gryph. 1820. 8.) p. 35 sqq.

1) Omnem de sortitione iudicum quaestionem quam potui accuratissime tractavi in dissertatione supra commemorata, assenseruntque mihi in summa rerum omnes qui postea de eodem argumento scripserunt, (Heffter. p. 51 sq. Platner. I p. 71. Wachsmuth. II, 1 p. 314. Hermann. §. 134.) praeter unum hominem vanum et petulantem, cui quantum satis erat responsum est in Annal. critt. Berol. ann. 1835 no. 63 sq.

2) Has decurias *δικαστήρια* dici demonstravi diss. cit. p. 22 e Poll. VIII, 124. Harpocr. s. v. *ἡλιαία* et Demosth. in Timocr. p. 702, 24. Grammaticorum nonnulli eas *φυλὰς* dixerunt, quasi tributim iudices pariter ac senatores descripti fuerint. Lex. Segu. p. 262, 10. schol. Arist. Plut. tertius v. 277. Sed hoc neque per se probabile est, neque a quoquam idoneo teste traditur, neque conciliari potest cum Aristoph. Plut. v. 1167.

3) Hoc ex parte servatum extat ap. Demosth. in Timocr. p. 746. Cf. Proc. Att. p. 127. Iurasse iudices olim in Ardetto veteres testantur (vid. Dissert. p. 4.) unde probabile fit ibidem etiam sortitos esse.

las nominibus suis inscriptas, praeterea gorgoneo, noctuarum signis et eius cui adscripti erant decuriae littera insignitas [4]). Jam vero quoties iudicia habenda essent, id quod edicebatur a thesmothetis [5]), conveniebant omnes in foro [6]) ibique sortes a thesmothetis coniiciebantur, in quonam quique loco s. dicasterio, quibus sub magistratibus eo die iudicarent [7]). Solebant autem pro causarum diversitate aut singulae in uno dicasterio decuriae, aut plures coniunctae, aut partes tantum decuriarum, velut ducenti et unus, quadringenti et unus, aut denique aliquot supra unam decuriam iudices esse, semperque quantum fieri poterat cavebatur, ne par esset iudicum numerus [8]). In duobus vero causarum generibus, quum aut de violatis mysteriis aut de militaribus delictis iudicandum erat, non poterant iudices fieri nisi aut initiati aut qui una cum reo militassent: quam ob rem hoc genus homines, quot opus erat, seligi ex decuriis, quae sortitae essent, oportebat [9]). Peracta autem sortitione scipiones iudicibus dabantur colore ac littera insigniti iisdem quibus ea, in quibus illo die iudicaturi essent, dicasteria: nam

4) Litteras decuriis suam cuique datam esse schol. 3 ad Arist. Plut. 277 diserte testatur, idque comprobat Aristophanes ipse Plut. v. 277 et 1168, ubi ipsae decuriae *γράμματα* dicuntur. Ceterum tabellae quales descripsi aeneae adhuc extant (vid. Corp. Inscr. no. 207. 208.) quas nescio cur Dobreus in add. ad Plut. Dindorf. tom. VII, 1 p. 87 senatorum tabellas credat, quarum nulla quod sciam apud veteres mentio fit.

5) Pollux VIII, 87.

6) Schol. 2 Arist. Plut. v. 277: *ὅτε συνέβαινε καιρὸς τοῦ δικάζειν ἤρχοντο πάντες οἱ δικασταὶ εἰς τὴν ἀγοράν*. Cf. Proc. Att. p. 134.

7) Hinc thesmothetae dicuntur *κληροῦν* s. *ἐπικληροῦν τοῖς ἄρχουσι τὰ δικαστήρια*. Poll. VIII, 87. Cf. Dem. in Pantaen. p. 978, 5. in Euerg. p. 1144, 6. Add. Poll, VIII, 123. In his quae *δικαστήρια* dicuntur, non loca sed iudices i. e. iudicum decurias esse sua sponte apparet. Loca non sorte assignabantur, sed certa erant certis causarum generibus certisque magistratibus destinata.

8) Cf. Proc. Att. p. 138.

9) De sort. iud. p. 29—32. Proc. Att. p. 133. Platner. I p. 204 Hermann. de vestigg. vett. institt. p. 61.

horum quoque suam quodque litteram suumque colorem habebat [10]). Ingredientes dicasterium tesseram (σύμβολον) accipiebant [11]), quam post peractum iudicium colacretis traderent, mercedis iudicialis dispensatoribus.

§. LI.

Diaetetae [1]) aut quadraginta quotannis aut fortasse quadringenti et quadraginta sorte capiebantur [2]). A quonam capti sint nescimus: tributim captos esse constat, ut quaterni aut etiam quadrageni et quaterni ex una quaque tribu essent. Iure iurando, pariter ut heliastas, adactos esse dubitari non potest [3]). Aetas legitima erat a quinquagesimo aut sexagesimo anno [4]). Iudicabant de causis privatis, quas litigantibus ad eorum cognitionem deferre placuisset [5]): nam poterant, si

---

10) De sort. iud. p. 13—15. Num ius iurandum etiam dederint ante quodvis iudicium non satis constat. Vid. Proc. Att. p. 135.

11) De sort. iud. p. 11.

12) De his vid. Boeckh. oecon. A. 1 p. 187: de mercede iudicum cf. supra §. 11.

1) Loquimur h. l. de publicis tantum diaetetis: erant enim etiam privati, h. e. arbitri compromissarii, a litigantibus ex conventione sumpti, quorum sententia se staturos spoponderunt, ut nulla esset appellatio. De utroque genere vid. M. A. Hudtwalcker, über die öffentlichen und Privat-Schiedsrichter-Diaeteten in Athen. Jena 1812. 8.

2) Ulpian. ad Dem. Mid. p. 113 Meier.: ἦσαν γὰρ οἱ διαιτηταὶ τέσσαρες καὶ τεσσαράκοντα καθ' ἑκάστην φυλήν. ubi Herald. coni. τεσσαράκοντα, τέσσαρες καθ' ἑκάστην φυλήν, probantibus Hudtw. p. 4 et Meiero.

3) Vid. Hudtwalck. p. 8—11. Dubitavit tamen Hermann. §. 145, 20.

4) Quinquagesimum Suidas tradit s. v. διαιτ. et Lex. Segu. p. 186, 1., sexagesimum Pollux VIII, 126. Hesych. s. v. et Lex. Segu. p. 235.

5) Hudtwalck. p. 34. nos ad Isae. p. 479. Peregrinorum causas excipit Lex. Segu. p. 310, 17: οἱ διαιτηταὶ πᾶσαν δίκην δικάζουσι πλὴν τῶν ξενικῶν. Sed cf. Poll. VIII, 91 et Hudtw. p. 39. In civium causis diaeteta a magistratibus dabatur semper e tribu eius unde petebatur (Hudtw. p. 72.); hinc ap. Lys. in Pancl. p.

mallent, omissis diaetetis statim heliastas iudices postulare: poterant etiam ab illorum sententia ad heliastas provocare [6]). Mercedem diaetetae non accipiebant, sed sportulas tantummodo sive sacramenta litigantium, quae *παραστάσεις* dicebantur [7]). Exacto muneris anno accusari apud logistas poterant, si quid contra ius legesque commisisse viderentur [8]). Ea accusatio *εἰσαγγελία* dicebatur, qua qui convicti essent, *ἄτιμοι* fiebant [9]). — Quadraginta viri sorte creati [10]) pagos Atticae circuibant, diiudicabantque causas privatas iniuriarum (*αἰκίας*), de vi (*βιαίων*) aliasque minores, quarum aestimatio decem drachmarum summam non excederet: maiores enim ad urbana iudicia reiiciendae erant. Ante Euclidem triginta fuerant; postea decem additi, odio, ut fertur, illius numeri, propter triginta tyrannos. Ceterum diversa eorum condicio ab aliis eo erat, quod non solum iudicabant causas, sed etiam quae alias magistratuum partes esse solebant, ut nomen acciperent litemque apud se instruendam curarent, haec illi ipsi peragebant, quam ob rem non immerito etiam magistratibus adnumerari possunt [11]). Non absi-

---

731 diaetetae dicuntur *οἱ τῇ Ἱπποθοωντίδι δικάζοντες*. Erant autem plerumque singuli aut bini cuiusque causae iudices.

6) Hudtw. p. 33 et 120 sqq. Provocatio quam frequens fuerit docet Dem. in Boeot. p. 1017, 27.

7) Pollux VIII, 39. 127, qui docet drachmam unam ab actore solvendam fuisse, alteram *ὑπὲρ τῆς ἀντωμοσίας*, h. e. ni fallor a reo. Totidem *καθ' ἑκάστην ὑπωμοσίαν* addit Harpocr. s. v. *παράστασις* e Demetrio.

8) Meier. de bon. damn. p. 129. 236. Proc. Att. p. 223.

9) Hudtwalck. p. 19—33.

10) Meier. Proc. Att. p. 78—82. Platner. II p. 182 sq. Schubert. de aedil. p. 96 sq. Müller. in Ephemer. litt. Götting. ann. 1827. p. 791.

11) Quemadmodum a Meiero factum est l. l. p. 79. Accedit quod etiam pariter ut magistratus rationem ad logistas referebant accusarique apud eos in euthynis poterant: quamquam hoc quidem etiam diaetetis cum magistratibus commune fuit. Sed diver-

milis etiam Nautodicarum condicio fuisse videtur, qui aliquando, sed ante Demosthenis aetatem, de controversiis negotiatorum (*δίκαις ἐμπορικαῖς*) et de peregrinitate iudicia exercebant [12]). Et in illis quidem, quae privatae erant, etiam iudices nautodicae ipsi fuisse videntur [13]); peregrinitatis accusationes, quae publicae erant, in iudicium heliasticum haud dubie deducebant [14]). Quot fuerint, nescimus; sortitos quotannis fuisse certum est [15]).

§. LII.

Dicasteria sive loca iudiciorum Athenis plurima fuisse satis constat [1]); de numero testem nullum habemus, cui quidem fides haberi possit [2]). Nobilissimum omnium Heliaea fuit, cuius nomen quum primitiva significatione commune sit omneque multitudinis conciliabulum denotet [3]), postea unius praecipui iudicii proprium factum est. Alia a situ appellata sunt, velut quod ab Areopago

---

sam tamen ab his horumque eutbynis XLvirorum rationem fuisse facile potest e Demosth. in Timocr. p. 735, 10 probari.

12) Meier. Proc. Att. p. 83—86. Schubert. l. l. p. 80. Cf. Seebod. Bibl. crit. nov. ann. 1829 vol. 2 no. 97.

13) Certe apud Lysiam *π. δημ. ἀδικ.* p. 593 est: *οἱ ναυτοδίκαι — οὐκ ἐξεδίκασαν.* quamquam potuit hoc etiam de *ἡγεμόσι τοῦ δικαστηρίου* dici.

14) Pollux VIII, 126: *οἱ δὲ ναυτοδίκαι ἦσαν οἱ τάς τῆς ξενίας δίκας εἰσάγοντες.* Ita et Phot. p. 289, 24.

15) Et mense quidem Gamelione. Lys. l. l. p. 593. Fuit qui opinaretur *δίκας ἐμπορικὰς* non nisi hoc ipso mense tractatas esse: sed vid. Meier. l. l. p. 579.

1) Cf. Proc. Att. p. 141.

2) Nam qui de decem dicasteriis fabulantur, velut schol. ad Arist. Plut. 277, ambigua vocis *δικαστήριον* significatione in errorem inducti sunt, loca iudicii significari putantes ubi iudicum decuriae intelligendae erant Vid. de sort iud. p. 6 sq. et 11.

3) Vid. de sort. iud. p. 35 sq. Tittmann. p. 215 sqq. — *Ἡλιαία* v. *ἁλιαία* etiam Argis fuit, ut testatur schol. Eurip. Orest. v. 859 Matth.: *ἔνθα ἡ δίκη συνήχθη* (loquitur de Danao propter interemptos Aegypti filios in ius vocato.) *περὶ τὴν μεγίστην ἄκραν, ἔνθα καὶ Ἴναχος ἀλίσας τὸν λαὸν συνεβούλευσεν οἰκίζειν τὸ πεδίον.*

nomen habet, eaque quae ad Palladium, ad Delphinium, ad Prytaneum, in Phreatto vocantur: item ad Lycum [4]), porro Parabystum, in quo undecimviri iudicia exercuisse dicuntur, et Medium (*Μέσον*), quod Parabysto vicinum, mediumque inter hoc et aliud dicasterium fuisse videtur, cui *Μεῖζον* nomen. Fuit etiam Novum (*Καινόν*), fuerunt a colore dicta *Βατραχιοῦν* et *Φοινικιοῦν*, fuerunt a forma, ut *Τρίγωνον*, aut a conditoribus *τὸ Μητίχου, τὸ Κάλλιον* [5]). Plurima ad forum fuisse credibile est [6]): erant tamen etiam in aliis urbis partibus. Neque in his solum, quae proprie dicasteria erant, iudicum consessus agi solebant, sed etiam aliis locis commodis, velut in odeo, in porticu regia. Ceterum pauca ex his uni alicui iudicum generi propria erant, velut in Areopago non sedebant nisi Areopagitae, ad Prytaneum et in Phreatto vix alii quam Ephetae; in reliquis praecipue quidem heliastae, sed tamen praeter hos haud dubie etiam alii iudicabant [7]).

§. LIII.

Ordinem iudiciorum expositiuris ante omnia de variis actionum generibus dicendum est [1]). Harum summa divisio est in publicas et privatas. Publicae sunt, quae in delictis publicis persequendis versantur: delicta autem publica habentur ea, quibus aut nullus privatim, sed ipsa res publica laesa videtur, aut, etiamsi privatus aliquis laesus sit, tamen non id solum spectatur, quatenus in

---

4) De sort. iud. p. 41 sq. Proc. Att. p. 146.

5) Vid. Seebod. Bibl. crit. ann. 1826. no. 8. p. 805. De ceteris cf. de sort. iud. p. 33 sqq.

6) Cf. Proc. Att. p. 147.

7) In ipsa Heliaea diaetetas iudicasse videmus e Demosth. in Euerg. p. 1142.

1) Cf. impr. Meier. Proc. Att. p. 160 sqq. nos de comitt. p. 107. Heffter. p. 111 sqq. Platner. II p. 1—9.

illum, verum quatenus in leges et in commune civium ius et commodum peccatum sit [2]). Id genus quam late pateat, quamque difficile certis finibus comprehendi possit, satis apparet, multaque pro moribus et condicione civitatum aliter alibi tractare conveniet. Apud Athenienses vero vix ullum erat paullo gravius delictorum genus, quod non publica accusatione vindicari posset [3]), atque in multis liberum erat accusatori, utrum publica an privata actione uti mallet [4]). Erant autem publicis actionibus haec omnibus communia, ut a quovis cive, cuius quidem ius civitatis integrum esset, intendi possent, etiam si ad ipsum iniuria propius non pertineret [5]), deinde ut poenales essent, et, si ad mulctam reus condemnaretur, haec non accusatori sed rei publicae cederet [6]), denique ut accusatori aut institutam actionem deserenti aut causa cadenti, neque quintam saltem suffragiorum partem ferenti, poena constituta esset mille drachmarum, simulque illud *ἀτιμίας* genus, ut non liceret in posterum eodem quam quo nunc usus erat actionis genere quem-

---

2) Hinc *γραφαί*, quae publicae actiones sunt, tamen aliae *δημόσιαι* dicuntur (Dem. in Timocr. p. 701, 21) aliae *ἴδιαι* (Dem. in Mid. p. 529, 23): et sunt *ἴδιαι* quibus quis privatam iniuriam tanquam publicam vindicat.

3) Cf. Dem. Mid. p. 528. 20: *πάνθ' ὅσα τις βιαζόμενος πράττει κοινὰ ἀδικήματα καὶ κατὰ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος ὄντων ἡγεῖτο ὁ νομοθέτης.*

4) Velut in furto et iniuriis quae dicuntur realibus. Dem. Androt. p. 601.

5) Hinc frequens in legibus formula: *γραφέσθω Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος οἷς ἔξεστι.* Vid. Proc. Att. p. 564.

6) Nonnunquam tamen pars mulctae accusatori pro praemio dabatur, ut in *φάσει*. or. in Theocr. p. 1325, 25. Dem in Macart. p. 1064, 25. cf. Heffter. p. 188. In *ἀπογραφῇ* publicatorum bonorum partem accusator accipiebat. Dem in Nicostr. p. 1247 in. item in illis contra peregrinos actionibus, quarum mentio fit in or. ctr. Neaer. p. 1350, 21. 1363. 6.

quemquam persequi [7], quippe quum aut prodidisse rei publicae causam, aut iure accusandi temere abusus esse videretur.

§. LIV.

Genera publicarum actionum sunt *γραφή, φάσις, ἀπογραφή, ἔνδειξις, ἀπαγωγή, ἐφήγησις, δοκιμασία, εὐθύνη, εἰσαγγελία*. Ex his *γραφῆς* nomen generale est diciturque primum de libello accusatoris, dein de ipsa actione, quaecunque non unum ex reliquis nominibus proprium habet: quamquam vel harum nonnullas interdum generali *γραφῶν* nomine appellatas invenimus [1]. *Φάσις* autem [2]) erat delatio eorum, qui in mercibus importandis leges migraverant, circa portoria aut circa metalla fraudem commiserant, bonorum publicorum possessionem sine iusto titulo usurpaverant, oleas contra fas exciderant, denique tuto·um, qui in administrandis pupillorum bonis perfidiose et negligenter egerant [3]. Proprium huic actioni hoc praecipue fuit, quod accusator, si vicisset, partem eius pecuniae, in quam reus condemnatus erat, pro praemio accipiebat [4]; sin victus esset, neque quintam suffragiorum partem tulisset, sexta aestimationis parte

---

7) Vid. Proc. Att. p. 702 sq. et 734 sq., ubi tamen de loco Dem. pr. coron. p. 261, 20 non recte iudicavi. Dicitur ibi is qui causa ceciderat *ἀποτῖσαι τὰς πεντακοσίας δραχμάς:* nempe dimidiam partem poenae statim persolvit, alteram partem adhuc debebat. Legitimus est articuli usus in tali partium designatione.

1) Cf. de comitt. p. 179. Proc. Att. p. 162.

2) Scilicet quae proprie ita dicitur: nam minus proprie *φάσις* in universum est *μήνυσις τῶν λανθανόντων ἀδικημάτων*. Pollux VIII, 47. Sluiter lectt. Andoc. p. 185.

3) De comitt. p. 177. Proc. Att. p. 247 sqq. Heffter. p. 186. Platner. II p. 9 sqq.

4) Quod Pollux VIII, 48 ait, *τὸ τιμηθὲν ἐγίγνετο τῶν ἀδικουμένων εἰ καί τις ἄλλος ὑπὲρ αὐτῶν φήνειεν,* de eo tantum genere *φάσεως* verum credo, quae pro pupillis institutae erant: et in his quoque nihil obstat quo minus partem mulctae actori cessisse credamus.

mulctabatur [5]). Ἀπογραφὴ proprie dicebatur designatio bonorum, quae quis aut publicata possideri a privatis, aut publicanda ex lege esse arguebat [5]): qualem designationem qui deferebat, is etiam eos, apud quos ea bona essent, si negarent, tanquam accusator in iudicio persequebatur [7]), et si vicisset, partem pro praemio accipiebat [8]). Ἔνδειξις proprie erat delatio eorum, qui legibus aut iudicum sententia aliquo loco aut munere aut iure exclusi tamen eum locum adierant, aut ius illud atque munus usurpaverant [9]): deinde eorum qui gravioris alicuius delicti, velut caedis, furti, rapinae aliorumque manifesti habebantur, ut non de culpa, sed de poena tantum agendum esse videretur [10]). Utrique, accepta a magistratu delatione, aut in vincula coniiciebantur, aut etiam vades dare cogebantur [11]). Quodsi eos actor ipse ad magistratum produceret, haec ἀπαγωγὴ dicebatur; sin magistratum deduceret ad latebras eorum, quo ab hoc prehendi possent, haec ἐφήγησις erat [12]) De δοκιμασίᾳ et εὐθύναις supra satis dictum est. Εἰςαγγελίας tria genera distinguenda sunt, primum

---

5) Proc. Att. p. 732.

6) Cf. Proc. Att. p. 253 sqq. et Corp. Inscr. no. 123, 14.

7) Quod Meier. P. A. p. 259 ait designationis auctorem etiam rei personam nonnunquam tulisse et posteriore loco dixisse, vereor ut verum sit. E Demosthenis certe or. in Nicostr. nihil praesidii huic sententiae peti potest; nam tituli πρὸς Νικ. nulla est auctoritas. Harpocratio autem s. v. ἀπογρ., quem Suid. et Lex. Segu. p. 426 sequuntur, obscure loquitur, corruptaque eius verba sunt, sed facile codicum ope sanabilia.

8) Demosth. in Nicostr. p. 1247 in.

9) Harpocr. h. v. Meier. l. l. p. 240 — 243.

10) Pollux VIII, 49. cf. de comitt. p. 177. Quae praeterea a Meiero p. 244 commemorantur, aut dubia sunt aut ad prius genus pertinent, quod si quis recte interpretetur latissime patet.

11) Proc. Att. p. 583 sq.

12) Meier. P. A. p. 225 sqq. et 247. Pro ἐφηγήσει ὑφήγησις dicitur Lex. Segu. p. 312. Cf. Meier. l. l. p. 260. de bon. damn. p. 215. Platner. II p. 131.

εἰσαγγελία κακώσεως, qua iniuriae erga parentes a liberis [13]), erga epicleros et pupillos a maritis, tutoribus, propinquis aliisve [14]) commissae vindicabantur: quod genus non diversum fuit a γραφῇ [15]) nisi eo, quód actor neque sportulas pendebat, neque, etiamsi quintam suffragiorum partem non tulisset, mulctabatur [16]). Alterum genus est, quum quis diaetetam propter iniurias in iudicando commissas apud logistas reum facit [17]): tertium denique ad ea delicta pertinet, quae, aut quia solito graviora sunt, aut quia aliquam ob causam ordinario iudicio persequenda non esse videntur, ad senatus aut populi cognitionem deferuntur: qua de re quae iam supra dicta sunt, hoc loco repetere nihil attinet [18]).

§. LV.

Privatae actiones aut iniuriis privatorum, quae nihil ad rem publicam pertinere videantur, ulciscendis, aut controversiis distrahendis instituuntur. Harum proprium ac generale nomen δίκη est: quamquam id non raro etiam de publicis actionibus dicitur [1]). Qui autem poenam ab adversario

13) Hoc genus, etiamsi diserta veterum testimonia desunt, haud dubia tamen coniectura ponere licet. Cf. Meier. P. A. p. 269.

14) Aeschin. in Timarch. p. 159. or. in Theocr. p. 1332, 12. Demosth. in Pantaen. p. 980, 5 cll. 979, 27 et plur. ap. Meier. p. 291 not. 86.

15) Hinc etiam γραφὴ nonnunquam dicitur. Vid. ad Isae. p. 470.

16) Isae. de Pyrrh. her. §. 47. de Hagn. her. §. 31. Demosth. in Pantaen. p. 980. Harpocr. s. v. εἰσαγγελία.

17) Vid. §. 51, 8. 9.

18) Enumerantur praeterea a Polluce VIII, 41 ἀνδρολήψιον et προβολή; sed de ἀνδροληψίῳ alio loco nobis dicendum erit, P. VI c. 1; de προβολῇ, quae non tam actionis genus est quam accusationis praeparatio, supra satis exposuimus, itemque de accusationis denunciatione, ἐπαγγελίᾳ.

1) Cf. Meier. Proc. Att. p. 162 not. 7. Pollux VIII, 40. 41.

repetit aut delicti privati, velut furti, iniuriarum, stellionatus, aut violati contractus, aut damni iniuria dati, is *δίκην κατά τινος* instituere dicitur; reliquae actiones sunt *πρός τινα* [2]): verum tamen hoc ipsum etiam de illis nonnunquam dicitur [3]). Quae autem proprie *δίκαι πρός τινα* sunt, harum rursus unum genus *διαδικασίας* nomine a reliquis distinguitur, quum aut de re disceptatur, quam plures sibi adiudicari postulant, aut de muneris alicuius obeundi officio inter plures ambigitur [4]). Commune autem omnibus hoc est, quod institui non possunt nisi ab iis quorum interest, aut si hi non habent agendi facultatem [5]), ab iis quorum in potestate, cura, tutela sunt [6]); dein quod poena, si qua irrogata est, non rei publicae sed actori cedit. — Est praeterea una actionum divisio, quae ad publicas pariter ac privatas pertinet, ut aut *τιμητοὶ ἀγῶνες* aut *ἀτίμητοι* sint, prout aut aestimanda lis in iudicio aut non aestimanda est [7]). Quae enim delicta, sive publica sive privata, poenam habent lege plebisve scito constitutam [8]), aut si qua

---

2) Heffter. p. 288. Meier. p. 167.

3) Velut ap. Demosth. adv. Aphob. III p. 844: *καὶ πρότερόν μοι δίκης γενομένης πρὸς Ἄφοβον.* Egerat autem Dem. non *πρὸς Ἄφοβον* sed *κατ' Ἀφόβου, ἐπιτροπῆς.* Sed non diffitendum est hanc orationem rationibus non contemnendis Demostheni abiudicari a Westermanno, de litt. quas Dem. or. ipse, p. 11 sqq.

4) Cf. Lex. Segu. p. 236, 16. Taylor. ad Aeschin. p. 536. Meier. p. 368.

5) Tales sunt minores, mulieres, servi (exceptis duobus generibus, de quibus vid. Proc. Att. p. 559.) et *ἄτιμοι* qui capitis deminutionem maximam passi sunt.

6) H. e. a puerorum patribus aut tutoribus, mulierum maritis aut *κυρίοις*, servorum dominis.

7) Harpocr. s. v. *ἀτίμητος ἀγών.* Heffter. p. 116 sqq. Meier. p. 171 sqq. Platner. I p. 191 sqq.

8) Plebiscito poena constitui potuit v. c. in iis criminibus, quae per *εἰσαγγελίαν* aut *μήνυσιν* ad populum delata, ab hoc dein ad iudicium heliasticum reiiciebantur.

violati contractus poena inter privatos convenit [9]), ibi aestimationi locum non esse apparet, eritque *ἀτίμητος ἀγών*: contra si cui delicto nulla certa poena constituta est, aut optio inter duas poenas iudicibus datur [10]), ibi ex cuiusque causae condicione aestimari litem conveniet: item ubi damni reparatio petitur, de magnitudine autem damni ambigitur, aestimare iudices oportebit, quantam reo pecuniam solvendam imponant [11]). Potest etiam fieri, ut modus quidem poenae legibus praefinitus, ipsa tamen poena incerta sit, velut in furti actione, ubi duplum eius rei quae furto ablata esset leges pro poena solvi iubebant, si res ipsa restitueretur, decuplum, si non restitueretur: quam ob rem ipsius rei pretium aestimari, et ex eo poenam finiri oportebat [12]).

§. LVI.

Instituendae actionis vel publicae vel privatae initium [1]) non aliunde in plerisque quidem causis [2]) fieri poterat, quam a *κλήσει* vel *προσκλήσει* h. e. in ius vocatione [3]), qua denunciabatur adver-

---

9) *Ἐπιτίμια ἐκ τῆς συγγραφῆς.* Demosth. in Phorm. p. 915, 1.

10) Vid. Platner. 1 p. 196 contra Meier. p. 177.

11) Ita v. c. in actione *ἐπιτροπῆς.* Demosthenes litem Aphobo aestimaverat decem talentis: iudices vel tanti vel minoris eum damnare poterant. Cf. or. in Aphob. 1 p. 834, 25. or. 1 in Onetor. p. 873. 878.

12) Vid. Meier. p. 185 not. 46. Simile quid in quibusdam *βλάβης* actionibus fiebat. Cf. id. p. 188.

1) De compositione inter amicos, quae tentari plerumque solebat, vid. Proc. Att. p. 575.

2) In *εἰσαγγελίᾳ* apud senatum aut populum, porro in *ἐνδείξει* et in plerisque *δοκιμασίαις* et *εὐθύναις*, item in hereditatis petitionibus nullam in ius vocationem fuisse demonstravi Proc. Att. p. 583 sqq.

3) Vid. ib. p. 576.

sario ut certo die [4]) apud magistratum adesset edendamque adversus se actionem cognosceret. — Peragenda in ius vocatio erat ab ipso actore [5]) in publico aliquo loco [6]), adhibitis testibus, qui, si forte ille apud magistratum dicto die non comparuisset, rite vocatum esse testarentur, quod cur necesse fuerit mox apparebit. Testes in ius vocationis κλητῆρες dicuntur: sed idem nomen, et proprie quidem, ut videtur, nuncios quosdam significat, quorum opera absentes in ius vocantur [7]). Vadimonium, si quidem cum civibus ageretur [8]), alienum erat ab Atheniensium moribus: neque cogi adversarius poterat ut statim in ius sequeretur, praeter manifestos quorundam delictorum, quorum ἀπαγωγὴν leges concesserant. Stato die apud magistratum, cuius in quoque causarum genere iuris dictio esset [9]), primum omnium actio edenda erat scripto consignata [10]). Libellus vel ἔγκλημα vel λῆξις vel, si publica causa erat, γραφή, ἔνδειξις, φάσις, ἀπαγωγὴ pro actionis genere dicitur [11]). Exami-

---

4) Et plerumque quidem, ut videtur, post diem quintum. Vid. ib. p. 579, et de certis diebus edendarum apud magistratum actionum p. 577 sq.

5) Si actor inquilinus erat, comitante patrono s. prostata. Vid. ib. p. 561.

6) Ibid. p. 588 sq.

7) Ibid. p. 590.

8) De peregrinis vid. Proc. Att. p. 581 et 583. Ibidem exposui etiam quibus in causis cives aut vades dare coacti aut in carcerem coniecti sint.

9) De his pro nostro consilio satis dictum est in capite de magistratibus. Accuratissime de singulorum iuris dictione exposuit Meierus Proc. Att. lib. I.

10) Tradebatur haec aut ipsi magistratui, aut scribae, aut assessori. Proc. Att. p. 599, et publice in albo inscripta proponebatur pro tribunali, quo cognosci ab omnibus posset, quorum interesset.

11) Ibid. p. 594 sqq. Etiam ἀντιγραφὴ de actoris libello est ap. Platon. Apolog. c. 15, quamquam proprie hoc nomen aut rei libellum significat, aut in hereditatis petitionibus de omnium qui inter se contendunt libellis dicitur. Vid. ib. p. 629.

nabat deinde magistratus, reciperetne causam an reiiceret. Reiicienda erat primum absente reo, nisi si *κλητήρων* testimoniis probaretur, eum rite in ius vocatum esse: tunc enim, nisi excusatus esset, in contumaciam condemnari potuit [12]): dein si quid legitimi obstare videret, quo minus vel apud se, vel ab hoc actore, vel hac actione, vel hac de re agi posset, quae omnia singulatim enumerare longum est [13]). Pertinent autem huc etiam varia exceptionum genera, si reus contendebat causam esse eiusmodi, quae in iudicium deduci non deberet, *μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην*, quales exceptiones aut per testes, qui pro reo intercederent, aut ab ipso reo interponi poterant. Alterum genus *διαμαρτυρία*, alterum *παραγραφὴ* aut etiam *ἀντιγραφὴ* dicitur [14]). Neque dubitari potest, quin magistratui, si iustam esse exceptionem intelligeret, statim reiicere actionem, suo quidem periculo [15]), licuerit: quamquam plerumque nihil ipse decernere, sed integram rem iudicibus permittere solebat [16]). Ceterum iurare utrumque, et actorem et reum, oportebat se non calumniandi animo aut intendere litem aut excipere, quod iuramentum *ἀντωμοσία, διω-*

---

12) Ibid. p. 577. Hinc existunt *γραφὴ ψευδοκλητείας* (ib. et p. 336.) *γρ. συκοφαντίας* (Boeckh. prooem. lectt. hib. ann. 1817—1818.) *δίκη κακοτεχνιῶν*. (Proc. Att. p. 385 et 759.)

13) Persequutus haec sum P. A. p. 599—602.

14) Ibid. p. 631—650. Etiam *ἐξωμοσίας* nomen de quodam exceptionis genere dictum docui p. 648. item de loquutione *εὐθυδικίᾳ, τὴν εὐθεῖαν εἰσιέναι* p. 649.

15) Scilicet si temere actionem reiecisset accusari propterea aut in *εὐθύναις* aut per *προβολὴν* aut in *ἐπιχειροτονίᾳ* potuit.

16) Apparet autem, si *διαμαρτυρία* interposita esset, hanc submoveri non potuisse nisi ita, ut quis eum qui testimonium illud dixerat *μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην*, per *δίκην ψευδομαρτυριῶν* falsi testimonii convinceret: si *παραγραφῇ* reus usus esset, hanc ab ipso probandam, ab actore refellendam fuisse: neque de ipsa actione iudicium fieri potuisse nisi post refutatam exceptionem. Vid. Proc. Att. p. 646.

μοσία dicitur[17]): itemque pecunia aut ab actore aut ab utroque dependenda erat, pro causarum varietate. Primum enim in privatis causis, una αἰκίας (iniuriarum realium) actione excepta omnibus, quae quidem centum drachmarum summam excederent, sacramenta ab utroque deponebantur, hac tamen lege, ut qui vicisset, sacramenta sua ab adversario recuperaret. Erant autem in causis minoribus, quae intra mille drachmarum summam consisterent, ternae ab utroque drachmae deponendae; in maioribus, usque ad decem millia, tricenae[18]). In publicis causis sacramenta a reo nulla, ab actore tum demum ponenda erant, si poenae irrogatae pars quaedam ipsi cessura esset, ut videri posset non rei publicae solum sed sui quoque privati commodi causa agere[19]). In reliquis nihil praeter παράστασιν actor numerabat, eamque ipsam perexiguam, ne quem sumptus magnitudo deterreret: erant autem, in quibus ne haec quidem numeranda esset, velut in εἰσαγγελίᾳ[20]). Diversa autem ab his pecuniis ea est, quae παρακαταβολὴ dicitur. Hanc actor solus deponebat in instituenda actione, recuperabatque si vicisset, amittebat autem, si aut deseruisset actionem aut victus esset, quasi quandam poenam temere litigandi[21]). Deponenda autem παρακαταβολὴ erat in quibusdam hereditatis petitionibus, decima pars bonorum, si quis aut adiudicatam alteri hereditatem peteret, aut nondam adiudicatam ita pete-

17) Ibid. p. 624 sq.

18) Vid. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 369—373. Proc. Att. p. 612—614.

19) Unum huius rei exemplum e Demosth. in Macart. p. 1074, 19 attulit Boeckh. l. l. p. 376, quod quin ad φάσιν pertineat dubitari non potest. Vid. Heffter. p. 186. Idem coniicere licet etiam in ἀπογραφαῖς factum, de quibus vid. §. 54.

20) Boeckh. l. l. p. 373. Proc. Att. p. 614.

21) Proc. Att. p. 616 sq.

ret, ut ceteros omnes ab ea excluderet [22]), et in controversiis cum fisco de bonis publicatis, quinta pars eorum quae quis a fisco tanquam sua repeteret [23]).

§. LVII.

Sequitur instructio litis, quam qui moderatur magistratus *ἀνακρίνειν τὴν δίκην* s. *τοὺς ἀντιδίκους*, litigantes *ἀνακρίνεσθαι* dicuntur [1]). Instruere autem litem nihil aliud est, quam rebus eam omnibus ad probandum necessariis adornare et iudicum cognitioni quodammodo praeparare. Probationum genera quinque numerantur [2]). Primum leges, et recte quidem [3]). Quoties enim de iure quaeritur, eaque quaestio legibus continetur, quas fieri facile potest ut ipsi iudices minus cognitas habeant, proferendae leges a litigantibus verbaque eorum iudicibus recitanda sunt. Deinde tabulae varii generis, veluti testamenta, syngraphae, libri mensariorum, aliaeque multae publicae privataeque [4]), quae factum aliquid aut non factum, vel hoc aut illo modo factum esse doceant; quas proinde aut ipsas aut exempla earum, quae fidem habeant, proponi iudicibus necesse est [5]). Porro

---

22) Ibid. p. 618 sq. et ad Isae. p. 463. Cf. G. H. C. L. Steigerthal, de vi et usu *παρακαταβολῆς* in causis Ath. hereditariis. Cell. 1832. 4., qui cur a me et quibus de rebus dissentiat non satis me intelligere potuisse fateor.

23) Num in aliis quoque causis *παρακαταβολὴ* locum habuerit non liquet. Vid. Proc. Att. p. 620.

1) Cf. Proc. Att. p. 622. Heffter. p. 285. Platner. I p. 131. Wachsmuth. II, 1 p. 327.

2) Arist. Rhetor. 1, 15 in. Cf. Ernesti lex. technol. Gr. rhet. p. 266. De discrimine *ἀτέχνων* et *ἐντέχνων πίστεων* cf. Proc. Att. l. l.

3) Dubitarunt enim nonnulli. Cf. et Isae. de Ciron. her. §. 45. Wachsmuth. l. l. p. 331.

4) Proc. Att. p. 661. Heffter. p. 302. Platner. 1 p. 252.

5) De provocatione ad exhibendum et hinc orta *δίκη εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν* vid. Proc. Att. p. 663 et 374 sqq.

testimonia [6]) vel praesentium, quae proprie *μαρτυρίαι*, vel absentium, quae *ἐκμαρτυρίαι* dicuntur [7]). Haec quoque litteris consignanda iudicibusque recitanda sunt. Non poterat autem iure Attico testis esse nisi qui ei rei, de qua ageretur, ipse coram adfuisset; quae quis ab altero fando accepisset, pro testimonio dicere non licebat, nisi si ille alter mortuus esset [8]). Sequuntur quaestiones de servis habitae, sive quis suos ipse servos per *πρόκλησιν* obtulerat, sive adversarii servos postulaverat [9]). Habebantur autem de servis quaestiones per tormenta [10]) plerumque a *βασανισταῖς* aut publice aut privatim constitutis, quaeque illi edixissent scripto consignata et *βασανιστῶν* subscriptione munita in iudicium afferebantur [11]). In ipso iudicio quaestiones de servis rarissime habitae esse videntur [12]). Denique ius iurandum, quod et ipsum per *πρόκλησιν* aut offerebatur aut poscebatur [13]). Hoc quoque scripto consignari et recitari in iudicio solebat. Fiebat autem saepenumero ut, si qua vel ad quaestionem vel ad ius iurandum provocatio ab adversario recusata esset, tamen alter hanc ipsam provocationem conscriptam et eorum qui adfuerunt testimoniis munitam in iudicio proponeret, si forte hoc argumento iudicibus causam

---

6) Testimonium dicere quibus licuerit aut necesse fuerit exposui Proc. Att. p. 667—674.

7) Ibid. p. 670.

8) Hoc est *ἀκοὴν μαρτυρεῖν*. Ibid. p. 669. Cf. Platner. p. 226 et quae diximus in Annal. crit. Berol. ann. 1827 no. 174 p. 1391. Add. comm. in Isae. p. 382.

9) Proc. Att. p. 680.

10) De tormentorum generibus cf. impr. Aristoph. Ran. 628—634 c. interpp., et de cautione damni, cuius mentio ab Aristophane fit v. 635, vid. Proc. Att. p. 681 not. 74.

11) Proc. Att. p. 683 sq.

12) Ibid. p. 682 sq.

13) Ibid. p. 686 sqq.

suam meliorem esse probaret [14]). Omnia autem quae enarravimus probationum instrumenta in ἀνακρίσει magistratui tradenda, ab eoque in capsula clausa obsignataque asservanda erant, donec iudicibus proponerentur [15]). Ceterum facile apparet hoc instruendae litis negotium saepenumero satis longum et molestum fuisse, quod intra paucos dies peragi commode non posset. Accedebat ut etiam dilationes intervenire plurimae possent, vel magistratu aliis rebus impedito, vel litigantibus rem extrahentibus [16]). Erant tamen quattuor causarum privatarum genera, quas intra trigesimum ab instituta actione diem leges diiudicari iubebant, δίκαι ἐμπορικαί, ἐρανικαί, μεταλλικαί et προικός, quae propterea ἔμμηνοι δίκαι vocantur [17]).

§. LVIII.

Dies ad orandam in iudicio diiudicandamque causam constituta ἡ κυρία dicitur [1]). Sortiti a thesmothetis iudices postquam consederunt [2]), citantur a praecone litigantes, qui si adsunt, recitato prius a scriba libello, verba uterque facere iubetur: absentes, reus in contumaciam condemnatur; actor deseruisse causam pronunciatur alteriusque nomen

---

14) Ibid. p. 681 not. 75 et p. 691. Idem autem de aliis quoque provocationibus, velut ad exhibendum, ad testimonium dicendum, fieri solitum esse vix opus est monere (Proc. Att. p. 665. 677. 678.) et eiusmodi provocationum tabulas non diversi a ceteris generis esse apparet: pertinent igitur ad secundum genus probationum.

15) De ἐχίνῳ vid. Proc. Att. p. 691.

16) Proc. Att. p. 694 not. 3. Huc pertinent haud dubie ὑπωμοσίαι quum qui in ius non venerat iure iurando excusabatur. Ibid. p. 695 et 698 sq.

17) Ibid. p. 695. 537—544 et 425.

1) De diebus quibus iudicia haberi deberent a Thesmothetis edictis vid. supr. §. 50, 5. De κυρίᾳ cf. P. A. p. 693 sq.

2) De σημείῳ, de ritibus sacris in iudicio peractis, de toxotis apud dicasterium collocatis vid. P. A. p. 705. Ceterum plurimos fere etiam praeter iudices adfuisse auditores multi loci docent. Vid. ib. p. 705 et ad Isae. p. 178.

de reis eximitur. Potest tamen uterque excusari per ὑπωμοσίαν, qua excusatione probata neque per ἀνθυπωμοσίαν refutata, diem diffindi necesse est [3]). Orari causam ab ipsis litigantibus leges voluerunt, quae res multos conscriptas sibi ab aliis orationes ediscere coegit, quibus in iudicio uterentur [4]). Licuit tamen synegoros adhibere et in accusando et in defendendo, et saepenumero ita leges eludebantur, ut potior esset synegori quam eius cui is aderat oratio [5]). Erant autem orationes plerumque non solum ad docendos iudices compositae, sed ad permovendos invidia aut gratia, ira aut misericordia animos, adhibebanturque advocati [6]), deprecatores, supplicationes, quidquid denique ad conciliandos flectendosque auditores pertinere videretur. Ceterum aut singulae erant aut binae, sed eodem tamen die, actiones, pro causarum varietate [7]), tempusque dicentibus ad clepsydram finiri plerumque solebat [8]). Inter orationes etiam probationum instrumenta, leges, tabulae, testimonia, aliaque de quibus modo dictum est, proponebantur, recitante scriba, et clepsydra tantisper obturata. Testes, si qui in anacrisi testimonium dicere abnuissent, etiam in ipso iudicio, denunciatione ante facta, citari solebant, ut aut dicerent testimonium aut eiurarent: si non paruissent, lege adversus eos agi poterat aut per κλήτευσιν aut etiam per actiones λειπομαρτυρίου et βλά-

3) Proc. Att. p. 695 — 698.

4) Ibid. p. 707.

5) Ibid. p. 708 — 711.

6) Παράκλητοι. Demosth. de f. leg. p. 341, 10. In univ. cf. P. A. p. 719 not. 51. Westermann. de litibus quas Demosth. oravit p. 67. Considerandus est etiam Athenaei locus XIII, 59. De loquutione ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν vid. ex. in Schaeferi App. crit. ad Dem. V p. 448.

7) Λόγοι πρότεροι et ὕστεροι, distinguendi a δευτερολογίαις, τριτολογίαις etc. quae synegoriae sunt. P. A. p. 711.

8) Ibid. p. 713 sq. Cf. et Athenae. IV, 74 p. 318 sq.

βης [9]). Etiam qui in anacrisi testimonium dixerant, aderant tamen in iudicio, ut recitatum a scriba testimonium aut disertis verbis aut tacite agnoscerent[10]). Idem de iis dicendum est, qui ius iurandum in anacrisi dederant, si quidem alii, non ipsi litigantes, iuraverant [11]). Postquam peroratum erat iudices a magistratu in suffragium mittebantur. Suffragii latio occulta erat, calculis albis aut atris, solidis aut perforatis in amphoram coniectis [12]): quamquam non eadem omni tempore aut in omnibus causis ratio observari solebat [13]). Absolvebatur reus etiam pari suffragiorum numero; actor, si quintam suffragiorum partem non tulisset, in privatis causis compluribus plectebatur *τῇ ἐπωβελίᾳ*, sive sexta parte eius pecuniae quam petiisset: eodem modo in *φάσει* [14]): in aliis causis publicis mille drachmarum mulcta eaque *ἀτιμίᾳ*, ut eiusdem generis actiones instituere in posterum vetaretur [15]). — Si causa esset ex *ἀγώνων τιμητῶν* genere, condemnato reo etiam de lite aestimanda apud iudices agi oportebat. Aestimationem actor in libello scripserat; licebat autem reo, cum iudicum venia, suam huic aestimationem opponere: ex his iudices utram vellent eligebant [16]), qua in re aut cal-

---

9) P. A. p. 672 sqq. cf. p. 478 et 387—392. Heffter. p. 307.

10) P. A. p. 676 sq.

11) Ibid. p. 687.

12) Ibid. p. 720 sqq. De amphoris sive cadis eorumque *χημῷ* cf. et Grashof. in Jahnii Annal. philol. ann. 1829 vol. II, 2, p. 160.

13) P. A. l. l. et p. 723. Cf. et L. Ross in Jahn. annall. nov. supplem. 1 (ann. 1832) fasc. 3 p. 350 sqq. schol. Aristoph. Equitt. 1147. Mueller. ad Aeschyl. Eumen. p. 161.

14) De *ἐπωβελίᾳ* vid. P. A. p. 729—734, ubi et de eadem mulcta in *παραγραφαῖς* et *ἀντιγραφαῖς* pendenda.

15) Cf. §. 53, 7.

16) Licuitne etiam iudicibus sicut *προστιμᾶν*, sic etiam *ἀφαιρεῖν τι τοῦ τιμήματος* (Isocr. ctr. Lochit. ς. 13.) ita ut non rei *ἀντιτίμησιν* sed suum arbitrium sequerentur? quae Meierus obiicit P. A.

culis aut ceratis tabellis utebantur [17]). Tempus etiam huic de aestimanda lite actioni ad clepsydram finitum. In quibusdam causis irrogatae ab actore aut definitae lege poenae etiam addi alia poena, velut vincula, a iudicibus poterat, si unus irrogaret, ceteri assentirent [18]). Alias unam et simplicem poenam leges esse iubebant [19]). His omnibus peractis sententia a magistratu pronunciabatur [20]) iudicesque dimittebantur. Ampliatio in heliasticis iudiciis aut nulla aut rara erat et extraordinaria [21]).

§. LIX.

Diaetetarum, quadraginta virorum et, ut videtur, nautodicarum iudicia ab heliasticis eo maxime differebant, quod apud eosdem et instruendae litis cura et instructae diiudicatio erat, ex quo consequitur, quae in heliasticis iudiciis a magistratibus, ea in his ab ipsis iudicibus pleraque omnia agenda fuisse. Et quadraginta viri quidem atque nautodicae et recipiebant ipsi actiones quae ad iurisdictionem suam pertinerent, et disceptata cognitaque causa sententiam pronunciabant, nullo interveniente magistratu, quam ob rem, ut supra dictum est, illi etiam ipsi pro magistratibus haberi possunt. Diaetetis autem causae a magistratibus petente actore delegabantur [1]), et quidem,

---

p. 181, removeri fortasse possint. Cf. tamen Heffter. p. 334 et Platner 1 p. 198—202. Add. Annall. critt. Berol. l. l. p. 1387.

17) Πινάκιον τιμητικόν. P. A. p. 726.

18) Ibid. p. 724 sq.

19) Ibid. p. 725 not. 71.

20) Ἀπόφανσις τῆς δίκης. Ibid. p. 726. De tabulis iudiciariis in metroo asservatis ib. p. 727.

21) V. c. propter διωσημίαν. Ibid. p. 727.

1) Vid. Hudtwalker. p. 64—74. De εἰσαγωγεῦσι Pollucis VIII, 93 conf. Meier. Proc. Att. p. 114.

si contra civem ageretur, huius tribulibus [2]), pronunciataeque ab his sententiae subscribebat magistratus [3]). Sacramenta nulla ponebantur, sed tantum *παράστασις*, singulae drachmae, quum initio litis tum quoties dies diffissus erat [4]), quae quin restituendae ab eo qui causa cecidisset adversario fuerint dubitari non potest. Epobeliae in huiusmodi iudiciis periculum non fuisse sua sponte apparet.

§. LX.

Jam de executione sententiarum dicendum est. Ac primum quidem in causis privatis, si quis civis Atticus quod condemnatus erat adversario intra praefinitum diem (*τὴν προθεσμίαν*) [1]) non praestitisset, ab hoc, pro re nata, aut pignora capere aut in bona eius ire [2]) aut *καρποῦ* vel *ἐνοικίου* [3]) aut denique *ἐξουλῆς* actionem [4]) ei intendere licuit, cuius quidem haec vis erat, ut, qui convictus esset, tantundem rei publicae quantum adversario condemnaretur, ac nisi solveret, *ἄτιμος* fieret. Peregrini vero aut praedes dare iudicati solvendi statim post pronunciatam sententiam cogi, aut in vinculis dum solvissent teneri poterant [5]). Publicis iudiciis qui aut ad supplicium aut ad vincula dam-

---

2) Vid. supra §. 51, 6.

3) Demosth. Mid. p. 542, 8 c. schol. Ulpian. Add. Hudtwalcker. p. 82.

4) Vid. §. 51, 9. Hudtwalcker. p. 14—18.

1) Proc. Att. p. 746. Qui *προθεσμίαν* non servat, *ὑπερήμερος* dicitur. Ibid. p. 747.

2) *Ἐνεχυρασία* s. *ἐνεχυρασμὸς* et *ἐμβατεία* s. *ἐμβάτευσις*. Vid. Proc. Att. p. 747. 748. Hudtwalcker. p. 131 sq. et 139.

3) Proc. Att. p. 749. Hudtw. p. 141.

4) Proc. Att. p. 749. 751 sq. Hudtw. p. 134 sqq. et 147 sqq. De aliis *δίκης ἐξουλῆς* significationibus vid. Pr. Att. p. 486.

5) In *ἐμπορικαῖς δίκαις* etiam cives in vincula coniici potuisse Hudtw. docet p. 152 sq. cf. Pr. Att. p. 745.

nati erant [6]), undecimviris, qui ad servitutem, poletis tradebantur [7]). Quibus aqua et igne interdictum erat, dies praefiniebatur, intra quam si solum non vertissent, impune a quolibet occidi possent [8]). Qui capite deminuti erant, si pro ἐπιτίμοις agerent, aut abduci ad undecimviros per ἀπαγωγὴν aut denunciari per ἔνδειξιν poterant [9]). Publicata bona a demarchis aut etiam a privatis in iudice perscripta poletis vendenda tradebantur [10]). Mulctae denique, prout aut rei publicae aut deorum aut heroum eponymorum aerariis cedebant, a practoribus aut a quaestoribus sacrorum aerariorum aut a Rege exigebantur [11]), adiuncta capitis deminutione, si quis intra diem non solvisset. — Impugnari autem sententia poterat primum per appellationem [12]), non quidem si quis apud heliastas, quadraginta viros, nautodicas, verum tamen si apud diaetetas causa ceciderat [13]). Ab his enim ad heliasticum iudicium provocare licuit, in quo nova instructione litis ut plurimum supersederi potuit, causaque, ut apud diaetetas instructa erat, a magistratu in iudicium deducebatur [14]), deposita a provocante, praeter sacramenta aut paracatabolam, etiam alia quadam sportula, quae παράβολον

---

6) Poterat tamen hoc etiam in privato iudicio κλοπῆς per προστίμησιν fieri (Demosth. in Timocr. p. 736. 11.) ubi apparet eandem poenae exequutionem fuisse atque in publicis.

7) Proc. Att. p. 740. 741. Boeckh. I p. 167.

8) Proc. Att. p. 741.

9) Ibid. p. 742. Cf. p. 235 sq. 240 sq.

10) Meier. de bon. damn. p. 201 sqq. Ullrich de undecimv. p. 253. Proc. Att. p. 742.

11) Proc. Att. p. 743 et 338 sq. Boeckh. I p. 418.

12) Haec ἔφεσις dicitur. Quid autem intersit inter graecum et latinum vocabulum, vid. Proc. Att. p. 766. 767.

13) Vid. Pollux VIII. 62. 63 et interpretationem huius loci in Proc. Att. p. 767—771.

14) Hudtwalck. p. 128. 129.

s. *παραβόλιον* dicitur [15]). — Deinde si quis in quocunque iudicio absens litem perdiderat, restitutio postulari poterat ab eo, qui absentiam suam aut nulla sua culpa non excusatam, aut excusationis rationem iniuste non habitam esse doceret. Hanc restitutionem qui petit, si res apud diaetetam acta erat, *τὴν μὴ οὖσαν*, sin apud alios iudices, *τὴν ἐρήμην ἀντιλαχεῖν* dicitur [16]). — Porro si quis se plane non in ius vocatum esse per *γραφὴν ψευδοκλητείας* vicerat, rescindi sententiam contra hunc latam necesse erat, poteratque is insuper ab adversario poenas repetere per *δίκην κακοτεχνιῶν* aut *γραφὴν συκοφαντίας* [17]). — Denique qui falsorum testium opera aut se condemnatum aut adversarium absolutum esse contenderet, is, si testes per *δίκην ψευδομαρτυριῶν* convicisset, aut poenas ab adversario repetere per eandem illam *δίκην κατοτεχνιῶν*, aut in nonnullis certe causis etiam restitutionem postulare poterat [18]). Quae autem lis quocunque modo iterum in iudicium venit, *δίκη ἀνάδικος* dicitur [19]).

§. LXI.

Diversus ab illo quem supra descripsimus ordine iudiciorum is erat, quem caedibus ac similibus criminibus persequendis a Dracone sancitum Solonis leges servaverant, una fortassis ea mutatione facta, ut, quum a Dracone omnia huius generis iudicia Ephetarum collegio demandata essent [1]), a quo pro cuiusque causae condicione aut in Areopago, aut ad Palladium, aut ad Delphi-

---

15) Pollux l. l.

16) Hudtwalck. p. 99—115. Proc. Att. p. 756 sqq. Ceterum petenda erat restitutio intra diem decimum, si apud diaetetas, intra duos menses, si apud alios iudices res acta erat.

17) Proc. Att. p. 758 sq.

18) Ibid. p. 759—764.

19) Ibid. p. 755 not. 5.

1) Conf. supr. §. 6, 4.

nium, aut ad Prytaneum, aut in Phreatto haberentur, Solòn de caede voluntaria, de veneficiis, de vulneribus occidendi consilio inflictis, denique de incendiis senatum ex iis qui novem archontum magistratu perfuncti erant constitutum in Areopago iudicare iussit [2]), ceteris tantum causis *φονικαῖς,* quae minoris momenti erant, Ephetarum collegio relictis [3]). Vetustus autem horum iudiciorum ordo hic erat. Primum accusandi de caede officium leges propinquis eius, qui occisus esset, imposuerunt, quorum qui *ἐντὸς ἀνεψιότητος* erant [4]), deesse huic officio salva religione non poterant [5]). Servorum caedem dominis, libertorum ac *πελατῶν*

---

2) Vid. §. 8, 12.

3) Ephetae *περιιόντες δικάσαι* dicuntur apud Phot. s. v. *ἐφέται,* quippe qui modo in hoc, modo in alio loco iudicarent.

4) Demosth. ctr. Euerg. p. 1161, 10: *κελεύει ὁ νόμος ἐπεξιέναι μέχρις ἀνεψιαδῶν. Ἀνεψιαδοῖ* autem, qui Latinis consobrinorum filii vocantur, postremi sunt eorum, qui *ἀνεψιότητος* nomine comprehenduntur, qui sicut ad hereditatem (vid. ad Isae. p. 455. 456.) ita etiam ad caedis accusationem vocantur et Solonis lege ap. Dem. in Macart. p. 1068, 29 et Platonis de legg. IX p. 871. Sed Demosthenis locus, pravis additamentis corruptus, ita rescribendus est: *προειπεῖν τῷ κτείναντι ἐν ἀγορᾷ ἐντὸς ἀνεψιότητος* (del. *καὶ ἀνεψιοῦ*), *συνδιώκειν δὲ καὶ γαμβροὺς καὶ πενθεροὺς καὶ φράτορας,* deletis verbis ineptissimis *καὶ ἀνεψιῶν παῖδας καὶ ἀνεψιοὺς καὶ ἀνεψιαδοῦς,* quae ad explicandum illud *ἐντὸς ἀνεψιότητος* adscripta temere in contextum legis illata sunt. Apparet enim alios esse, qui *προειπεῖν,* alios qui *συνδιώκειν* iubentur, neque igitur possunt *ἀνεψιοί, ἀνεψιαδοῖ, ἀνεψιῶν παῖδες,* qui, quum *ἐντὸς ἀνεψιότητος* sint, *προειπεῖν* iubentur, rursus etiam cum *γαμβροῖς, πενθεροῖς, φράτορσι συνδιώκειν* iuberi; ut taceam perversum istorum verborum ordinem, et *ἀνεψιῶν παῖδας* additos *ἀνεψιαδοῖς,* quum utraque appellatione iidem significentur. Vid. ad Isae. l. l. Dixerunt de illa lege Bunsen. de iur. her. p. 36. 37. Meier. de gentil. Att. p. 18 not. 152. Matth. de iudic. p. 159 not. 28. Mueller. ad Aesch. Eumen. p. 126 aliique quos commemorare nihil attinet, quum nemo verum viderit. Ceterum hoc quoque ambigi potest, licueritne solis cognatis reum caedis apud Areopagum aut Ephetas facere, an necesse tantum his fuerit, licuerit autem etiam aliis, quae est Palmerii sententia ad Petit. Legg. Att. p. 625. Sed longior est quaestio, quam quae hoc loco pertractari possit.

5) Huc pertinet Demosth. in Androt. p. 593. 15. 16 cum schol. Ulpiani. Conf. Plat. de legg. IX p. 871 et 868. Hermann. de vestigg. etc. p. 53, qui Demosthenici loci immemor fuit.

patronis persequi seu lege seu moribus permissum, non tamen necesse erat [6]).

§. LXII.

Initium persequendi fiebat a *προῤῥήσει*, h. e. a solemni denunciatione, ut abstineret interfector rebus omnibus locisque publicis et sacris, quo accedere, qui hominem occidisset, nefas erat [1]). Haec denunciatio fieri solebat primum apud sepulchrum interfecti, quum exsequiae agerentur [2]), deinde in foro, quum in ius interfector vocaretur [3]), postremo

---

6) De servorum caede a dominis persequenda vid. impr. Antiph. de caed. Herod. p. 728, 2. De *πελάταις* quos colonos in cleruchiis fuisse credo (vid. infr. P. VI c. 6 §. 28, 2.) res certa videtur e Platon. Eutyphr. p. 4 A.; nam nisi licuisset, nunquam Euphronis accusatio admitti a Rege potuisset. De libertis idem apparet e narratione Demosthenis in Euerg. p. 1160, 21—28, ubi verba *οὐκ ἐν τῷ νόμῳ ἔστι σοι* non hoc significant „non licet" sed non lege cogeris." Nam licuisse si vellet, quae sequuntur prorsus manifestum faciunt.

1) Demosth. in Aristocr. p. 631 extr. 632 in. 633 in., ubi quod scriptum est *ἀγορᾶς ἐφορίας* ambigitur adiectivumne *ἐφορίας* cum *ἀγορᾶς* iungendum, an pro substantivo sit. Hoc plerisque recentioribus placuit (cf. et Mueller. Dor. II p. 116. Lachmann. de re publ. Spart. p. 163), illud veteribus quibusdam, velut Polluci IX, 8. Ceterum de *προῤῥήσει* et de coniuncta loquutione *εἴργεσθαι τῶν νομίμων* cf. Demosth. Leptin. §. 137 p. 505. Antiph. de caed. salt. p. 762 Pollux VIII, 90 et all. ap. Meurs. Them. Att. 1, 14. Petit. Legg. Att. p. 613. Herald. obss. ad J. A. VII, 23. Wolf. ad Dem. Leptin. l. l. Matthiae. de iud. p. 161. Ast. ad Plat. Legg. p. 455. Lobeck. Aglaoph. p. 184.

2) Demosth. in Euerg. p. 1160, ex quo apparet, si quis interfectorem non esset in iudicio persequuturus, denunciatione quidem eadem usum esse, sed ita, ut nomen interfectoris reticeret, dissimulans scilicet eum sibi notum esse. Quod additur ibidem de *δόρατος ἐπιφορᾷ*, pertinet ad eos tantum, qui per vim occisi erant. Cf. Harpocr. s. v. *ἐπενεγκεῖν δόρυ*. Pollux VIII, 65, Lex. Seguer. p. 237.

3) Demosth. in Macart. p. 1068 extr. Hinc *προειπεῖν εἰς Ἀρειόπαγον, ἐπὶ Παλλαδίῳ*, or. in Neaer. p. 1348, 11. Poll. VIII, 33. i. q. in ius vocare, quum in ius vocatio cum *προῤῥήσει* coniuncta esset. Apud Ammon. s. v. *κλῆσις* scrib. *πρόῤῥησις* pro *πρόκλησις*. Proprie de accusatore *ἐπισκήπτεσθαι* dicitur Antiph. ap. Harpocr. s. *ἐπεσκήψατο*. Vales. ad h. l. Ast. ad Plat. Legg. p. 456. Falso Pollux VIII, 33 et 118 activam formam ponit.

a Rege, postquam nomen ad se delatum acceperat illumque inter reos inscripserat[4]). Accepto nomine[5]) Rex anacrisin instituebat videbatque ante omnia, Areopagitisne an Ephetis causam tradi, et, si Ephetis, utrum ad Palladium an ad Delphinium iudicari oporteret. Quae ad Areopagum pertinuerint, supra dictum est[6]); Ephetae autem ad Palladium iudicabant de caedibus inconsulto factis, velut si quis aliquem pulsasset isque ex eo mortuus esset, item de caedibus quarum quis auctor aliis fuisset instigando et subornando, etiamsi manum ipse abstinuisset, denique de insidiis quibusvis alterius vitae structis[7]); apud Delphinium vero de eo caedium genere, quod leges iustum esse statuerant[8]). Itaque si quis interfectum a se hominem fateretur, sed aut consulto interfe-

4) Pollux VIII, 90. — Nomen deferre est ἀπογράφεσθαι, idemque etiam de Rege dicitur nomen delatum accipiente et inter reos inscribi curante. Antiph. de salt. p. 786. cf. 783. 788. Ex eodem p. 784 apparet in ius vocationem non ante fieri solitam, quam domus lustrata iustaque funebria peracta essent. Huc pertinet etiam Plat. Legg. IX c. 11 p. 871.

5) Accipi non potuit post nonum anni mensem, cuius rei rationem Antipho docet de caed. salt. p. 784 sq.

6) Cf. Demosth. in Aristocr. p. 627. Poll. VIII, 117. Matth. de iud. p. 148 not. 6.

7) Pollux VIII, 118. Demosth. in Euerg. p. 1160. Isocr. ctr. Callim. c. 2I. Aesch. de f. leg. p. 264. Add. Meurs. de Areop. p. 97. Perizon ad Aelian. V. H. V, 15. Matth. de iud. p. 150. Mueller. ad Aesch. Eum. p. 155, et speciatim de βουλεύσεως crimine, quo comprehenditur subornatio ad caedem et omne insidiarum genus vid. Meier. Pr. Att. p. 312. Forchhammer. de Areopag. p. 31. Hermann. de vestigg. etc. p. 59, qui tamen errare videtur, quum βουλεύσεως actioni tum demum locum fuisse statuit si consilium successu non caruisset, contra diserta veterum testimonia. Ceterum βουλεύσεως haud dubie etiam contra eum agi potuit, qui calumniosa accusatione effecisset ut aliquis ad mortem condemnaretur, quo pertinet Lysiaca causa ctr. Agoratum; atque hinc fortasse explicari potest Demosth. in Aristocr. p. 636, 10, quem locum Meier. Proc. Att. p. 309 non debebat sollicitare.

8) Huc pertinet ὁ τῶν ἀκρίτων νόμος ap. Sext. Emp. Pyrrhon. hyp. III, 24 et Hermog. de inv. 1, 1. Meurs. Them. Att. I, 2. Quinam sint quos ἀκρίτους ἀποκτείνειν licuerit, vid. ap. Dem. in Aristocr. p. 639 in. Add. Matth. p. 151. Mueller. ad Eum. p. 156. Wernsdorf. ad Himer. p. 49. Hermann. de vestigg. p. 49.

ctum negaret, aut etiam iure interfectum contenderet, is si voluntariae et iniustae caedis accusaretur, exceptione fori uti poterat, ut diceret non ab Areopago sed ab Ephetis ad Palladium aut ad Delphinium iudicari causam debere [9]), de qua exceptione decerni a Rege oportebat. Ceterum tres de his rebus disceptationes tribus mensibus instituendae erant, et quarto demum mense causa in iudicium deducenda [10]).

§. LXIII.

Iudicii in Areopago quidem haec erat forma. Agebatur res sub dio, ne scilicet iudices cum polluto, actor cum interfectore propinqui sub eodem tecto forent [1]). Praeerat consessui Rex, deposita corona [2]). Actor et reus solemni iure iurando [3]) ab uno qui ὁρκωτὴς dicitur [4]), adigebantur, ponebaturque in actoris iure iurando etiam hoc, qua-

9) Pollux VIII, 57: *παραγραφὴ — ὅταν τις μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι λέγῃ τὴν δίκην, — ὡς οὐ παρὰ τούτοις κρίνεσθαι δέον, οἷον οὐκ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἀλλ' ἐπὶ Παλλαδίῳ.*

10) Antiphon. de salt. p. 786: *ἔδει τὸν βασιλέα, ἐπειδὴ ἀπεγράψατο, τρεῖς διαδικασίας ποιῆσαι ἐν τρισὶ μησὶ, τὴν δίκην δ' εἰσάγειν τετάρτῳ μηνί.* Cf. Phot. s. v. *προδικασία*, quamquam is male Prytaneum immiscet.

1) Antiph. de caed. Herod. p. 709. Cf. Matth. p. 162 not. 32. Auditores quoque admissos idem ostendit p. 167 et Hermann. de vestigg. etc. p. 48. De nocturno horum iudiciorum tempore unus quod sciam, Lucianus loquitur Hermotim. c. 64. de domo c. 18, testis veterum institutorum parum idoneus.

2) Pollux VIII, 90.

3) *Στὰς ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου καὶ κριοῦ καὶ ταύρου, καὶ τούτων ἐσφαγμένων ὑφ' ὧν δεῖ καὶ ἐν αἷς ἡμέραις προσήκει.* Dem. in Aristocr. p. 642, 12. De rei iure iurando vid. ib. p. 643, 3. Cf. Matth. p. 163. Proc. Att. p. 626. Pertinetne huc Poll. VIII, 142: *τρεῖς θεοὺς ὀμνύναι κελεύει Σόλων, Ἱκέσιον, Καθάρσιον, Ἐξακεστήριον?* ut putat Lobeck. Aglaoph. p. 316. Sed Dinarch. in Demosth. p. 35 *τὰς σεμνὰς θεὰς* dicit.

4) Antiph. de salt. p. 770. Reiskius hunc scribam fuisse credit, nec repugno. Ceterum causa illa Antiphontea apud Palladium acta est; neque tamen dubitavi *ὁρκωτὴν* hinc etiam in Areopagum arcessere.

nam is necessitudine occisum contingeret [5]). Non minus solemni iure iurando etiam testes utrimque producti adigebantur [6]). Orationes ab utroque binae habebantur. Synegoris uti non licebat, neque proferre quae ad ipsam causam non pertinerent, essentque tantum ad iram iudicum aut misericordiam movendam comparata [7]). Dies orandae causae non unus sed duo continui dati videntur. Post priorem actionem reo, si causae diffideret, solum vertere licebat, quo facto, si porro abstineret quibus oportebat, nullae amplius poenae obnoxius erat, bona tamen eius publicabantur [8]). Tertio die suffragia ferebantur [9]), positis duabus urnis, altera aenea, altera lignea, quarum illa condemnantium, haec absolventium calculos reciperet [10]). Pari suffragiorum numero reus absolve-

---

5) Dem. in Euerg. p. 1161, 8 ubi scrib. cum Bekkero: *ὅ τι προσήκων ἐστί*, itidem ut ap. Polluc. VIII, 118: *τί προσήκων ἐστὶ τῷ τεθνεῶτι*.

6) Antiph. de caed. Herod. p. 710. cf. Proc. Att. p. 675. Notandum praeterea, testimonium etiam servis dicere licuisse. Vid. Proc. Att. p. 667 not. 32.

7) Vid. Matth. p. 164 not. 38. Proc. Att. p. 719.

8) Non licuit tamen in exilium ire qui parricidium commisisse arguebantur, quos proinde in vincula datos consentaneum est. Cf. Poll. VIII, 117 et all. ap. Matth. p. 167.

9) Hoc etiamsi nusquam diserte ita testatum legimus, potest tamen probabili coniectura colligi. Nam triduum his in Areopago actionibus legitimum fuisse, et quidem extremo mense, Pollux docet VIII, 117, et Plato quoque huiusmodi causas a iudicibus per triduum continuum cognosci iubet, quamquam paullo alia ratione, Legg. IX p. 855 extr. 856 in. Itaque quum binas orationes utrique datas esse constet vel ex appellatione *προτέρου λόγου* apud Pollucem et *ὑστέρου λόγου* ap. Antiph. de salt. p. 770, 7, commodissimum visum est res ita ut feci in suum quamque diem distribuere. Nisi quis putet, utrisque orationibus uno die habitis, reliquum tempus in interrogationibus iudicum consumptum esse, quales Plato l. l. praescribit. Et sane interrogari litigantes a iudicibus in Areopago non secus quam alibi potuisse nemo dubitabit (cf. Proc. Att. p. 718); huiusmodi tamen Platonicae *ἀνακρίσεως* nullum in Areopago vestigium invenio.

10) Matth. p. 164. 165, qui tamen not. 39 aliena nonnulla admiscet. Cf. et Mueller. ad Eum. p. 161.

batur per Minervae, ut aiunt, calculum[11]). Condemnatus, si iniustam caedem consulto commisisse iudicatus erat, capitis supplicium subibat, cui adesse, si vellet, accusatori licebat, bonaque eius publicabantur[12]). Vulneris occidendi consilio inflicti, ex quo tamen mors non esset consequuta, poena exilium cum bonorum publicatione[13]). Absolutus, prout aut caedem a se plane nullam, aut etiam inconsulto commissam vicisset[14]), aut prorsus erat omni noxa solutus[15]), aut annum patria excedere, bonis tamen salvis, debebat, deinde reversus cum interfecti propinquis in gratiam redire[16]). — Non admodum dissimilis iudiciorum ad Palladium et ad Delphinium forma fuit[17]); sed

11) Cf. qui ab Hermanno citantur Ant. Gr. §. 143 not. 4. De Aeschylei in Eum. loci interpretatione nolo nunc iudicium meum interponere, ne quis me calumnietur partium studio plus quam veritati tribuisse; quamquam qui sobrie omnia perpendit, non magnopere dubitare poterit, utra sententia probabilior sit. Ceterum quod Matth. p. 165 not 42 e Demosth. in Aristocr. p. 647, 6 colligit, actorem, si quintam suffragiorum partem non tulisset, etiam in Areopagiticis iudiciis mille drachmis mulctatum esse, fallitur haud dubie, quandoquidem illo loco non de causa Areopagitica sed de *ἀπαγωγῇ φόνου* agitur. Cf. p. 630. 13 — 16. Et nullum huiusmodi periculum in Areopago fuisse coniicias e Demosth. silentio p. 642, 23—25. Fortasse tamen Areopagitarum arbitrio *ἐπιβολὴ* imponi potuit, quemadmodum, qui institutam actionem deseruisset, *ἐπιβολῇ* mulctatum Aeschines ostendit de fals. leg. p. 269. 270.

12) Demosth. in Aristocr. p. 642, 29. Matth. p. 168 not. 48. Ast. ad Plat. Legg. p. 456.

13) Lys. adv. Simon. p. 155.

14) Exemplum rei ab Areopago ita absoluti, ut comisisse quidem caedem, sed inconsulto iudicaretur, habet Aristot. Magn. Mor. 1, 17. 18. Aliud non caedis, sed tamen *βουλεύσεως* damnati Demosth. in Conon. p. 1264, 20.

15) Vid. locc. a Matth. p. 151 not. 12 laudatos.

16) De annuo exilio (*ἀπενιαυτισμῷ*) cf. Matth. p. 169 not. 53. Ast. ad Plat. Legg. p. 449. Hermann. de vestigg. p. 51. De reconciliatione gratiae cum interfecti propinquis vid. infr. §. 65.

17) Sub dio haec quoque fuisse vel Antiphontis locus docet not. 1 laudatus. De iure iurando actoris et rei vid. Demosth. in Aristocr. p. 643, 22. in Euerg. p. 1160 extr. or. in Neaer. p. 1348, 13. De interdicto, ne aliena a re dicerentur, Antiph. de salt. p. 766.

condemnatis summum supplicium imponi non potuisse videtur. Itaque si quis caedem, quam ipse aut involuntariam aut etiam iustam fuisse defenderet, consulto ac nefarie perpetrasse iudicatus erat, is exilio tantum et bonorum publicatione puniebatur[18]). *Βουλεύσεως* poena eadem fuit[19]). — In Phreatto, qui locus in Piraeeo erat[20]), ephetae iudicabant, si quis, qui propter caedem involuntariam patria cesserat, ante reditum impetratamque a propinquis occisi veniam alius caedis, eiusque consulto factae, accusaretur[21]). Hoc genus causarum longe rarissimum fuisse apparet. Sed si quando incideret, ut aliquis tale iudicium subiret, hunc, quum ingredi Atticam nefas esset, navigio appellere oportebat ad locum illum in Piraeeo, sed ita ut neque descenderet in terram neque scalae aut anchorae iacerentur, audiri tamen eius vox a iudicibus in littore sedentibus commode posset. Cognita causa si absolveretur, nihil nisi revertendum erat in temporarium illud propter priorem caedem exilium; si condemnaretur, legitimam voluntariae caedis poenam subibat. — Denique ad Prytaneum non tam vera iudicia quam species quaedam iudicii dicis ac religionis causa peragebantur. Primum enim si ignoraretur interfector,

---

18) Ex hoc genere est causa Lysiaca de caede Eratosthenis. Hunc adversarii accusabant iniustam caedem perpetrasse, quippe quum adulterum non eo modo, quem lex praescribebat, interemisset, sed insidiose illectum abreptumque in domum suam confugientemque ad aram trucidasset. Vid. p. 29 et 42. Poenam vero quam metuat ostendit p. 46: *περὶ τοῦ σώματος* (non *π. τῆς ψυχῆς*) *καὶ περὶ χρημάτων καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων κινδυνεύω.*

19) Huc pertinet causa Antiphontea de caede saltatoris. Reus *βουλεύσεως* accusatus erat (v. p. 772. cf. Forchhamm. de Areop. p. 29); poenam metuit exilium et *ζημίαν*, p. 762. 764. 765.

20) Et quidem *ἐν Ζέᾳ*, unde etiam *τὸ ἐν Ζέᾳ δικαστήριον* dicitur Lex. Seguer. p. 311, 17: quamquam perperam ibi tanquam diversum a Phreatto commemoratur. De Zea cf. Leake p. 340 et 467.

21) Vid. locc. ap. Matth. p. 155. Petit. p. 620.

22) Aristot. Polit. IV, 13, 2.

poena in eum, quicunque esset, pronunciabatur[23]): deinde si instrumenta caedis perpetratae adessent, ipso interfectore ignoto, illa extra fines Atticae asportari Ephetae cognita causa iubebant[24]), asportabantque *οἱ φυλοβασιλεῖς*, qui horum ad Prytaneum consessui praeerant[25]). Idem de rebus inanimis fiebat, quae casu fortuito mortem homini intulerant[26]). Denique etiam bruta, quae hominem interemerant, Ephetarum ad Prytaneum decreto interfecta et asportata videntur[27]).

§. LXV.

Haec omnia iudicia etiam Demosthenica aetate supererant, sed non amplius in omnibus Ephetae sedisse videntur. Nam de caede voluntaria apud Palladium quingenti ab auctore orationis in Neaeram[1]), septingenti ab Isocrate[2]) iudices commemorantur, quos Heliastas fuisse manifestum est. Quodsi illud iudiciorum genus Ephetis ademptum

---

23) Pollux VIII, 120: *περὶ τῶν ἀποκτεινάντων κἂν ὦσιν ἀφανεῖς.* Cf. et Plat. Legg. IX p. 874 A.

24) Hoc etiamsi Pollux l. l. non diserte commemorat, manifestum tamen fit ex iis quae de huius iudicii origine Pausanias tradit 1, 28, 11, et quae in Buphoniis s. Diipoliis perpetuo observata esse multi commemorant. Vid. qu. cit. Meier. de gentil. Att. p. 46.

25) Pollux VIII, 120. Meier. Proc. Att. p. 116. 117.

26) Pollux l. l. Demosth. in Aristocr. p. 645, 14 et all. op. Matth. p. 152.

27) Id Plato sancit Legg. IX p. 873, neque dubium videtur quin Athenis idem ius fuerit. Ceterum cf. etiam Aelian. Hist. Anim. XII c. 34 extr.

1) Pag. 1348. Forchhammer. de Areop. p. 35 nihil probari hoc loco contendit, si ad codicum auctoritatem corrigatur. Sed in codd. varietas lectionis nulla est, nisi quod in duobus aut tribus pro *ἐκ πεντακοσίων ἀνδρῶν* scriptum est *ἐκ πεντακοσίων δραχμῶν*. Hoc verum esse ipsum Forchhammerum non credere certo scio: orator neutrum, neque *ἀνδρῶν* nec *δραχμῶν* scripsisse videtur.

2) Isocr. in Callim. c. 21. De huius quoque loci integritate Forchhamm. ut dubitare liceat postulat: qua autem ratione postulet non exponit.

est, probabile videtur ne ea quidem iis relicta esse, quae de caede iusta ac licita ad Delphinium agebantur, quandoquidem haec quoque, ut quae nec rara admodum nec levis momenti essent, maluit haud dubie populus ab iis, qui ex omni civitate promiscue sumerentur, quam a solis nobilibus, quales Ephetae erant, haberi. Neque tamen prorsus sublatos esse Ephetas constat: munia vero, praeter illa in Phreatto et ad Prytaneum iudicia, quibus cur hos privatos credamus nulla causa probabilis excogitari potest, haec tantummodo eorum fuisse videntur. Primum si quis homicidam exulantem abstinentemque iis omnibus, quibus eum abstinere oportebat, interfecisset tamen aut interficiendi auctor fuisset, de huius culpa Ephetae cognoscebant [3]). Deinde si homicidium esset inconsulto commissum, neque esset quisquam e propinquis, qui aut persequeretur homicidam in iudicio aut veniam ei daret culpamque remitteret, tunc Ephetae, si ipsis constaret homicidium inconsulto commissum esse, e phratoribus interfecti creabant decem viros, aut e nobilissimis, aut, quod verius puto, ex iis qui occisum cognatione proxime contingebant, qui cum interfectore in gratiam redirent, quo ille tuto in patria manere posset. Licuit tamen his id recusare illumque ad ἀπενιαυτισμὸν cogere, si plures eorum id mallent [4]). — Condonari autem homicidii crimen poenaque omnis remitti poterat primum ab ipso interfecto, quem si morientem interfectori ignovisse constabat, hunc propinquis persequi haud licuit [5]). Expiandam tamen caedem caerimoniis quibusdam et ritibus

---

3) Demosth. in Aristocr. p. 631 extr. 632 in., ubi ipsa lex adscripta est. Sed legenda utique etiam Demosthenis interpretatio est usque ad p. 633 med.

4) Vid. lex ap. Dem. in Macart. p. 1069, ubi pro ἀριστίνδην fortasse ἀγχιστίνδην scribendum est. Nonnihil de huius legis sententia paullo post dicemus, not. 11.

5) Demosth. in Pantaen. p. 983, 20. Cf. Matth. p. 160. Ast. ad Plat. Legg. p. 451.

fuisse non dubium est [6]). Deinde a propinquis, si quidem his ille qui interfectus erat non mandaverat diserte ut se ulciscerentur [7]). Nam eiusmodi mandatum negligere summae haud dubie impietatis habebatur, nec per fas aut leges licitum. Sed etiam non mandatam ultionem omitti a propinquis tum demum sine piaculo potuisse arbitror, si caedes non voluntaria esset. Alias qui inultas sinerent conversarenturque cum interfectore, a quolibet impietatis accusari poterant, cuius criminis si convicti essent, ipsi poena arbitraria afficiebantur [9]), interfectori haud dubie aqua et igne

---

6) Conf. Antiph. de salt. p. 764.

7) Hoc est ἐπισκήπτειν ἐπεξιέναι. Lys. in Agor. p. 469 et 510. Antiph. or. 1 p. 605 in. et 620, 4. or. 5 p. 656, 13.

8) Demosth. in Androt. p. 593. Ne quis autem credat impietatis actionem tum demum intendi potuisse, si quis familiarius cum interfectore propinqui conversaretur, non autem si omitteret tantummodo persequutionem, obstare videtur Platonis auctoritas: quamquam hic ne involuntariae quidem caedis omissam ultionem impunem esse vult. Legg. IX p. 866 B. 868 B. 871 A. B. — Quod autem Meierus de bon. damn. p. 22. Proc. Att. p. 308. de gentil. Att. p. 19 not. 153 etiam caedem consulto commissam remitti a propinquis per leges potuisse contendit, fallitur haud dubie. Primum enim ap. Demosth. in Pantaen. p. 983, 18 itemque ctr. Nausim. p. 991, 2 codices praeter unum omnes ἀκουσίου habent, non ἑκουσίου; illudque verum esse recte ab Hudtwalckero demonstratum est de diaet. p. 166 not. 11, cuius disputationem si Schaeferus legisset, non, opinor, alterius lectionis patrocinium suscepisset. Neque vero ad ea quae or. in Pantaen. p. 983, 23—27 leguntur, Meierus provocare debebat, quippe quae manifesto de eo tantum agant, cui caedes ab ipso interfecto remissa sit. Multo minus exemplum illud, quod commemorat or. in Theocr. p. 1330, 28, quidquam probat, quum non constet utrum involuntaria illa caedes an voluntaria fuerit: et ut fuerit voluntaria, ex eo quod ab homine impuro propter lucri cupiditatem factum est, de legibus et iure coniectura fieri non debet. Denique de iure testimonium satis disertum extat ap. Demosth. in Mid. p. 528, 5—9, quo ἑκουσίου φόνου nullam αἴδεσιν legibus concessam fuisse appareat. Ceterum hoc fortasse non raro fiebat, ut qui nollet interfectorem propinqui vita, sed tantummodo bonis et patria privare, propter hanc ipsam causam, etiamsi caedem consulto et nefarie commissam crederet, non tamen apud Areopagum sed apud Palladium reum fieri pateretur, ubi etiamsi condemnatus esset non tamen morte puniretur.

9) Nam ἀσεβείας γραφὴ τιμητός. Vid. Proc. Att. p. 306.

interdicebatur [10]). Involuntariam vero caedem post annuam absentiam reconciliatamque cum propinquis occisi gratiam lustrationibus quibusdam piari leges iusserunt, atque etiam absque illa absentia, si propinquis videretur, piari permiserunt [11]).

§. LXVI.

Praeter illud de quo dictum est genus iudiciorum Areopagitis a Solone etiam alia negotia plurima imposita erant, quorum pleraque et gravissima ad frenandam salubriter populi libertatem, tuendam legum auctoritatem servandamque publicam civitatis disciplinam pertinebant [1]). Primum in comitiis, etiamsi illud probari nequit, quod nonnulli crediderunt, reprehensorem eorum Areopagum ita fuisse, ut quae scivisset populus illo intercedente irrita fierent [2]), hoc tamen vix dubitari posse videtur, quin moderandis populi conci-

---

10) Id colligi potest e Demosth. in Androt. p. 593, 20. 21.

11) Dem. in Pantaen. p. 983, 19. De tali expiatione et reconciliatione sine *ἀπενιαυτισμῷ* accipienda est lex ap. Demosth. in Macart. p. 1069, ubi verba *ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ* significant necessitatem *αἰδέσεως* interfectori impositam. Huic, ut in patria manere liceat, necesse est *αἰδέσασθαι* propinquos, qui tamen *αἴδεσιν* negare eumque ad *ἀπενιαυτισμὸν* cogere possunt. Post *ἀπενιαυτισμὸν* vero consentaneum est reditum in patriam atque *αἴδεσιν* negari a propinquis non amplius potuisse, quippe quum legi satis factum esset. Neque obstant huic sententiae verba legis ap. Demosth. in Aristocr. p 644: *φεύγειν ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος*, si statuas aliquem horum cogi potuisse ut *αἰδέσεως* ritum perficeret. Sententia igitur legis haec est, ut *αἴδεσιν* ante perfici iubeat, quam ille in patriam revertatur. De *αἰδέσασθαι* verbo cf. Ast. ad Platon. Legg. p. 448 sqq. et de ritu Mueller. ad Eum. p. 144. Pertinent huc *τὰ ὑποφόνια*, quorum Harpocr. meminit, et quae data esse ait propinquis *ἐπὶ τῷ μὴ ἐπεξέρχεσθαι μηδὲ γενέσθαι τὴν τοῦ φόνου δίκην*. Cf. Lex. Seguer. p. 313.

1) Plut. Sol. c. 19: *τὴν δ' ἄνω βουλὴν ἐπίσκοπον πάντων καὶ φύλακα τῶν νόμων ἐκάθισεν, οἰόμενος ἐπὶ δυσὶ βουλαῖς ὥσπερ ἀγκύραις ὁρμοῦσαν ἧττον ἐν σάλῳ τὴν πόλιν ἔσεσθαι καὶ μᾶλλον ἀτρεμοῦντα τὸν δῆμον παρέξειν.*

2) Vid. G. Schwab, quaestio num quod Areopagus in plebiscita aut confirmanda aut reiicienda ius exercuerit. Stuttgard. 1818. 4.

liis una cum Prytanibus praefuerint etiam Areopagitae viderintque ne quid ferretur, neve de eo suffragium daretur, quod legibus contrarium aut rei publicae perniciosum esse censerent: quae potestas Periclis et Ephialtae consilio adempta Areopago traditaque Nomophylacibus esse perhibetur [3]. Porro magistratibus quoque Areopagitae invigilabant eosque, si opus esse videretur, reprehendebant aut mulctabant [4], sin gravius deliquissent, inquisitione instituta indicabant haud dubie populo, qui aut ipse meritam iis poenam imponeret aut heliastis cognitionem mandaret. Eodem modo etiam privatorum saepe maleficia inquirebant

---

3) Philoch. in append. Phot. Pors. p. 674, de nomophylacibus: *καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐν τῇ βουλῇ μετὰ τῶν προέδρων ἐκάθηντο κωλύοντες τὰ ἀσύμφορα τῇ πόλει πράττειν· ἑπτὰ δὲ ἦσαν, καὶ κατεστάθησαν, ὡς Φιλόχορος, ὅτε Ἐφιάλτης μόνη* (scr. *μόνα*) *κατέλιπε τῇ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῇ τὰ ὑπὲρ τοῦ σώματος.* In his ut non recte dictum sit *τὰ ὑπὲρ τοῦ σώματος* pro *τὰ φονικά*, erratumque etiam in numero nomophylacum, de quo tamen nihil affirmari potest, hoc certe propter Philochori auctoritatem non licet dubitare, traditam ab Ephialte nomophylacibus potestatem olim Areopagi fuisse. Ceterum hi ipsi haud dubie non diuturni fuerunt, quandoquidem neque apud Aristophanem neque apud oratores ante Dinarchum, neque apud aliud quemquam inter Periclem et Alexandrum scriptorem mentio eorum facta invenitur. Restituti autem postea a Demetrio Phalereo sunt. Vid infr. c. 10 §. 94. Cf. Boeckh. de Philoch. p. 25—27. Quod autem Boeckhius de nomophylacibus ab Ephialte institutis dubitat, eiusque dubitationis hanc quoque rationem affert, quod Philochorus, si illud tradidisset, scripturus de hac re libro III, non libro VII fuisset, in quo de iis scriptum esse ex Harpocr. s. v. *νομοφύλακες* constat: huius argumenti mihi nullum pondus esse videtur. Qui enim scimus Philochorum non etiam libro III illud ipsum scripsisse, quod nos supra ex append. Phot. posuimus? Scilicet breviter tantummodo nomophylacum hoc libro mentionem fecit, ut qui mox rursus aboliti sint; copiosior autem eorum mentio facienda fuit lib. VII, quum de Demetrio Phalereo narraret, isque liber ab Harpocr. citatur propterea quod pertinebat ad eum quem ob oculos habebat Dinarchi locum illustrandum. Quod Ullrichium suspicatum esse Boeckhius scribit, nomophylaces in append. Phot. commemoratos non alios quam undecimviros esse, admodum improbabile est.

4) Orat. in Neaer. p. 1372. Et tribuitur hoc quoque nomophylacibus, *τὰς δὲ ἀρχὰς ἠνάγκαζον τοῖς νόμοις χρῆσθαι*, append. Phot. l. l., atque post Euclidem rursus Areopago mandatum est. Vid. not. 19.

Areopagitae partim sua sponte partim populi mandato [5]), eaque aut vindicabant ipsi aut vindicanda curabant. Neque maleficia solum, sed quidquid contra bonos mores disciplinamque publicam committeretur animadvertebant [6]), quo pertinet imprimis quod eos et de inertiae crimine cognovisse comperimus [7]) et luxuriam dissolutamque vivendi licentiam coercuisse [8]), quo in negotio adiunctos sibi postea habebant *γυναικονόμους* s. *γυναικοκόσμους* [9]). Neque alienum hac cura illud est, quod videbant etiam ne publica urbis loca viaeque aut occuparentur a privatis [10]), aut minus decore et commode haberentur [11]). Porro puerorum disciplinae invigilabant et magistros gymnasiis a se probatos praeficiebant [12]). Praecipue autem etiam ad religionem, utpote firmissimum omnis publicae disciplinae munimentum, Areopagitarum cura pertinebat, ne quis temere nova numina aut peregrinas caerimonias adscisceret [13]), neve recepta publice

---

5) Dinarch. in Demosth. §. 50 Bekk. cf. §. 4. 58. 62. 82. Licuisse tamen Areopago mandatam sibi inquisitionem recusare colligi potest e §. 10. 11.

6) Cf. imprim. Isocr. Areop. c. 14. 16. 18 cum Bergman. comm. p. 139.

7) Vid. Meier. Proc. Att. p. 298 sq.

8) Id. ib. p. 299 de *γραφῇ κατὰ τῶν τὰ πατρῷα κατεδηδοκότων*. De aliis in univ. cf. Athenae. IV p. 168 A. Plutarch. Solon. c. 22.

9) Cf. cap. 9 §. 94, 7.

10) Heraclid. Pont. c. 1 p. 4 Koel.

11) Huc pertinet Aeschin. in Timarch. p. 104, de quo loco cf. de comitt. p. 294. Atque ex hac urbis et aedificiorum cura etiam hoc fortasse explicandum, quod de incendiariis Areopagus iudicabat.

12) Si fides auctori Axiochi cap. 7. 8. Sed vid. infr. c. 8. §. 85, 1. In univ. cf. Isocr. Areop. c. 17.

13) Vid. Harpocr. s. v. *ἐπιθέτους ἑορτάς*. Cf. de comitt. p. 300. Non satis circumspecte Lobeckius iudicare videtur Aglaoph. p. 667.

sacra violaret[14]): quamquam nonnullis horum Eumolpidae iudices et vindices proprii erant[15]). Sacerdotes etiam Eumenidum ab Areopago constituebantur[16]), itemque custodes olearum sacrarum, quarum si quis aliquam temere laesisset, apud Areopagum reus fiebat[17]). — Ceterum potestas Areopagi, maxima olim et vix certis finibus circumscripta, magno opere post a Pericle per Ephialten imminuta est[18]), ac licet eam post exactos triginta tyrannos restitui placuisset[19]), talis tamen, qualis initio fuerat, nunc propter mutatos civitatis mores multaque ad augendam plebis potentiam instituta, quae eripi sibi haec non sineret, reddi Areopago nulla lege potuit[20]). Fiebat tamen etiam hac aetate nonnunquam, ut periculosis rei publicae temporibus liberum ei de gravissimis rebus statuendi ius atque arbitrium a populo concede-

---

14) De *ἀσεβείας γραφῇ* olim ad Areopagum, postea etiam ad Heliastas pertinente vid. Meier. Proc. Att. p. 305. cf. de comitt. p. 301.

15) Demosth. in Androt. p. 601 extr. Add. Lys. in Andoc. p. 204. Proc. Att. p. 117. Schol. Aristid. p. 66, 15. 332, 8 Dind.

16) Cf. Mueller. ad Aeschyl. Eum. p. 179, ubi egregie disputatur de ratione, quae Areopago potissimum cum Eumenidum religionibus intercesserit.

17) Vid. Lys. de olea p. 282 ibiq. intt. Add. Meier. Proc. Att. p. 303 not. 18.

18) Veterum hac de re testimonia multi congesserunt, imprimis Luzac. de Socrate cive p. 62 et Forchhammer, de Areop. non privato per Ephialten homicidii iudiciis, p. 13. 14. Judicia *φονικὰ* non adempta Areopago fuisse, mihi quidem Forchhamm. satis probasse videtur (vid. Annall. critt. Berol. ann. 1829 m. Aug. p. 278.) neque refutatus esse a quoquam eorum, qui contra scripserunt, de quibus cf. Jahnii Annall. philol. et paedag. ann. 1831 fasc. 3 p. 347 sqq. et Hermann. Ant. Gr. §. 109, 7.

19) Lege Tisameni. Vid. Andoc. de myst. p. 40: *ἐπιμελείσθω δὲ ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων, ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται.*

20) Hinc Isocratis in Areopagitico querelae de antiqua Areopagi auctoritate et censoria potestate amissa.

retur [21]), aut ipse, quod e re publica esse censeret, suo periculo ageret [22]). Ceterum erant Areopagitae rationibus reddendis obnoxii poterantque in *εὐθύναις* rei fieri [23]). Convictos criminum etiam ipsi e numero suo eiiciebant [24]). Reliqui honorem perpetuum habebant, postquam semel ex praetura in Areopagum recepti erant. [25]).

---

7. De oeconomia rei publicae.

§. LXVII.

Posteaquam de tribus administrandae rei publicae partibus, consilio, magistratibus, iudiciis expositum est, sequitur ut de iis rebus dicatur, quibus tanquam externis vitae subsidiis carere civitas non potest, quaeque ut comparentur comparataeque ut ad utilitatem communem recte dispensentur maximi est ad omnem rem publicam momenti. Sunt

---

21) Dinarch. in Demosth. §. 9: *τὸ συνέδριον ᾧ τὴν πολιτείαν καὶ δημοκρατίαν πολλάκις ἐγκεχείρικεν ὁ δῆμος.* cf. §. 62. De Areopago *κυρίῳ* facto vid. et Demosth. de coron. p. 271.

22) Huc pertinet quod Lycurg. in Leocr. p. 147. 176 et Aeschin. in Ctesiph. p. 643 memorant de proditoribus post pugnam Chaeronensem ab Areopago supplicio affectis. Plerumque suasisse tantum populo aut dissuasisse videtur, velut de imperio Phocioni mandando, ap. Plutarch. Phoc. c. 16.

23) Aeschin. in Ctesiph. p. 408. Quod is dicit *λόγον ἐγγράφειν*, eo spectare videtur, si quid Areopagus egerat quod cum pecuniarum receptione et dispensatione coniunctum esset, qualia nonnumquam commemorantur. Vid. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 166 et Corp. Inscr. I p. 114. Accusari haud dubie unus quisque propter delicta apud logistas potuit, non minus quam aut diaetetae aut quadraginta viri aut senatores e senatu quingentorum.

24) Dinarch. in Demosth. §. 56. Errat autem Platner. I p. 36 §. 6 Demosthenis locum in Conon. p. 1264 huc trahens.

25) Ambigi potest, utrum omnes ex praetura, qui in *εὐθύναις* nullius delicti convicti essent, ipso iure in Areopagum recepti sint, an etiam *δοκιμασία* quaedam apud hunc subeunda fuerit. Cf. Bergman. ad Isocrat. Areop. p. 128. Mueller. ad Aesch. Eum. p. 115.

autem illae res quae pecuniae nomine comprehenduntur, eiusque comparandae et dispensandae rationem oeconomiam appellamus. Versabitur autem nostra nunc quaestio in duabus praecipue partibus: primum ut videamus, quaenam fuerint Atheniensium rei publicae necessitates, in quas pecuniam insumi oporteret, deinde quales et unde fuerint pecuniarum reditus: nam de moderandorum redituum et sumptuum potestate pecuniarumque colligendarum, custodiendarum dispensandarumque cura satis iam supra dictum esse videtur, quum de senatu, comitiis, magistratibus loqueremur.

Necesse est autem, quum de sumptibus ac reditibus agitur nummorumque summae, quae vel redierint vel insumptae sint, commemorantur, etiam rem nummariam ac pretia rerum nummis parabilium nota esse. Sed de pretiis quaestio est admodum obscura et difficilis, non solum quia non multa de iis apud veteres reperiuntur, sed quia maxime haec mutabilia aliaque aliis temporibus fuerunt. Nummorum ratio, quantum quidem ad nostrum consilium pertinet, paucis absolvi potest [1]). Erant igitur hi aut argentei, aut aenei, aut aurei. Ex argenteis usitatissima drachma, centesima pars minae s. librae Atticae, quae uncias Colonienses habet paullo amplius undecim. Pretium drachmae, si cum nostris grosiis comparetur, quorum XXIV unum thalerum efficiunt, aestimari potest circiter sex grosiis: itaque centum drachmae, sive mina, circiter viginti quinque thaleris. Sexagintae minae talentum efficiunt, cuius pretium aestimabitur thaleris mille quingentis. Constabat porro drachma sex obolis, qui et ipsi argentei erant, pariter ac semioboli (ἡμιοβόλια). Ex aere cudebantur chal-

1) Paullulum discedit haec, quam proponimus, nummorum aestimatio ab ea, quae apud Boeckhium est de oec. r. p. A. I p. 15—25: sed debetur haec nostra viri summi δευτέραις φροντίσι, communicataque nobis petentibus ab eo est, mox cum suis rationibus in altera editione oecon. Att. copiosius explicanda.

cei (χαλκοῖ) quorum octoni obolum efficiebant, et lepta (λεπτά) septena in obolum. Dichalcon s. quarta pars oboli modo ex argento erat, modo ex aere. Aurei denique nummi erant stateres, pondere duarum drachmarum, pretio ut plurimum drachmarum viginti h. e. thalerorum quinque. — Pretia rerum, olim permodica, posteris temporibus, aucta auri, argenti, aeris multitudine, non poterant non intendi. Solonis quidem aetate bos quinque drachmis, ovis drachma venales fuisse dicuntur: item hordei medimnus, quae paullo minor est mensura medimno Berolinensi, drachma una aestimabatur [2]). Sed Demosthenis tempore hordei pretium aliquando vel ad sex drachmas auctum est [3]); quamquam raro et in magna annonae difficultate. Nam tritici medimnus hoc tempore, si vilis annona esset, quinque drachmis venibat [4]): Aristophanis aetate tribus drachmis aestimatus videtur [5]). Vini, quale in Attica proveniebat, metreta, quae mensura paullo amplius XXXIII quartarios Berolinenses continet [6]), Demosthenis tempore duabus fere drachmis constabat [7]). Agri arvi plethrum, quod est pedum Rhen. quadr. 9620, si quis medium pretium quaerat, drachmis quinquaginta aestimari posse videtur [8]); boves, quales pro victimis offerebantur, Olymp. CI, 3 septuagenis fere drachmis emptos videmus [9]). Multo maius equorum pretium: viles et vulgares tribus minis ab Isaeo [10]), generosiores vel duodecim minis iam apud Aristophanem aesti-

---

2) Plutarch. Solon. c. 23. Boeckh. l. l. p. 82.

3) Demosth. in Phaenipp. p. 1048, 24. Boeckh. l. l. p. 103

4) Demosth. in Phorm. p. 918.

5) Boeckh. p. 103 ex Aristoph. Eccles. v. 543.

6) Boeckh. p. 107.

7) Id. p. 108.

8) Id. p. 67 sq.

9) Id. p. 82.

10) De Dicaeog. her. §. 43.

mantur[11]). Mancipia bubus cariora, equis viliora erant: quae in metallis opus faciebant, Demosthenis tempore centenis et quinquagenis drachmis aestimari videmus[12]), nec majus fere rusticorum aut domesticorum pretium credi potest[13]). Cariores autem erant servi opifices aut artifices, qui pensiones heris ferebant[14]), aut delicatiores illi, qui luxui et voluptati inserviebant[15]).

§. LXVIII.

Sumptuum primum genus illud ponimus, quod in rem divinam ab Atheniensibus impendebatur; quod quidem tanto apud eos maius erat, quanto plura prae ceteris Graecis omnibus festa Athenis quotannis celebrari solebant[1]), quantoque longius populi ingenium in deorum cultu atque honore a parsimoniae studio abhorrebat. Erant autem sacra alia civibus omnibus communia[2]), alia tribubus, pagis, phratriis, gentibus, familiis[3]), alia collegiis quibusdam et corporibus propria[4]): sed nos nunc de iis tantum loquimur, quae ab omni civitate peragebantur, quamquam etiam reliquo-

---

11) Aristoph. Nubb. v. 20 et 1226.

12) Demosth. in Pantaen. p. 967, 18. 972, 21. Boeckh. p. 74.

13) Id. ibid. 14) Vid. supr. p. 187. 15) Id. p. 76 sq.

1) Xenoph. de r. A. 3, 9: ἄγουσιν ἑορτὰς διπλασίους ἢ οἱ ἄλλοι. Indicem festorum Atticorum vid. ap. Corsin. Fast. Att. diss. XIII, tom. II p. 289—388. Wachsmuth. II, 2 p. 246—257.

2) Δημόσια ἱερά. Harpocr. h. v. Lex. Seguer. p. 240.

3) Ἱερὰ (φυλετικά), φρατορικά, δημοτικά, (γεννητικά), ὀργεωνικά. Cf. supra cap. 2 §. 23, 1. 24, 1. 25, 2, 26, 3.

4) Tales fuerunt θίασοι, de quibus cf. Spanhem. ad Aristoph. Plut. 507. Taylor. ad Demosth. de coron. in Schaef. appar. crit. II p. 337. Boeckh. Corp. Inscr. 1 p. 152 sq. nos ad Isae. p. 423. Huc pertinent νουμηνιασταὶ in Lys. fr. pr. Phania ap. Athen. VII, p. 287 E. et Hesych. h. v., et εἰκαδισταί, de quibus vid. Menag. ad Diog. Laert. VI, 101. Neque minus sexaginta illi, qui in Heracleo Diomensi conventus agere solebant, Athenae. XIV p. 614 coll. VI p. 260, quos Διομειαλάζοντας Aristophanes dicit Acharn. v. 612.

rum multa satis magnifica iisque a quibus celebrabantur admodum sumptuosa erant [5]). Illorum alia veteribus legibus, alia postmodo populi scitis instituta erant [6]): et erant in universum haec recentiora veteribus illis magis splendida et magnifica [7]). Alia porro statis quotannis temporibus alia extra ordinem semel fiebant: alia sacrificiis tantum constabant, aliis etiam pomparum solemnitates ludorumque et certaminum varia genera adiuncta erant, velut Panathenaeis, Thargeliis, Eleusiniis, Dionysiis, Prometheis, Hephaesteis, quorum quanti sumptus fuerint, si quis scenici apparatus magnificentiam, saltatorum, cantorum, actorum eorumque qui gymnicis artibus certaturi erant instruendorum et exercendorum impensas, praemia denique victoribus tributa reputaverit [8]), facile aestimari potest, neque nimis rem augeri a Demosthene censebimus, quum maiores fere in Panathenaea aut Dionysia quam in bellicas quasvis expeditiones sumptus fieri queritur [9]). Horum autem sumptuum etiamsi partem non exiguam privati per liturgias praestabant, recte tamen hoc ipsum, quum rei publicae praestaretur, publice insumptum dicemus: nec certe pauciora etiam e publicis aerariis eroganda restabant. In Panathenaea quidem Olymp. XCII, 3 athlothetis ex aerario Minervae quinque talenta cum mille drachmis,

---

5) V. c. in pagis etiam ludi et gymnici et musici celebrabantur. Vid. comm. in Isae. p. 387. Corp. Inscr. no. 108 p. 150. De epulis communibus tribulium et paganorum vid. infr. §. 79, 13.

6) Vid. Harpocr. s. v. ἐπιθέτους ἑορτάς. Lex. Seguer. p. 253. Mirificus est Bremii error, qui ad Lys. in Nicom. §. 20 Solonis legibus tria non amplius talenta annuis sacrificiis destinata fuisse e Lysiae loco male intellecto colligit. Neque tamen Boeckhio assentior, qui de oec. A. 1 p. 227 tria illa talenta uni cuidam festo destinata censet.

7) Isocrat. Areop. c. 11. Bergman. comm. p. 116 sq. Boeckh. 1 p. 226.

8) Cf. exempla apud Boeckhium p. 132 et 229.

9) Demosth. Philipp. I p. 50, 3.

sacrificulis autem in unam hecatombam drachmas quinquies mille centum quattuordecim numeratas legimus [10]): et Ol. CXI, 3 ex divenditis victimarum, quae per septem menses publice mactatae erant, pellibus quinque amplius millia drachmarum confecta sunt [11]), ut appareat quam ingens earum numerus fuerit. Huc accedebat, ut etiam extra Atticam festis plurimis concelebrandis sumptus de publico non mediocres faciendi essent, quum theori Delum, Delphos, Olympiam, Nemeam, ad Isthmum aliaque loca mitterentur, qui etiamsi partem aliquam impensarum de suo erogabant, plurima tamen res publica suppeditabat [12])

§. LXIX.

Augebantur autem festorum sumptus mirum in modum largitionibus illis, quae θεωρικῶν nomine appellantur. Postquam enim magnum illud in Limnis theatrum e lapide constructum [1]), tuendique eius et ad usum ludorum instruendi cura redemptoribus demandata erat [2]), hi pretia locorum a spectatoribus exigebant, unde et illa efficerent, et vectigal quoque rei publicae pactum solverent [3]). Pericles autem ne quis propter paupertatem a communi laetitia excluderetur, legem tulit [4]), ut ludo-

---

10) Corp. Inscr. no. 147 v. 5. 6. Cf. Boeckh. oec. A. II p. 165.

11) Corp. Inscr. no. 157 v. 5—29. Boeckh. l. l. p. 248 sqq.

12) Id. ib. I p. 230.

1) Cf. supra c. 4 §. 30, 7. Libanii et Ulpiani opinio de ligneo etiam Periclis aetate theatro ad Demosth. Olynth. 1 tom. V p. 13 Wolf. et argum. Olynth. 1 p. 8, 8 Reisk. ex quo fonte manarit nemini obscurum esse potest.

2) Redemptorem Demosth. pr. coron. p. 234, 23 ἀρχιτέκτονα, Aristoph. ap. Polluc. VII, 199 θεατροπώλην, Theophrast. char. XI, 3 θεατρώνην dicit.

3) Hoc satis tuto colligi potest ex inscriptione de legibus locationis theatri Piraeensis, Corp. Inscr. no. 102.

4) Plutarch. Pericl. c. 9. Boeckh. 1 p. 236.

rum scenicorum diebus pauperiores pretium illud, quod binorum vulgo obolorum erat[5]), de publico acciperent. Ab his initiis orta res mox longius processit, adeo ut in festis plerisque, etiam si ludi scenici nulli essent, tamen illa pecunia plebi divideretur, bini in singulos dies festos oboli, quaterni in biduum, drachma in triduum: nam ultra drachmam non videtur datum esse[6]). Et Demosthenis quidem aetate illam pecuniam nequaquam pauperiores tantummodo accipiebant[7]). Quanta autem in has largitiones pecunia insumpta sit, vel hinc patet quod Ol. XCII, 3 a quaestoribus Minervae in diobeliam, h. e. in theorica, tertia eius anni prytania duo talenta, quarta prytania octo talenta cum mille amplius drachmis, quinta prytania quattuor talenta cum bis mille ducentis drachmis, septima denique prytania duo talenta cum drachmis mille ducentis triginta duabus numerata legimus[8]): quae quum Hellenotamiis numerata dicantur, probabile est, in subsidium tantum horum aerario, ex quo ista largitio eroganda esset[9]), pecuniam ex altero aerario datam, neque esse igitur illam omnium quae illo tempore distributa sint theoricorum summam[10]).

§. LXX.

Aliud minus sumptuosum multoque laudabilius largitionum genus a Solone[1]) vel, ut alii

---

5) Demosth. pr. coron. p. 234, 23 c. not. Schaeferi. Hinc etiam διωβελίας nomen de theoricis. Boeckh. p. 238.

6) Boeckh. p. 238 sq.

7) Pseudodemosth. Philipp. IV p. 141, 18.

8) Corp. Inscr. no. 147 v. 10. 12. 14. 22. 23. Boeckh. oec. A. p. 168 sqq.

9) Vid. infr. §. 77 extr.

10) Boeckhius 1 p. 241 annuam summam XXV — XXX talentis aestimat.

1) Schol. Aeschin. tom. II p. 738 Reisk.

perhibent, a Pisistrato [2]) institutum fuit, ut pauperiores cives, qui vulneribus in bello acceptis invalidi facti essent, stipem de publico acciperent. Hoc postea in eos omnes translatum, qui propter corporis infirmitatem ad quaestum faciendum minus idonei, censuque infra tres minas essent. His enim populi iussu singuli aut bini oboli diurni dabantur [3]). Dispensationem senatus curabat quaque prytania: erat autem iis, qui quid accepturi essent, probatio subeunda [4]), in qua potuit etiam, qui vellet, eos tanquam indignos illo beneficio aut non egentes arguere [5]). Similiter etiam orbis liberis, quorum patres in bello obierant, alimenta de publico praebebantur usque ad duodevigesimum aetatis annum [6]). Denique in annonae angustiis frumentum publice coemptum plebi aut gratis aut modico pretio distribuebatur [7]).

§. LXXI.

Sequuntur varia mercedum et salariorum genera. Primum merces comitialis, *τὸ ἐκκλησιαστικόν*, de qua supra dictum est [1]), cuius annua summa, postquam triobolum dari coepit, facile vel triginta aut triginta quinque talenta effecisse videtur [2]). Porro senatorum merces, *τὸ βουλευτικόν*, drachma diurna [3]), quam si quadringentis circiter senatoribus diebus circiter trecentis [4]) numeratam statua-

2) Plutarch. Solon. c. 31.

3) Harpocrat. Suid. Hesych. s. v. *ἀδύνατοι*. Lex. Seguer. p. 245. Cf. Boeckh. 1 p. 261 sqq.

4) Aeschin. in Timarch. p. 123 sq.

5) Lysias pr. invalido p. 739 sqq. cf. de comitt. p. 197.

6) Thucyd. II, 46 ibiq. intt. Aristot. Polit. II, 5, 4.

7) Boeckh. I p. 96 sq.

1) Vid. §. 11, p. 180.

2) Boeckh. I p. 249.

3) Vid. c. 3 §. 27, 8.

4) Nam neque omnes quingentos semper adfuisse, neque quotidie senatum habitum esse supra vidimus c. 3 §. 29, 2. 3.

mus, talenta efficiuntur annua vicena [5]. Judicialis mercedis, τοῦ δικαστικοῦ, annuam summam Aristophanes consulto supra modum exaggerans centum quinquaginta talentis aestimat [6]: verius octoginta fere aut etiam centum talenta poni possunt, quum neque, quod ille sumpsit, trecentis quotannis diebus iudicia haberentur, neque omnes semper heliastae in iudiciis adessent [7]. — Magistratibus certa salaria nulla fuisse constat: qui autem extra ordinem aliquid publici negotii administrare a populo iubebantur, his etiam mercedem dari consentaneum fuit [8]. Ita publicarum causarum patronos, συνηγόρους, συνδίκους, drachmas singulas pro singulis causis accepisse legimus [9], legatisque Aristophanis aetate pro viatico binae aut trinae diurnae drachmae numerari solebant [10]. Item qui extra ordinem nonnunquam mittebantur ad sociorum civitates inspiciendas, non gratuitam rei publicae operam praestitisse videntur [11]: quamquam utrum ex Atheniensium an ex illorum ad quos missi erant aerario mercedem acceperint non liquet. Porro gymnasiorum praefecti, σωφρονισταί, decem quotannis a populo creati, singulas drachmas diurnas de publico accipiebant [12]. Medicos

---

5) Paullo aliter Boeckh. I p. 250.

6) Aristoph. Vesp. v. 660.

7) Cf. Proc. Att. p. 152 sq. — Nomothetarum quoque merces non praetermittenda est. Demosth. in Timocr. p. 706, 23.

8) Vetabat tamen lex μὴ διχόθεν μισθοφορεῖν. Demosth. l. l. p. 739, 6.

9) Aristoph. Vesp. v. 689.

10) Id. Acharn. v. 66. Haec merces ἐφόδιον dicitur a Demosth. de f. leg. p. 390, 23. Theophrast. char. 11, 3. πορεῖον ab Etymol. M. Ceterum apparet legatis pecuniam ad rationem temporis, quod in legatione consumendum fore videretur, praenumerari solitam, ea haud dubie condicione, ut, si diutius abesse cogerentur, acciperent post reditum quantum deesset. Ita explic. Demosth. l. l.

11) Aristoph. Avv. v. 1023 sq.

12) Lex. Seguer. p. 301. Phot. s. v. σωφρονισταί. Boeckh. p.

quoque publicos Athenis fuisse satis constat [13]), eorumque nonnullos, qui eximia arte excellerent, admodum lautis salariis conductos esse legimus [14]). Denique omnibus, qui magistratibus apparebant, scribis, praeconibus, sagittariis s. Scythis aliisque publicis ministris, quorum magna multitudo fuit, salaria praeberi necesse erat [15]).

§. LXXII.

In rem militarem ac navalem etiam pacis tempore aliquid impensae faciendum erat. Equites enim, quos initio trecentos, mox sexcentos, deinde mille, ac, si hippotoxotae adnumerentur, mille ducentos fuisse constat [1]), primum quum conscribebantur *κατάστασιν* s. aes equestre accipiebant, quo se equosque instruerent ac pararent [2]), deinde *σῖτον*, aes hordearium, ad equos alendos [3]). Quodsi mille ducentos equos numeres, et triobolum in singulos diurnum, talenta efficiuntur annua quinque et triginta [4]). — Erant porro duae triremes, Salaminia s. Delia et Paralia, ad theorias legationesque transvehendas aliaque publica ministeria semper instructae parataeque [5]), quarum nau-

---

256. Ceterum quam vetus hic *σωφρονιστῶν* magistratus videri debeat, non liquet. Cf. quae infra dicentur cap. 8 §. 85, 1.

13) Boeckh. I p. 132. Cf. schol. ad Aristoph. Acharn. 1040. 1042. Teles ap. Stobae. II p. 83 Gaisf. Spanhem. ad Aristoph. Plut. v. 408. Wernsdorf. ad Himer. p. 872. Schneider. ad Aristot. Polit. II, 4 extr. p. 108. Schubert. de aedil. p. 73.

14) De Democede vid. Herodot. III, 131. de Hippocrate Soran. vit. Hipp. tom. II p. 953 ed. v. d. Linden.

15) Boeckh. I p. 257.

1) Vid. C. F. Hermann. de equitt. Att. (Marburg. 1835. 4) p. 36.

2) Hermann. l. l. p. 31—33.

3) Corp. Inscr. no. 147 v. 3. 8. 9. 12. 24.

4) Xenophon, Hipparch. 1, 19, quum prope quadraginta quotannis talenta in equites insumpta dicit, aes equestre aliasque quae quandoque inciderent impensas adnumerasse videtur.

5) Boeckh. I p. 258.

tis quaterni oboli diurni numerabantur, erantque certae quaedam in utramque pecuniae assignatae, earumque dispensatores s. ταμίαι [6]). Sumptus in eos annuus sedecim fere talentis aestimari posse videtur [7]). Alias ad belli usum triremes viginti quotannis Themistoclis consilio Athenienses aedificasse dicuntur [8]), qui numerus utrum posthac perpetuo servatus sit non constat; aliquot semper aedificatas, eamque curam senatui quingentorum demandatam fuisse supra diximus [9]). Armamenta quoque navium publice comparanda erant [10]), neque minus militarium armorum copia [11]), quibus instruerentur, si quando tenuiores, qui ipsi arma non haberent, armari placuisset.

§. LXXIII.

His adiungimus opera publica varii generis, navalia [1]), armamentaria [2]), munimenta urbis, moenia [3]), fossas [4]), aquas [5]), vias [6]), porticus, gym-

6) Ταμίας τῆς παράλου populi suffragiis creatus commemoratur a Demosth. Mid. p. 570, nec dubitari potest etiam Salaminiae suum ταμίαν fuisse. Cf. Boeckh. p. 184.

7) Vid. id. ibid. p. 259, ubi etiam de Ammonide, Antigonide, Demetriade, Ptolemaide, quae posterioribus temporibus publicae triremes illarum similes fuerunt.

8) Diodor. XI, 43. cf. Plutarch. Themist. c. 4.

9) Cap. 3 §. 28, 8.

10) Nam haec non semper a trierarchis praebita esse satis constat e Demosth. in Polycl. p. 1208, 17. 1215, 3. 18.

11) Cf. psephisma de Lycurgo ap. Pseudoplutarch. vitt. X oratt. p. 852 C.

1) De his vid. Harpocr. s. v. νεώρια. Add. Isocr. Areop. c. 27 c. comm. Bergm. p. 173 sq. Meurs. Fortun. Ath. c. 7.

2) Σκευοθήκη. Pseudoplut. vitt. X oratt. p. 852, C. Meurs. l. l.

3) Boeckh. I p. 219.

4) Aeschin. in Ctesiph. p. 425. 629.

5) Schubert. de aedil. p. 85.

6) Id. ib. p. 86. cf. Boeckh. I p. 217.

nasia, dicasteria, theatra, templa aliaque; ne de artis operibus dicamus, statuis tabulisque pictis, in quae omnia quantum florente re publica pecuniae insumptum sit, nemo ignorat [7]). Haec atque talia, etiamsi semel facta in longum tempus durant, plerisque tamen subinde reficiendis tuendisque impensae identidem faciendae sunt, ut has quoque annuis sumptibus adnumerari oporteat. Postremo loco commemoranda sunt, quae honoris aut praemii causa eroganturː hospitalia dona legatis exterarum civitatum praebita [8]), epulum in prytaneo aut victus quotidianus, tituli, imagines, coronae aliaque id genus plurima [9]). Haec omnia qui reputet, eaque de quibus certius aliquid statui potest cum iis quae certam aestimationem non admittunt, probabili ratione componat, non dubitabit profecto, quin Atheniensium rei publicae administratio, etiam quietis temporibus et si maiores sumptus extraordinarii nulli faciendi essent, quotannis tamen quingentis fere talentis constare solita sit. De bellorum vero impensis loqui longum est et difficile, ut quae omnium maxime variae sint nullosque certos fines habeant. Itaque unum genus commemorabimus, stipendia inde a Periclis aetate militibus dari solita [10]). Eorum magnitudo alia erat aliis temporibus [11]): gregario militi modo diobolum diurnum, modo etiam drachma dabatur, totidemque pro cibariis [12]): centurio duplum, eques aut duplum aut

7) De his omnibus cf. Meurs. de fort. Ath. passim. Boeckh. 1 p. 215 sqq. Add. et Boettigeri Andeutungen zu vierundzw. archäologischen Vorles. p. 77. Plutarch. Pericl. c. 12. 13 et Leake topogr. Ath. p. 426 sqq.

8) Vid. exempla ap. Voemelium diss. de loquut. ἐπὶ ξένια καλεῖν. Frcf. ad M. 1831.

9) Westermann. de publ. Ath. honoribus. Lips. 1830. 8.

10) Ulpian. ad Demosth. π. συνταξ. p. 50 A.

11) Vid. Boeckh. I p. 293—297.

12) Hoc σιτηρέσιον dicitur. Demosth. Philipp. I p. 48, 3 in Polycl. p. 1209, 12. 1214, 22. Σιταρχείας vocabulum, quo posteriores utuntur, veteribus Atticis inusitatum est.

triplum, dux quadruplum eius accipiebat: nautae et classiarii modo tetrobolum modo drachmam[13]), ut unius triremis, in qua ducenti homines esse solebant[14]), menstruum stipendium, si soli gregarii et remiges numerentur, aut quattuor millia drachmarum aut talentum efficiat. Emittebantur autem classes nonnunquam vel centum aut amplius navium. In Samiam expeditionem Pericles cum sexaginta navibus profectus est, quibus postea quadraginta Atticae, viginti quinque Chiae et Lesbiae, dein rursus Atticae sexaginta, Chiae et Lesbiae triginta additae sunt[15]): insumptaque in hoc bellum, quod per novem fere menses trahebatur, talenta dicuntur mille et ducenta[16]).

§. LXXIV.

Reditus civitatis ab Aristophane censentur bis mille fere talentis[1]): nec, sane multo minores illa aetate fuisse videntur, quum vel e solis sociorum tributis amplius MCC talenta redirent[2]). Apparet igitur pacis temporibus aliquanto plus redituum quam expensorum fuisse, neque mirabimur quod belli Peloponnesiaci initio, licet proximis ante annis et in publica opera et in Potidaeae obsidionem MMMDCC talenta insumpta essent, sex millia tamen in aerario reposita fuisse dicuntur[3]).

---

13) Boeckh. p. 296 sq.

14) Id. p. 298 sq.

15) Thucyd. I, 116. 117.

16) Isocr. de permut. p. 69 Orell. Nepos Timoth. c. 1. Ceterum operae pretium est conferre quae a Leakio p. 428—433 de pecuniis in obsidionem Potidaeae insumptis accurate disputantur.

1) Aristoph. Vesp. v. 660.

2) Cf. Boeckh. 1 p. 466, qui omnium redituum summam MDCCC talenta fuisse censet.

3) Thucyd. II, 13. — Addit autem haec: *χωρὶς δέ, χρυσίου ἀσήμου καὶ ἀργυρίου ἔν τε ἀναθήμασιν ἰδίοις καὶ δημοσίοις καὶ ὅσα ἱερὰ σκεύη περί τε τὰς πομπὰς καὶ τοὺς ἀγῶνας καὶ σκῦλα Μηδικὰ καὶ εἴ τι*

Dein quamvis haec omnia, et amplius etiam, bello exhausta essent, tamen proximis post Niciae pacem annis rursus septem millia collecta erant [4]), quae mox Siciliense bellum hausit. Neque post hoc tempus ulla fit repositarum in thesauro pecuniarum mentio, contraque frequentes sunt de paupertate rei publicae propter bellorum clades sociorumque defectiones querimoniae, donec Demosthenis aetate, Lycurgi maxime merito, annua redituum summa rursus ad MCC talenta aucta est [5]). Erant autem reditus rei publicae aut ordinarii, qui quotannis percipiebantur, aut extraordinarii, quos aut belli fortuna aliique casus, aut collationes civium sponte aut populi iussu factae suppeditabant. Illorum genera quinque: primum vectigalia agrorum aliorumve fundorum publicorum, velut pascuorum, silvarum, aedium, salinarum, quae constat a senatu per poletas redemptoribus elocari solita [6]): quamquam de plerisque horum parum nobis compertum est [7]). Notissima sunt metalla, quum lapidis in Brilesso monte ad Pentelen vicum [8]), tum argenti prope Laurium in

---

τοιουτότροπον, οὐκ ἐλάσσονος ἢ πεντακοσίων ταλάντων. ἔτι δὲ καὶ τὰ ἐκ τῶν ἄλλων ἱερῶν χρήματα οὐκ ὀλίγα — καὶ τὸ ἄγαλμα (τῆς θεοῦ) ἔχον τεσσαράκοντα τάλαντα χρυσίου ἀπέφθου.

4) Andoc. de pace p. 93. Aeschin. de fals. leg. p. 337.

5) Pseudoplut. vitt. X oratt. p, 842 E.

6) Hoc est *μισθοῦν*: redemptor *μισθοῦσθαι* dicitur, pensio *μίσθωμα* v. *μίσθωσις*. Cf. Harpocr. s. v. *ἀπὸ μισθωμάτων*. Bergman. ad Isocr. Areop. p. 116. Apud Demosth. in Timocr. p. 713, 5 praedium ipsum *μίσθωμα* dicitur.

7) Agri decumani vestigium Boeckhius tom. II p. 201 invenire sibi visus est in inscriptione no. 76 v. 7, ubi elocanda publicanis decuma commemoratur. De theatri locatione supra dictum est §. 69, 3. Aedium publicarum ut et *τεμενῶν* et *ἱερῶν μίσθωσιν* Xenophon commemorat de reditt. c. 4, 19. de sacrarum olearum fructibus elocatis vid. Markland. ad Lys. de olea p. 269, et in univ. cf. Boeckh. I p. 325 sqq.

8) Vid. Lud. Ross, das Pentelicon bei Athen und seine Marmorbrüche, in diario artium (Kunstblatt) ann. 1837 no. 2–4.

ea terrae parte quae a Thorico usque ad Anaphlystum pertinebat [9]). Haec a privatis possessoribus exercebantur; dominium erat rei publicae, cui ab illis et semel, quum emerent possessiones, pretium earum, et deinceps annuum vectigal quartae et vicesimae solvebatur, quod tamen res publica non ipsa recipiebat, sed publicanis fruendum elocabat. Rediisse ex iis Themistoclis aetate triginta fere aut quadraginta talenta videntur: quamquam admodum varius fuit hic proventus, et procedente tempore paullatim imminutus. Ea pecunia quum olim civibus viritim distribui soleret, Themistocles legem pertulit ut navibus aedificandis impenderetur [10]).

§. LXXV.

Ad alterum genus pertinent servorum, inquilinorum eorumque peregrinorum, qui artem quaestumve tabernarium facerent, tributa et vectigalia. Et servorum quidem trini in capita oboli quotannis numerati videntur [1]): ex inquilinis patres familias duodenas, viduae senas drachmas, quique libertinae condicionis erant trinos insuper obolos pendebant [2]). Utriusque tributi annua summa quinquaginta amplius talentis aestimari potest [3]). Vectigalia artium et mercaturae quae et quanta fuerint nescimus: cives eorum immunes fuisse constat [4]): Ceterum haec omnia publicanis elocaban-

---

9) De his omnia exhausit Boeckhius in dissertatione de metallis Laurioticis, Comm. Acad. Berolin. ann. 1815.

10) Herodot. VII, 144. Plutarch. Themist. c. 4.

1) *Τὸ τέλος τῶν ἀνδραπόδων* commemoratur a Xenoph. de reditt. c. 4, 25.

2) Boeckh. p. 353 sq.

3) Id. p. 355 sq. inquilinorum tributa XXI, servorum XXXIII talentis aestimat.

4) Id. p, 356. 357.

tur [5]. Tertii generis sunt portoria mercium, quae vel terra peregre advectae in Atticis foris venum dabantur [6], vel mari aut importabantur aut exportabantur. Et harum quidem quinquagesima exigebatur [7], praeterque eam fortasse etiam centesima ob usuram portus aut horreorum publicorum [8]: illarum quota pars pendenda fuerit, non satis constat [9]. Annuus ex quinquagesima reditus aliquando Andocidis aetate triginta sex fere talentis constitisse videtur [10]; sed alium aliis temporibus fuisse facile apparet, et saepe aliquanto haud dubie maior fuit. Hoc quoque genus vectigalium publicani exercebant, minora singuli, maiora societates [11]. Mancipes *ἀρχῶναι*, *τελωνάρχαι*, ceteri generali nomine *τελῶναι* dicuntur, receptores vel exactores pro cuiusque vectigalis genere *ἐλλιμενισταί*, *δεκατηλόγοι*, *εἰκοστολόγοι*, *πεντηκοστολόγοι*. Quamquam minorum saepenumero vectigalium iidem qui redemptores etiam exactores fuisse videntur. Erat autem omne hoc genus Athenis non minus quam alibi vulgo invisum ob avaritiam molestasque vexationes [12]. Rei publicae ne damnum fraudes

---

5) *Τελώνης τοῦ μετοικίου* (h. e. tributi inquilinorum) memoratur ap. Pseudoplutarch. vitt. X oratt. p. 842 B. De elocatione *τοῦ πορνικοῦ τέλους* vid. Aeschin. in Timarch. p. 134.

6) *Ἐπώνια.* Boeckh. I p. 347.

7) *Ἐλλιμένιον, πεντηκοστή.* Pollux VIII, 132. Lex. Seguer. p. 251. Cf. Boeckh. p. 337.

8) Quae Xenophon de reditt. c. 3, 12 aedificari suadet *δημόσια καταγώγια ἐπὶ προσήκοντας τόπους ὠνῇ τε καὶ πράσει πρὸς τοῖς ὑπάρχουσι*, haec, opinor, non solum hominibus sed etiam mercibus recipiendis inserviebant. De centesima, cuius idem de r. p. Ath. 1, 17 mentionem facit, vid. Boeckh. p. 343 sqq.

9) Harpocrat. s. v. *ἐπώνια, πέμπτην* dicit, Lex. Seguer. p. 255 *εἰκοστήν*. Non tantundem fortasse de omnibus exigebatur. Etiam *δεκάτης* Harpocr. meminit s. v. *δεκατευτάς*.

10) Andocid. de myst. p. 65 sqq., et explic. h. l. ap. Boeckh. p. 339—341.

11) Boeckh. p. 360, qui et de sequentibus conferendus est.

12) Cf. Pollux IX, 29. 32. Aristoph. Equitt. v. 248.

eorum inferrent, cavebatur quum praedibus[13]) tum severis praestandarum stato tempore pensionum legibus, quas qui non servarent vinculis coercebantur[14]). Ceterum ne a quaestu impedirentur immunitatem militiae habebant[15]), promptumque, si quis debita ipsis non praestaret, legum auxilium[16]).

§. LXXVI.

Quarto loco sportulas numeramus a litigantibus pendendas, *πρυτανεῖα* et *παράστασιν*, quae semper rei publicae cedebant: item pecunias illas, quae pro cautione temere litigandi deponendae erant, *παρακαταβολάς*, quas quidem, si quis adversus rem publicam de bonis publicatis litigaret, rei publicae cessisse manifestum est: porro mille drachmae, quibus mulctabantur qui aut deseruissent publicam actionem aut quintam partem suffragiorum non tulissent: aliarum mulctarum varia genera, imprimis in causis *τιμητοῖς*, quarum aestimationes saepenumero mirae sunt magnitudinis, usque ad quinquaginta, quin ad centum adeo talenta[1]): denique publicationes bonorum[2]), quas pariter cum ingentibus mulctis non raro a senatu aut a iudicibus eo libentius decretas esse, quo locupletaretur aerarium, non iniuria fortasse scriptores queruntur[3]). Ceterum huius redituum gene-

13) Demosth. in Timocr. p. 713, ubi distinguuntur *οἱ ὠνούμενοι τὰ τέλη, οἱ ἐγγυώμενοι* et *οἱ ἐκλέγοντες*. Ita et p. 745, 13. Cf. Plutarch. Alcib. c. 5.

14) Boeckh. I p. 362 sqq. Cf. Meier. de bon. damn. p. 138 sqq. Lelyveld. de infamia p. 195 sqq.

15) Or. in Neaer. p. 1353, 24.

16) De *φάσει* vid. supra cap. 6 §. 54, 2.

1) Exempla mulctarum Boeckhius collegit tom. I p. 402—415.

2) Meier. de bon. damn. p. 144—152 et 167—201. De *ἀπογραφῇ* bonorum publicatorum, de venditione per poletas, de decimis Minervae consecratis, de controversiis a privatis propter publicata bona rei publicae motis aliisque id genus vid. id. p.

ris annuam summam nullam ne probabiliter quidem definiri posse apparet: non exiguam fuisse satis manifestum est, quum propter litigiosum populi ingenium commerciorumque frequentiam, tum propterea, quod aliquando etiam sociorum lites Athenas evocari solebant [4]).

§. LXXVII.

Quintum denique genus redituum, idque unum ceteris omnibus longe maius, sociorum tributa (*φόροι*) erant, quorum originem, quoque modo in Atheniensium potestatem venerint, alio loco videbimus. Annua eorum summa Periclis aetate circiter DC talentis [1]), postea, Alcibiadis consilio aucta, MCC et amplius constabat [2]), donec circa ol. XCI, 2 tributorum loco portorium vigesimae in sociorum portubus exigere placuit [3]). Hoc permansisse videtur usque ad finem belli Peloponnesiaci, quo bello, maxime post cladem Siciliensem, omnes intra breve tempus socii defecerunt, victique ad Hellespontum Athenienses maris imperio plane exciderunt. Recuperarunt tamen paullatim veterem dominationem, maxime post proelium Cnidium, retinueruntque usque ad pacem Antalcidae: iterumque amissam mox rursus egregia summorum imperatorum virtute repararunt, donec sociali

201 sqq. Add. Theophrasti loc. ap. Stobae. II p. 201 Gaisf., qui huc pertinere videtur.

3) Lys. in Nicomach. p. 861. Non absimilia sunt apud Aristophanem Equitt. v. 1371. Cf. et Aristot. Polit. V, 4, 3.

4) Xenoph. de r. p. Ath. c. 1, 16. Cf. infra P. VI c. 7 §. 31, 20.

1) Thucyd. I, 96. II, 13. Plutarch. Aristid. c. 24. Boeckh. I p. 430.

2) Andoc. in Alcib. p. 116. de pace p. 93. Aeschin. de f. leg. p. 337. Plut. Arist. c. 24. Boeckh. p. 431.

3) Thucyd. VII, 28. Boeckh. p. 349, ubi etiam de horum redemptoribus (*εἰκοστολόγοις*) et de portorio decumae apud Byzantium exacto exponitur.

bello ac mox Philippi victoriis vires Atheniensium in perpetuum fractae sunt. Tributa etiam post reparatum Atheniensium imperium pariter atque antea sociis imposita erant, quanquam paullo fortasse leviora et nomine minus invidioso συντάξεις dicta [4]). Quanta fuerint a nemine memoriae proditum est; sed de MCC talentis, quae sub Lycurgo quotannis redibant, dubitari non potest quin bona pars tributis sociorum confecta sit. Ceterum haec tributa ante Euclidem custodiebantur et dispensabantur ab Hellenotamiis decem quotannis sorte, ut videtur, creatis [5]), quumque ab initio uni rei militari ad bella communia contra barbaros insumi debuissent, mox tamen Athenienses his pecuniis tanquam suis uti coeperunt vel ad exornandam urbem aedificiis artisque operibus, vel ad festorum apparatum largitionesque theoricas [6]). Post Euclidem Hellenotamiae non restituti; sed eorum loco theoricorum curatores creati, hisque tantum potestatis ab avida largitionum plebe tributum, ut aliquando etiam apodectarum et contrarotulatoris, eius qui quaestori τῆς διοικήσεως tanquam custos appositus erat [7]), muneribus fungerentur, operum publicorum curam gererent, omnem denique rei pecuniariae administrationem fere soli haberent [8]).

§. LXXVIII.

Extraordinarii reditus percipiebantur primum e praeda bellica in publicum redacta atque di-

4) Harpocrat. s. v. συντάξεις. Wichers. ad Theopomp. fr. p. 78. 171. Tamen etiam φόρων nomen rursus usurpatum. Vid. Boeckh. p. 451 sq.

5) Boeckh. I p. 189—193.

6) In inscriptione no. 147 Hellenotamiis pecunias numerari videmus quum in cibaria equitatus tum in diobeliam. Cf. supr. §. 69, 8. 72, 3.

7) Vid. supr. c. 5 §. 44.

8) Aeschin. in Ctesiph. p. 417 sq. In univ. cf. Boeckh. 1 p. 196—198.

vendita [1]) aut e stipendio devictis hostibus mulctae nomine imposito aut sociis supra tributum imperato [2]). Deinde deficiente rei publicae aerario pecuniae saepenumero aut e deorum aerariis [3]) aut etiam ab aliis civitatibus mutuae sumebantur [4]): nonnunquam voluntariae civium et inquilinorum collationes (*ἐπιδόσεις*) senatus et populi iussu petebantur [5]): aliaque id genus plura, quae singillatim percensere nihil opus est [6]). Sed maxime huc pertinent tributa extraordinaria (*εἰσφοραί*) propter belli necessitates imperata. Pendenda haec ab omnibus erant praeter thetes s. capite censos: nam immunitas locupletibus civibus nunquam, inquilinis raro dabatur [7]). Pentacosiomedimnis, Equitibus, Zygitis — nam hae classes, licet haud dubie mutata subinde censuum descriptione [8]), usque ad Olymp. C, 3 perdurasse videntur [9]) — in tributum conferendae imponebantur certae quaedam census partes, verum ita, ut pentacosiomedimni tantum de omni censu, equites autem non nisi de decunce, zygitae de parte dimidia et duodevigesima contribuerent [10]). Alia autem ratio Olymp.

1) Boeckh. II p. 128.

2) Id. ib. p. 129. — Etiam munera commemoranda sunt ab amicis regibus populo donata. Ib. p. 127 et I p. 97. 98. 269.

3) Id. II p. 186. 199 sqq. Cf. Corp. Inscr. no. 76.

4) Id. II p. 132.

5) Vid. de comitt. p. 292. Boeckh. l. l. p. 129.

6) Cf. exempla de comitt. p. 289.

7) Boeckh. II p. 5 et 75.

8) Cf. Aristot. Polit. V, 5, 11.

9) Pentacosiomedimnos certe Thucyd. commemorat III, 16; commemoravitque etiam Lysias ap. Harpocrat. h. v., quamquam hic fortasse e vetere lege, qualis extat ap. Demosth. in Macart. p. 1067. *Ἱππάδος* autem nomen etiam post Olymp. 100, 3 usitatum fuisse ostendit Isaei orat. de Apollod. her. §. 39, habita circ. ol. 106, 3/4 (vid. comm. p. 355.); neque enim causam video cur Hermann. de equitt. Att. p. 39 nomen ibi improprie dictum velit. Conf. tamen Boeckh. II p. 42.

10) Hoc Boeckhius luculenter demonstravit II p. 38 sqq. do-

C, 3 archonte Nausinico inita est[11]): quamquam qualis haec fuerit non satis liquet. Tantum constat, in prima classe nunc censos esse 'qui talenta XII aut amplius haberent, tributa autem his non de omni censu, sed de quinta tantum parte danda fuisse[12]). Universi populi census ea pars, de qua tributum conferri oporteret, aestimata illo tempore dicitur sex mille fere talentis[13]). Coniuncta autem cum hac nova classium descriptione erat etiam symmoriarum ordinatio, quum e singulis tribubus viri centeni et viceni, qui maximo censu erant, in binas symmorias dividerentur, ut universi essent mille ducenti, symmoriae autem viginti, quarum una quaeque sexaginta viris constaret. Ex his rursus quini deni, qui omnium ditissimi erant, capiebantur, ut ex viginti symmoriis conficerentur trecenti[14]). Hi in conferendis tri-

---

cuitque τίμημα proprie vocatum esse eam census partem, de qua tributum pendendum esset. Itaque si pentacosiomedimni τίμημα talentum esse ponamus (vid. Boeckh. l. l.), tributumque centesimae imperatum, illi centesima pars talenti h. e. drachmae sexaginta pendendae erant. Eques autem in τιμήματι ter mille sexcentarum drachmarum, quod minimum fuit in hac classe, centesimam dabat non nisi de decunce h. e. de drachmis ter mille, quarum centesima constat drachmis triginta. Zygites denique in τιμήματι mille octingentarum centesimam dabat de mille drachmis, h. e. drachmas decem. Hinc iam explicari potest Pollux VIII, 130: ἀνήλισκον δὲ (οἱ πεντακοσιομέδιμνοι) εἰς τὸ δημόσιον τάλαντον, οἱ δὲ τὴν ἱππάδα τελοῦντες — ἡμιτάλαντον, οἱ δὲ τὸ ζυγίσιον τελοῦντες μνᾶς δέκα. Nimirum quae ille eos ἀναλίσκειν dicit, τιμήματα sunt ea de quibus tributum pendebatur. De hoc usu verbi ἀναλίσκειν similique alterius εἰσφέρειν cf. F. G. Parreidt, de instituto eo Atheniensium, cuius ordinationem in or. π. συμμοριῶν Demosthenes suadet. (Magdeb. 1836. 8) p. 12.

11) Vid. Boeckh. l. l. p. 50 sqq.

12) Ut v. c. qui quindecim talenta haberet, si centesimae tributum imperatum esset, contribueret de tribus talentis, h. e. 18000 drachmis, drachmas centum et octoginta. Reliquarum classium nec numerus nec census nec contribuendi modus traditur. Cf. Boeckh. p. 53.

13) Accuratius VMDCCL. Vid. Boeckh. p. 21—26. Aliter statuit Parreidt dissertat. laud. p. 15, cuius rationes excutere non est huius loci.

14) Boeckh. p. 59—69. De symmoriarum descriptione prae-

butis principes erant et urgente necessitate pecuniam repraesentabant [15]), quam deinde a symmoritis, hi autem rursus a ceteris civibus, qui quum non essent proprie symmoritae, attributi tamen suae quique symmoriae erant, pro portione facultatum redigerent [16]). Ceterum administrandis hisce negotiis suos quaeque symmoria magistros (*ἡγεμόνας*), curatores (*ἐπιμελητάς*) et censitores (*διαγραφεῖς* s. *ἐπιγραφεῖς*) habebat [17]): universae rei praeerant strategi, qui etiam de litibus hinc exortis, veluti de reddendis pecuniis repraesentatis, aut si quis plus quam deberet a se exactum esse contenderet, iurisdictionem exercebant [18]). — De inquilinorum tributis, qua ratione descripta fuerint, nihil memoratum legimus, nisi eorum quoque symmorias fuisse, et sextam partem ab iis contribui solitam, quod ipsum quale sit non satis liquet [19]).

---

ter Parreidtium cf. et Lindau in Zimmermanni Diurn. antiqu. ann. 1835 no. 68.

15) Hoc est *προεισφέρειν, προεισφορά*. Boeckh. p. 70.

16) Boeckhio p. 68 cives omnes praeter thetes in symmoriis fuisse videntur, contra diserta veterum testimonia. Vid. modo Harpocr. s. v. *συμμορία*. Sed quum tamen omnes tributum pependisse certum sit, ea quam supra posui ratio veri simillima videtur. Scilicet symmoritae rem inter se ordinabant pecuniasque stato tempore curabant; ceteri, qui non erant in symmoriis, ex descripto a symmoritis per *διαγραφεῖς* (vid. not. 17) diagrammate pro suo quisque censu contribuere cogebantur. Hinc etiam Demosth. Olynth. II p. 26, 26 postquam de symmoriis dixit, *οἱ δ' ἄλλοι*, inquit, *προσνενέμησθε οἱ μὲν ὡς τούτους οἱ δὲ ὡς ἐκείνους*, quae verba ipsa satis docent non omnes in symmoriis fuisse. Habet autem praeterea hic locus aliquid obscuritatis: sed hoc accuratius excutere nunc non licet.

17) Pollux VIII, 103. Harpocr. s. v. *διάγραμμα* et *ἐπιγραφεῖς* Lex. Seguer. p. 236. 241. 254. Boeckh. II p. 69. 70 et 51. et I p. 169.

18) Vid. Meier. Proc. Att. p. 107 et 551. Etiam *ἀντιδόσει* locum fuisse apparet e Demosth. or. in Phaenipp. p. 1046, 24. Add. argum. h. or. et Boeckh. II p. 123. Cf. infr. §. 80.

19) Boeckhius II p. 77 censet, omnibus de sexta parte bonorum contribuendum fuisse.

§. LXXIX.

Praeter has collationes et tributa etiam aliis multis civium et inquilinorum praestationibus muneribusque res publica fruebatur, quum publicas necessitates aut nullo aut modico aerarii sumptu privatorum impensae explerent. Erant autem eiusmodi munera, quae communi omnia nomine liturgiae vocantur [1]), alia ordinaria, *λειτουργίαι ἐγκύκλιοι*, quae quotannis, alia extraordinaria, quae belli tempore praestabantur. Ex ordinariis nobilissimum erat munus choregorum, h. e. eorum, qui choros cuiusque generis [2]) ad ludorum publicorum solemnia [3]) comparabant, exerceri atque institui curabant, apparatum, vestes, ornamenta, denique quidquid choro opus esset, opera et impen-

1) De nominis ratione vid. Wolf. prolegg. ad Dem. Leptin. p. LXXXI; de *ἐγκυκλίοις* et extraordinariis Boeckh. I p. 483 sq.

2) *Χορηγεῖν ἀνδράσι* v. *ἀνδρικῷ χορῷ, παισί, παιδικῷ χορῷ, πυῤῥιχισταῖς, αὐλητταῖς ἀνδράσι, τραγῳδοῖς, κωμῳδοῖς.* Lys. de pecun. publ. p. 698. 699. Isae. de Dicaeog. her. §. 36. Andoc. in Alcib. p. 121 Demosth. Mid. p. 565. Notanda h. l. Solonis lex de chorego *παισί* ne minor esset XL annis. Aesch. in Tim. p. 35. 39. Harpocr. et Phot. s. v. *ὅτι νόμος.*

3) *Χορηγεῖν εἰς Διονύσια καὶ Θαργήλια καὶ Παναθήναια καὶ Προμήθεια καὶ Ἡφαίστεια.* Xenoph. de r. p. A. 3. 4. Cf. ad Isae. p. 308. Scenicos ludos in urbe Dionysiis urbanis et Lenaeis, extra urbem ruralibus Dionysiis editos esse constat: Anthesteriis comoedias actas probare conatur Hanov. exercitt. critt. in comic. gr. p. 74 — 76. Lenaea qui nuper eadem modo cum Anthesteriis modo cum ruralibus Dionysiis fuisse contendit, nugas, ut solet, egit: verum docuit Boeckhius, vom Unterschiede der Att. Lenaeen, Antesth. u. ländl. Dionysien, in Comm. Acad. Berol. ann. 1816 — 1817, qui p. 47 etiam aliorum de his festis scripta commemoravit. Poetas, qui fabulas edituri essent, chorum a chorego petiisse non debebat C. F. Hermann. Ant. Gr. §. 161, 2 Küstero ad Arist. Equitt. v. 510 et Dukero ad Rann. v. 94 credere: petebant chorum a magistratibus, qui quodque festum procurabant. Vid. praeter loc. a Boeckhio oec. r. p. A. I p. 488. citatos etiam quos laudat Schneider, das attische Theaterwesen p. 110. Quibus chorum dare magistratus decreverat, ex his deinde choregi, ordine sortito, singuli singulos capiebant, quorum fabulis chorum instruerent. Cf. locc. ap. Schneider. p. 109. 111. et Boeckh. p. 488.

sis suis praestabant [4]), quae res quanti sumptus fuerit facile est ad aestimandum, quum et apparatum splendidum esse conveniret, et magna saepe mercede artifices atque magistri conducerentur [5]). Non absimile gymnasiarchiae munus ad ludos gymnicos pertinebat, in quibus qui certaturi essent, gymnasiarchi sumptibus in gymnasiis exercebantur, alebantur rebusque ad certamen necessariis instruebantur [6]). Ad utrumque munus praestandum quot quoque tempore opus essent certo quodam sed ignoto nobis ordine edebantur e locupletiorum numero a suis quique tribulibus [7]), quaeque in concertatione chororum praemia a iudicibus [8]) adiudicata essent, tripodes plerumque cum coronis, horum honor ad tribum non minus quam ad choregum pertinere iudicabatur, solebantque ea, incriptis tribus, choregi et magistri nominibus, in deorum templis dedicari [9]). — Tertium munus, *ἀρχιθεωρίαν,* ii praestabant, qui sacris legationibus ad concelebranda Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, Delia aliaque extra Atticam solemnia pu-

---

4) De his omnibus vid. Boeckh. 1 p. 489. sq. Schneider. p. 115. 119. sq., qui tamen de *χορολέκτῃ* p. 116 non recte iudicat, quum eundem hunc atque *ἐπιμελητὴν τῆς φυλῆς* ap. Antiph. de salt. p. 769 fuisse statuit. Veriora vid. ap. J. G. Sommerbrodt. rerum scenicarum capita selecta (Berol. 1835. 8) p. 14 sqq.

5) Demosth. Mid. p. 533. Xenoph. r. p. A. 1, 13. Athenae. XIV p. 617 B. De sumptuum magnitudine vid. exempla ap. Boeckh. 1 p. 490 sq. Schneider. p. 121.

6) Boeckh. p. 494—498.

7) Hoc est *χορηγόν, γυμνασίαρχον φέρειν.* Dem. in Boeot. p. 996, 21. Leptin. p. 496, 19. 21. *Προβάλλεσθαι* ap. Andoc. de myst. p. 65 de iis acceperim, qui in conventu tribulium aliquem proponunt cui munus demandetur. Quos tribules ediderunt, hos deinde magistratus *καθιστᾶσι* h. e. suas cuique partes in ludorum celebratione adsignant. Dem. in Boeot. p. 997, 5. Ceterum neminem nisi qui supra tria talenta census esset ad huiusmodi munera cogi potuisse Boeckhius docet p. 485.

8) De his, qui *κριταὶ* dicuntur, vid. supr. cap. 5 §. 46, 33.

9) Vid. Boeckh. Corp. Inscr. no. 211—250. Schneider. p. 123—125.

blice missis praeficiebantur[10]). Partem sumptuum in huiusmodi legationibus res publica tolerabat; reliqua architeorum suis impensis praestare oportebat[11]). Erant praeterea aliae liturgiae minores minusque nobis notae, quas enumerare nihil attinet[12]): neque publicae solum, h. e. quae universae civitati praestarentur, sed etiam quae tribubus atque pagis singulis, veluti quum epulo tribules aut pagani excipiebantur[13]), aut chori gymnicave certamina paganalibus ludis adornabantur[14]).

§. LXXX.

Extraordinarium munus, idque unum omnium maximum et sumptuosissimum, erat trierarchia, quae constabat triremibus ad belli usum instruendis apparandisque[1]). Ante bellum Persicum, quum admodum exiguae essent Atheniensium copiae navales, naucrariae fuerant quadraginta octo, ac post Clisthenem quinquaginta, quarum singulae singulas naves equitesque binos dabant[2]). Aucto deinde navium numero naucrariarumque descriptione abolita quot quoque tempore opus essent trierarchi e locupletiorum civium numero a stra-

10) Wolf. prolegg. ad Leptin. p. XC not. 65. Huc pertinent Pythiastae v. Pythaistae et Deliastae. Cf. ad Isae. p. 367. Meier. de gentil. Att. p. 51.

11) Boeckh. oec. s. p. A. 1 p. 230.

12) Boeckh. l. l. p. 484 arrhephoriam commemorat, de qua cf. Mueller. Minerv. Pol. sacr. p. 14 sq. Quodammodo etiam ἱπποτροφίαν v. equitum perpetuam etiam in pace militiam liturgiis accenseri posse recte Hermannus monuit, de equitt. Att. p. 22. sqq.

13) Ἑστίασις, ἑστιάτωρ. Cf. Boeckh. p. 498 de epulis tribulium. De paganorum epulis unum certe exemplum vid. ap. Isae. de Pyrrh. her. §. 80 c. comm. p. 265.

14) Vid. ad Isae. p. 221 et 387.

1) Nam ipsas naves a re publica datas esse constat: quamquam fiebat nonnunquam ut aliquis etiam suam navem rei publicae largiretur. Vid. Boeckh. II. p. 92. 95—98.

2) Vid. supr. §. 7, 6 et 10, 7.

tegis deligebantur [3]), cuius rei certum quendam ordinem statasque vices obeundi muneris fuisse dubitari non potest. Xenophontis aetate quadraginta fere quotannis trierarchi erant [4]): plerumque singulis, nonnumquam etiam binis [5]) una navis attribuebatur, quam instruerent, armarent, nautis et remigibus implerent deductamque ipsi regerent [6]). Armamenta ut plurimum e publico armamentario, stipendia nautis et remigibus ex aerario dabantur. Fiebat autem non raro, ut aliquis trierarchus aut regendam navem suam alteri mandaret, ipse domi remanens, aut etiam omne trierarchiae munus alicui redemptori pacto pretio locaret: quamquam id per leges vix fieri licebat [7]). Deinde Olymp. CV, 3 symmoriarum descriptio, qualis ob tributorum collationem aliquot ante annis instituta erat, etiam ad rem trierarchicam traducta est [8]), ut naves, quot quoque tempore opus erant, per symmorias aequabiliter distribuerentur, symmoriae autem rursus suum quaeque numerum inter symmoritas pro portione dispertirent, ut singulae naves modo paucioribus modo pluribus, veluti quinis, senis, denis, quinisdenis hominibus obve-

---

3) De censu trierarchico, qui alius haud dubie aliis temporibus fuit, sed quantus fuerit a nemine traditur, vid. locc. ap. Boeckh. II p. 121. De strategis Demosth. adv. Lacrit. p. 940, 16. in Boeot. 1 p. 997, 2.

4) Xenoph. de r. p. A. 3. 4.

5) Haec est *συντριηραρχία*, quam inde ab Olymp. XCII, 1 usurpari coeptam esse probabiliter Boeckhius statuit II p. 87.

6) Vid. id ib. p. 90—94.

7) Id. ib. p. 95.

8) „Qualis instituta erat“ dixi, quum debuerim fortasse dicere „quae instituta erat.“ Fateor enim me non abhorrere ab ea sententia, ut easdem trierarchiae et tributorum symmorias fuisse credam, quamquam plerisque aliter videri scio. Sed iudicii mei rationes exponere longum et ab huius libri consilio alienum est. Ceterum cf. Wolf. ad Dem. Lept. proll. p. CV. Boeckh. II p. 99 sqq. Winiewsky comm. histor. ad Demosth. or. de corona p. 200.

nirent [9]). Hi συντελεῖς vocantur. Sed quum etiam huius trierarchici negotii principes in symmoriis ac moderatores essent trecenti maximo censu viri [10]), hi non raro principatu suo ita abutebantur, ut quae ipsis praestanda erant munera plane subterfugerent. Locabant enim trierarchiam suam redemptoribus, quamque his numerassent pecuniam universam deinde, non solum pro portione, a symmoritis suis exigebant, ut hi omnia, ipsi nihil praestarent [11]). Huic malo medicinam adhibuit Demosthenis lex trierarchica, Olymp. CX, 1 ut videtur perlata [12]), qua lege, abrogatis symmoriis, trierarchiae munera ad census modulum ita ordinata sunt, ut singulae naves denis talentis attribuerentur. Itaque qui decem talenta in censu professus erat, unam, qui viginti, duas, qui triginta, tres naves accipiebat: qui infra decem talenta censi erant cum aliis coibant, donec coniuncti omnium census illam summam aequarent, trierarchiaque ab his communibus impensis administrabatur. Ceterum tempus trierarchiae et ex hac lege et ante eam annuum erat [13]): sumptus huius temporis medius fere inter quadraginta mi-

---

9) Etiam senis denis, si fides est catalogo ap. Demosth. or. de cor. p. 261, de quo conf. Boeckh. p. 102.

10) Demosth. in Phaenipp. p. 1039. 16. 1046, 20. de coron. p. 285, 17. Dinarch. in Demosth. p. 33. Etiam ἡγεμόνες et ἐπιμεληταὶ in trierarchia pariter atque in εἰσφορᾷ commemorantur. Vid. Boeckh. p. 103.

11) Cf. Boeckh. p. 105.

12) Pars legis extat in or. de coron. p. 262 in. De tempore et quae praeterea ad legis explicationem pertinent, vid. Boeckh. p. 11: sqq. et 119. Ceterum iam Ol. CVI, 3 Demosthenes de emendanda rei trierarchicae ordinatione egerat, sed legem talem non tulisse videtur, certe non pertulit. Vid. orat. de symmoriis cum Amersfordtii comm. in Schaef. appar. crit. I p. 718. Boeckh. p. 105 sqq. et Jacobs, Demosthenes Staatsreden (Lips. 1833. 8) p. 10 — 12 et passim in annott.

13) Itaque cui successor exacto anno non venit, is sumptuum supererogatorum (τοῦ ἐπιτριηραρχήματος) adversus hunc actionem habebat, ex quo genere superest causa Demosthenica in Polyclem. Cf. Proc. Att. p. 551 et in univ. Boeckh. p. 82.

nas et unum talentum[14]. Exacto munere ratio trierarchis apud logistas reddenda erat[15]. Immunitas vel huius vel ceterorum munerum locupletibus honoris causa, sed raro, data[16]: nemo tamen neque duas uno anno liturgias neque eandem continuo biennio praestare cogebatur[17]: trierarchi aliquando etiam biennii vacationem habebant[18]. Orbi, donec sub tutela erant, et proximo post tutelam anno immunes erant: item filiae epicleri donec nupsissent[9]. Qui autem liturgiam iniuste sibi imponi aliique potius se opulentiori imponendam esse contenderet, is hunc provocare poterat, ut aut susciperet ipse illam liturgiam, aut secum facultates permutaret[20]. Excepta ab huiusmodi permutatione erant tantummodo quae quis in argentifodinis aut coloniis (*κληρουχίαις*) possidebat, aut quorum communis ipsi cum aliis possessio erat, quippe de quibus liturgiae nullae praestarentur[21]. Moderabantur permutationis negotium in-

14) Vid. Boeckh. p. 120.

15) Aeschin. in Ctes. p. 407. Demosth. in Polycl. p. 1222, 11. Boeckh. p. 85. 86. ubi etiam de *ταμίαις τῶν τριηράρχων*.

16) Versatur in hoc de immunitate argumento Demosthenis oratio adv. Leptinis legem, qua omnes immunitates abrogatae erant. Vid. impr. p. 457. 466. 495. Cf. Wolf. prolegg. p. LXV sqq. Novem archontibus trierarchiae immunitatem fuisse docet or. p. 465.

17) Demosth. in Polycl. p. 1209, 2. in Phaenipp. p. 1046, 20—24. Leptin. p. 462, 23. 459, 12.

18) Isae. de Apollod. her. §. 38. Boeckh. p. 82.

19) Demosth. de symmor. p. 182, 16. Et de orborum immunitate proximo post receptam tutelam anno Lys. in Diogit. p. 908. Cf. Boeckh. p. 83.

20) Haec est *ἀντίδοσις*, de qua vid. Wolf. prolegg. ad Dem. Leptin. p. CXXIII et Boeckh. II p. 122—126, qui omnem rem, imprimis e Demosth. or. in Phaenippum, luculentissime exposuit. Add. Heffter. p. 378 sqq. Platner. II p. 106 sqq.

21) De metallis vid. Demosth. in Phaenipp. p. 1044. Erant haec propterea liturgiis immunia, quia vectigal annuum a possessoribus pendebatur. Vid. supr. §. 74, 9. De *κληρουχικοῖς* et *κοινωνικοῖς* cf. Demosth. de symmor. p. 182, 16. Boeckh. p. 84. De condicione cleruchiarum vid. infr. P. VI c. 6 §. 28.

ter trierarchos quidem strategi, quorum etiam in litibus hinc exortis iurisdictio erat[22]), inter alios ii haud dubie magistratus, ad quorum administrationem quaeque liturgia maxime pertineret.

---

8. De disciplina publica.

§. LXXXI.

Disciplinam Athenis omnemque privatorum vitam non tam legum praescriptiones publicaque instituta, quam mores civium et communis quaedam sed libera consensio regebant, ideoque in tanta populi libertate fieri non poterat, ut unam omnes eandemque vivendi normam sequerentur, sed illud quisque agebat, quod ipsi maxime probaretur. Et videri alicui possit nulla omnino publica disciplina fuisse in ea civitate, in qua cuivis suo modo vivere liceret, neque certae essent aut puerilis institutionis aut virilium studiorum regulae publice sancitae, nihilque fere privatis res publica iniungeret officii, nisi ut certa quaedam maximeque necessaria munia pro virili parte obirent, delictisque et flagitiis abstinerent. Fuit tamen nihilo secius in ipsa forma rei publicae omnique civilis societatis condicione magna haud dubie vis etiam ad vitam hominum moresque regendos et conformandos: libertas autem illa agendi quod quisque vellet, etiamsi nonnihil mali, unum tamen longe optimum habuit, ut illud quisque studiosissime sequeretur, ad quod se maxime a natura factum videret, ac proinde verae et ingenuae hu-

---

22) Vid. Meier. Proc. Att. p. 107. Boeckh. p. 123. — Alias autem trierarchorum lites etiam οἱ ἀποστολεῖς (vid. c. 5 §. 45, 31.) instruebant, veluti de armamentis navium e publico armamentario praebitis et a quoque trierarcho successori tradendis, Demosth. in Euerg. p. 1147, 1; quamquam utrum ordinaria horum iurisdictio fuerit non satis apparet.

manitatis bona multipliciter provenirent, recteque illud diceretur, qui Athenis viri boni existerent, eo ceteris praestantiores esse, quod virtutem non extrinsecus inditam, sed libere et suapte sponte susceptam ac naturalem haberent [1]).

§. LXXXII.

Jam primum infantes tollendine an exponendi essent, non publica, ut apud Spartanos, sed privata erat ipsius parentis consultatio [1]). Sublatos liberos postea interimere parentibus haud licuit [2]): poterant tamen filii abdicari, si gravius peccassent [3]), filiae innuptae venum dari propter impudicitiam [4]). — Disciplina puerilis tenuiorum quidem hominum, quos victus quaerendi cura a liberalioribus studiis arceret, consistebat fere in primis litterarum elementis [5]), quibus imbuti mox ad artem aliquam discendam traducerentur, unde quaestum aliquando facere possent. Eiusmodi arte si quem pater instituere neglexisset, hunc

---

1) Plato Legg. I p. 642 C: *τὸ ὑπὸ πολλῶν λεγόμενον, ὡς ὅσοι Ἀθηναίων εἰσὶν ἀγαθοὶ, διαφερόντως εἰσὶ τοιοῦτοι, δοκεῖ ἀληθέστατα λέγεσθαι. μόνοι γὰρ ἄνευ ἀνάγκης αὐτοφυῶς καὶ θείᾳ μοίρᾳ ... οὔτι πλαστῶς εἰσὶν ἀγαθοί.*

1) Exponere infantes Athenis licuisse comicorum Latinorum fabulae demonstrant, quibus cur Meierus Proc. Att. p. 429 fidem habere noluerit non satis intelligo: et nullam hac in re impietatem inesse Graecis visam satis constat. Cf. Petit. Legg. Att. p. 219. Stallbaum. ad Plat. Polit. tom. I p. 359. Diversam Thebanorum legem commemorat Aelianus V. H. II, 7.

2) Contrariae sententiae auctores laudantur Sextus Empiricus Pyrrhon. hypotyp. III p. 180 et rhetores quidam apud Meursium Them. Att. 1, 2 et Wesseling. ad Petit. p. 236. Sed nemo quaesivit quid sit quod illi dicunt *κατὰ τὸν τῶν ἀκρίτων νόμον.* Scilicet propter certa quaedam delicta hominem occidere cuivis impune erat, ideoque etiam liberos parentibus. Cf. supr. p. 290, 8.

3) De abdicatione, *ἀποκηρύξει,* cf. Petit. Legg. Att. p. 234 sq. Meier. Proc. Att. p. 432 sq.

4) Plutarch. Solon. c. 23.

5) Cf. Aristoph. Equitt. v. 189. Eupolis apud Quintilian. I. O. 1, 10, 18. In universum vid. Adolph. Cramer, de educatione puerorum apud Athenienses. Marburg. 1833. 8.

vicissim alendi in senectute patris officio leges solvebant [6]), non minus quam eum, qui puer a patre prostitutus esset [7]). Liberalioris disciplinae, cuius pauci admodum honestiore loco nati expertes esse solebant, duae partes erant, musica et gymnastica, altera ad animorum culturam, altera ad corporum exercitationem pertinens, quarum aequabili recteque temperata consociatione [8]) viri existerent animo pariter ac corpore sani, pulchri, valentes et, ut Attici loquuntur, *καλοκἀγαθοί* [9]). Musicae institutionis a septimo fere aetatis anno [10]) fundamenta ponebantur apud grammatistam [11]). Is perceptis elementis puerulos exercebat poetarum locis aut se dictante excipiendis, aut de scripto recitandis, aut memoriter repetendis [12]). Adhibebantur his exercitationibus praeter Homerum etiam Hesiodus, Theognis, Phocylides eorumque similes poetae [13]), qui sapientiae virtutisque praeceptis aut

---

6) Plutarch. Solon. c. 22. Vitruv. praef. lib. VI. Petit. Legg. Att. p. 244. Menag. ad Diog. Laert. I, 55.

7) Aeschin. in Timarch. p. 40.

8) Cf. Plat. de re publ. V p. 442 A. IV p. 412 A. Add. Jacobs. script. miscell. tom. III p. 166. (Ueber die Erziehung der Hellenen zur Sittlichkeit.)

9) Aristoph. Ran. v. 740. 741.

10) Auct. Axiochi c. 7. cf. Quintil. 1, 1, 15. — Plato Legg. VII p. 809 extr. triennium, ab anno decimo ad tertium decimum, grammatistae, alterum deinceps triennium citharistae dandum statuit.

11) Plato Legg. l. l. Euthydem. p. 276 E. Protag. p. 312 B. Aeschin. Eryx. §. 20. Axioch. c. 11. Hinc ars eius *γραμματιστική* et *γραμματική*, nihil aliud quam *ἐπιστήμη τοῦ γράψαι καὶ ἀναγνῶναι.* Aristot. Topic. VI, 5. Plura vid. ap. J. Classen, primord. gramm. graec. (Bonn. 1829. 8.) p. 3—6.

12) Suid. s. v. *ἀποστοματίζειν* et *γυμνάσια.* Heindorf. ad Plat. Euthyd. p. 316. Ruhnken. ad Timae. p. 44. Wolf. prolegg. ad Homer. p. CIII.

13) Jacobs. script. miscell. III p. 288. Welcker. prolegg. ad Theogn. p. LXXII. Bernhardy syntax. graec. p. 4 not. 5. Nitzsch. de histor. Hom. 1 p. 36. Etiam fabulas Aesopias cum pueris tractari solitas ex Aristophane colligi potest Avv. v. 472.

exemplis puerilem animum alerent[14]). Qui litteras, idem etiam numerorum computandi rationem tradidisse videtur[15]). Publice constituti litterarum magistri nulli erant[16]): aperiebant ludum qui vellent et civibus suis idonei viderentur, didactrisque discipulorum alebantur[17]). Cautum tamen legibus, ne qua in ludis corruptela pueri contaminarentur[18]).

§. LXXXIII.

Deinceps ad citharistam deducti[1]) psallendi et canendi arte erudiebantur, quantum opus esset ad liberalem honestamque animi oblectationem. Nam subtilior quidem et operosior artis tractatio iis relinquenda videbatur, qui nihil potius quod agerent haberent[2]); carmina autem lyrica, quorum omnis virtus et pulcritudo plene et recte percipi nisi in cantu non potest, canere et voce et fidibus posse ad humanitatem Graeci pertinere iudicabant[3]). Hanc ob causam etiam tibiae minus quam citharae usum probabant[4]), ipsam-

14) Plat. Protag. p. 326 A. Aeschin. in Ctesiph. p. 525 extr.

15) Lucian. de gymnas. c. 21.

16) Cf. Hegewisch, ob bei den Alten öffentliche Erziehung war. Alton. 1811. 8 et Koenig de publ. educatione. Opuscc. p. 66 sqq.

17) Theophrast. charact. c. 30 p. 36 Ast. Demosth. in Aphob. 1 p. 828, 5. Plutarch. Themist. c. 10.

18) Huc pertinet Aeschin. in Timarch. p. 37.

1) Plat. Legg. VII p. 812 B.

2) Cf. Arist. Polit. VIII, 7, 1. Problem. XXX, 10.

3) Plat. Protag. p. 326 B: *ἐπειδὰν κιθαρίζειν μάθωσιν, ἄλλων αὖ ποιητῶν* (scil. quam eorum quos apud grammatistam cognoverunt.) *ἀγαθῶν ποιήματα διδάσκουσι μελοποιῶν, εἰς τὰ κιθαρίσματα ἐντείνοντες καὶ τοὺς ῥυθμούς τε καὶ τὰς ἁρμονίας ἀναγκάζουσιν οἰκειοῦσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παίδων, ἵνα ἡμερώτεροί τε ὦσι καὶ εὐαρμοστότεροι γιγνόμενοι χρήσιμοι ὦσιν εἰς τὸ λέγειν τε καὶ πράττειν. πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται.* Cf. id. de re publ. III p. 401 D. 411 A. B. VII p. 522 A.

4) Aristot. Polit. VIII, 6, 5. cf. Plutarch. Alcib. c. 2. Plat. de re publ. III p. 399 D.

que citharam ita, si serviret voci, non officeret, comes esset, non domina: modosque canendi eos, qui cum decore et gravitate vocem canentis supra sermonis humilitatem extollerent, non qui exsultarent licentius, artificiosisque ornamentis nativam et simplicem carminum pulcritudinem onerarent [5]. Quamquam posterioribus temporibus etiam ista musicae artis corruptela et luxuria, in Ionia maxime et apud Aeolenses orta, nimio plures Athenis amatores invenit, ipsique poetae carmina non ad priscam illam Doricamque castimoniam et severitatem, sed ad hanc novam mollitiem et dulcedinem componere coeperunt [6].

§. LXXXIV.

Gymnasticam pueris disciplinam paedotribae adhibebant [1]), quorum ars non solum variis exercitationum generibus, sed etiam apto victus cultusque modo laborumque et requietis temperamento salubritatem corporibus cum robore, agilitatem cum decore praestabat [2]). Athletarum enim

---

5) Cf. Plat. Legg. II p. 669—671. VII, 812. Add. Pratin. ap. Athenae. XIV p. 617.

6) Aristoph. Nubb. v. 963 sqq. Rann. v. 1328.

1) De paedotribis et gymnastis, quae nomina modo eosdem modo diversos gymnasticae rei magistros designant, vid. Perizon. ad Aelian. V. H. II, 6. Spanhem. ad Aristoph. Nubb. v. 967. van Dale dissertatt. p. 691 sqq. Wyttenbach. ad Plut. Moral. tom. II p. 155. 156 ed. Lips. (praec. sanit. tuend. p. 133 B.) — Commemorantur praeterea *ἀλειπταί* (Wyttenb. l. l.), deinde in inscriptionibus posteriorum temporum *ὑποπαιδοτρίβαι, παιδευταί, ἡγεμόνες, ὁπλομάχοι*, et ministeriorum nomina *κεστρόφυλαξ, θυρωρός, λεντιάριος.* Vid. Corp. Inscr. no. 255. 266—282.

2) *Γυμναστικὴ περὶ εὐεξίαν σωμάτων καὶ καχεξίαν.* Plat. Gorg. p. 450 A. Cf. de re publ. VII p. 521 E. Xenoph. Memm. III, 12 ibique Schneider. Et *ἔργον παιδοτρίβου, καλούς τε καὶ ἰσχυροὺς ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ σώματα.* Plat. Gorg. p. 432 B. cf. p. 464 A. B. Aristot. Polit. IV, 1, 1. Gymnasticen paedotribicae partem dicit Isocr. de permut. p. 91 Orell. E recentioribus vid. impr. Hier. Mercurialis de arte gymnastica. Amst. 1672. 4. J. H. Krause, Theagenes oder wissenschaftl. Darstellung der Gymnastik, Agonistik u. Festspiele der Hellenen. Hall. 1835. 8.

studia prudentioribus improbabantur [3]), quae quum tota essent in viribus corporis et ne his quidem omnibus aequabiliter augendis, exiguam salubritatis aut decoris rationem habebant, animos autem nimia corporis cura aut obruebant aut efferabant [4]). Contra haec sana disciplina gymnasiorum cum valetudine et vigore corporum etiam animis vigoris aliquid et alacritatis additura iudicabatur [5]), illaque in omni habitu, in statu, motu, incessu honesti atque decori meditatio non poterat non eiusdem etiam in mentibus honestatis et decori sensum studiumque alere et excitare. Quid dicam de alacri et hilara colludentium inter se et concertantium conversatione, quae et puerorum vitam laetitiae iuvenilis quasi quodam flore ornaret, honestissimaque aemulatione impleret, et futurae inter viros amicitiae solidissima fundamenta iaceret. His bonis si quis mala ea opponat, quae nonnunquam e gymnasiis orta dicuntur, quum nuda iuvenilium corporum pulcritudo sine velamento adspecta etiam inhonestas in impuris animis libidines accendere posset [6]): potuit sane hoc fieri, et fiebat fortasse non raro; sed potuit hoc tamen etiam disciplinae severitate ut plurimum caveri, potuerunt etiam puri esse et honesti puerorum amores [7]), potuerunt animi in pulchro corpore pulchri, potuerunt etiam corpora amari, quemadmodum nos Mercurii alicuius aut Apollinis pulcritudinem lapide expressam amamus: quam sane

---

3) Arist. Polit. VIII, 3, 3. Eurip. Autolyc. fr. ap. Athenae. X p. 413. Galen. protrept. c. 9—14 tom. 1 p. 20—27 Kühn. Plutarch. Philopoem. c. 3. Corn. Nep. Epamin. 2, 4.

4) Hinc Solon *συνέστειλε τὰς τιμὰς τῶν ἐν ἀγῶσιν ἀθλητῶν.* Diog. Laert. Solon. c. 55. Et tamen huius quoque artis magistros longe praestantissimos Athenis fuisse Pindarus testatur Nem. V, 49.

5) Plat. Protag. p. 326 B. C. Aristot. Polit. VIII, 2, 3. Lucian. de gymnas. c. 24.

6) Cic. Tuscul. IV, 33.

7) Cf. Jacobs. l. l. p. 212—254.

divinam pulcritudinem concipere artificum mentes nunquam potuissent, nisi humanae pulcritudinis assidua contemplatione innutritae et accensae [8]). Nobilissima Athenis gymnasia et vetustissima tria erant, extra urbem omnia sita, Academia, Lyceum, Cynosarges [9]). Ex his Academia sex fere ab urbe stadiis erat Colonum versus [10]), ab Academo quodam aut heroe aut conditore appellata [11]), ab Hipparcho Pisistrati filio muro cincta [12]), a Cimone aquae ductibus ambulationibusque exornata [13]), cum nemore hortisque amoenissimis et plurimis deorum et heroum aris et sacellis [14]). Lyceum prope fanum Apollinis Lycei Lycique herois, filii Pandionis [15]), ad Cephisum rivum, urbi ad orientem [16]), a Pisistrato aut, ut alii tradunt, a Pericle extructum [17]), post a Lycurgo oratore instauratum exornatumque [18]). Cynosarges haud procul a Lyceo ad portam Diomensem cum Herculis fano [19]), dictum, ut perhibent, in fabulosi cuiusdam sacrificii extorumque ab alba cane raptorum memo-

---

8) Cf. Winckelmann. Opp. tom. I p. 10 sqq.

9) Dicaearch. fr. ed. Buttmann. p. 21.

10) Leak. topogr. p. 161—164.

11) Schol. Demosth. in Timocrat. p. 182 Reisk. Dicaearch. ap. Plut. Thes. c. 32 (qui proprie hunc *Ἐχέδημον* dictum vult.) Timon. ap. Diog. Laert. vit. Plat. s. 7. Harpocr. et Suid. s. v. Lex. Seguer. p. 212.

12—14) Leak. l. l. et p. 328.

15) Pausan. I, 19, 3. — Gymnasium proprie dicitur *τὸ ἐν Λυκείῳ* aut *ἐπὶ Λυκείῳ, πρὸς Λυκείῳ, κατὰ Λύκειον γυμνάσιον*. Pausan. l. l. §. 16. Pseudoplut. vitt. X oratt. p. 852 C. Saupp. ad Lycurg. in Leocr. p. 78.

16) Dodwell. Sickler. I p. 240. Leake p. 211 sqq.

17) Harpocr. s. v. *Λύκειον*. Phot. Pors. p. 234. Lex. Seguer. p. 277. Lenz. ad Philoch. fragm. p. 53. Wichers. ad Theopomp. p. 91. 212.

18) Pseudoplutarch. vitt. X oratt. p. 841 c. Cf. Nissen, de Lycurgi vita (Kil. 1833. 8.) p. 49.

19) Leake p. 213—216.

riam[20]). Proprium hoc gymnasium ante Themistoclem nothis fuit; sed id postea non amplius observatum[21]). Quae praeterea commemorantur gymnasia, Diogenium[22]), Ptolemaei[23]), posteriorum sunt temporum. Diversa autem a gymnasiis palaestrae erant, quales commemorantur Hippocratis, Taureae, Sibyrtii[24]), in quibus neque eadem omnia quae in gymnasiis exercitia, neque publice, ut in illis, sed privatim factitata videntur[25]): quamquam erant palaestrae etiam publicae et cum gymnasiis coniunctae aut gymnasiorum partes[26]).

§. LXXXV.

Custodes omnis puerorum disciplinae publice constitutos fuisse decem sophronistas et Areopagi etiam huc maxime pertinuisse auctoritatem supra iam commemoravimus[1]). Habebat autem prae-

---

20) Pausan. I, 19, 3. Suid. s. v. Phot. p. 187. 188.

21) Demosth. in Aristocr. p. 691, 18. Plutarch. Themist. c. 1 ibique Sintenis.

22) Corp. Inscr. I p. 456.

23) Pausan. I, 17, 1.

24) Pseudoplut. vitt. X or. p. 837 E. Plat. Charmid. p. 153 A. Plutarch. Alcib. c. 3. Palmer. ad Lucian. de parasit. c. 43. — Fuitne idem Taureas cum Sibyrtio? quae Meieri sententia esse videtur ad Leak. p. 423.

25) Cf. Stein. ad Plutarch. de puer. educ. p. 156.

26) Ita Lycurgus ap. Pseudoplut. p. 841 C. palaestram in Lyceo aedificasse dicitur. In univ. cf. Xenoph. de r. p. A. 2, 10. Pausan. VI, 21, 2. 23, 3 ubi πάλαιστραι exercitia quidem sunt, sed quibus palaestrae inserviebant. Add. A. Cramer. de educ. puer. p. 37. Krause Theag. p. 141. 234.

1) Cap. 8 §. 71, 12. et c. 7 §. 59. — Sed videtur mihi sophronistarum magistratus recentior esse: neque enim a scriptoribus commemoratur praeterquam a grammaticis et ab auctore Axiochi c. 8, quem dialogum Alexandrinae aetatis esse certis indiciis demonstrari potest; porro in inscriptionibus frequens sophronistarum mentio est, ut etiam κοσμητῶν, ἀντικοσμητῶν, ὑποκοσμητῶν: sed nulla harum inscriptionum e vetustioribus est. Vid. Corp. Inscr. no. 254. 258. 272. 276. 277 et all. mult. Antiquitus gymnasiarchis disciplinae in gymnasiis curam impositam fuisse colligas e Solonis lege ap. Aeschin. in Timarch. p. 38. 39; quos

terea suum quisque custodem a parentibus additum, paedagogum, qui eum et deduceret in ludum domumque reduceret, et omnino prodeuntis in publicum lateri adhaereret, ut nullum non pueri tempus aut sub parentum aut sub magistrorum aut sub paedagogi oculis ageretur. Hi e servorum numero deligebantur: quumque nullum nisi spectata fide ac probitate paedagogum legi conveniret, non raro tamen ii potissimum capti, qui aliis ministeriis propter aetatem aut infirmitatem minus idonei haberentur; quorum non poterat non exigua adversus pueros auctoritas et specie magis quam re custodia esse [2]). Publicis autem legibus quaecunque ad arcendam a pueris corruptelam pertinerent, diligentissime cauta: ne palaestricorum gymnasticorumque exercitiorum servi participes fierent, ne ingenuos pueros amarent [3]): ne ante solis ortum ludi aperientur, neve post occasum paterent: ne adulti ad pueros intromitterentur, neve Museorum aut Hermaeorum ferias agentibus immiscerentur [4]), et quae sunt alia eius generis: quamquam pleraque horum iam Socratis

---

quidem diversos fuisse ab iis, qui certorum ludorum causa ad sumptus gymnasiorum praebendos constituebantur, vix dubitari potest: quamquam illorum quoque unus e veteribus Aeschines orator mentionem facit, deinde auctor Axiochi l. l. Eryx. c. 21. inscriptionesque multae. Sed de his et de mutata subinde eorum ratione satis est Ahrensium laudare, de Athenarum statu post foederis Achaici interitum (Gotting. 1829. 4) p. 56. Ceterum etiam ap. Aristot. Polit. VI, 8 extr. *γυμνασιαρχία* cum *γυναικονομίᾳ, παιδονομίᾳ, νομοφυλακίᾳ* componitur.

2) Vid. Jacobs. l. l. p. 186—190. A. Cramer. l. l. p. 11 sq. F. Cramer, Geschichte der Erziehung u. des Unterrichts (Elberfeld. 1832. 8.) 1 p. 258.

3) Aeschin. in Timarch. p. 147. Plutarch. Solon. c. 1 Sept. Sap. conv. p. 152 D ibique Wyttenbach. tom. II p. 238 Lips. — Peregrinos ad civium gymnasia admissos esse constat, certe posterioribus temporibus, quum multi undique adolescentes disciplinae causa Athenas confluerent. Vid. Boeckh. de ephebia (prooem. aest. 1819.) p. 8 et Ahrens. l. l. p. 53.

4) Aeschin. in Timarch. p. 34—39.

aetate non amplius observata videmus [5]) omninoque prisca disciplinae severitas illo tempore omnibus modis laxata et remissa erat [6]).

§. LXXXVI.

Tenebantur autem pueri in illo musicae gymnasticaeque disciplinae orbe fere usque ad annum duodevigesimum, ita quidem ut postremum ante hoc tempus biennium gymnasiis potissimum daretur [1]), quo melius scilicet praeparati militiam mox inter circuitores usque ad vigesimum annum obeundam tolerarent [2]). Multi vero, non contenti illa populari disciplina, etiam plura in utroque genere amplecti studebant [3]): velut in gymnasticis *ὁπλομαχία* Socratis aetate ab adolescentibus disci coepit [4]), in musicis geometria aliaque mathema-

---

5) Vid. e. c. Plat. Lys. p. 206 D. Cf. Theophrast. charact. c. 7.

6) Aristoph. Nubb. v. 955 sqq. Plaut. Bacchid. III, 3, 17. Cicero de re publ. 1, 43.

1) Hoc biennium designatur in notissima formula *ἐπὶ διετὲς ἡβᾶν*, de iis qui post biennium *ἀφ' ἥβης* iam lexiarchicis tabulis inscribuntur, quod duodevigesimo aetatis anno factum esse constat. Vid. quae citavi de comitt. p. 76. 77. Et illam *παίδων δοκιμασίαν*, cuius Aristoph. Vesp. v. 578 mentionem facit, vetus interpres pertinere ait ad *γυμνικοὺς ἀγῶνας*: voluit, opinor, dicere ad gymnastica exercitia ea quae puberum propria essent. Cf. et quos supra cap. 2. §. 25, 10 citavimus. Ceterum etiam ephebos post annum duodevigesimum non exclusos gymnasiis esse certum est. Vid. Boeckh. de epheb. p. 8.

2) Legibus praescriptam in gymnasiis exercitationem civium liberis omnibus fuisse e recentioribus scriptoribus multi perhibent, veterum, quod sciam, nemo, nisi quis huc trahere velit Platonis verba, Criton. p. 50. D: *ἢ οὐ καλῶς προσέταττον ἡμῶν οἱ ἐπὶ τούτῳ τεταγμένοι νόμοι παραγγέλλοντες τῷ πατρὶ τῷ σῷ σε ἐν μουσικῇ καὶ γυμναστικῇ παιδεύειν.* Sed in Theag. p. 122 E hoc *τῶν καλῶν κἀγαθῶν* filiis proprium tribuitur, similiterque Isocrates loquitur Areop. c. 17, nullamque hac de re legem fuisse etiam Aeschines docere potest in Timarch. p. 147. Desolatas sua aetate palaestras esse Aristophanes queritur. Nubb. v. 1043.

3) Natare omnes didicisse traduntur, ut in proverbium abierit *μήτε νεῖν μήτε γράμματα.* Vid. Ast. ad Platon. Legg. p. 170.

4) Plat. Lach. p. 182. Haas. ad Xenoph. de re p. Lac. p. 219. Huc adde artem saltandi, cuius ipsum Socratem studiosum

tica [5]), graphice [6]), rhetorica [7]), denique omnis rerum divinarum humanarumque scientia, qualem illo tempore sophistae [8]) ad popularem captum in varias doctrinas dispertitam magna mercede docebant [9]): quorum quidem scholae etiam ab adultis assidue frequentabantur.

§. LXXXVII.

Puellarum disciplina tota domestica erat, neque id in iis spectabatur, ut litteris artibusque elegantioribus eruditae, sed ut incorruptae forent malorumque exemplorum expertes. Itaque continebantur domi sub parentum custodia [1]): in publicum raro prodibant, nisi sacrorum causa, nec unquam solae: magistros nullos habebant praeter matrem: artes non discebant nisi lanificium aliaque opera muliebria [2]). Dein tenera plerumque aetate [3])

---

fuisse legimus Xenoph. Memm. III, 4 Athenae. XIV p. 628 E., et artem equitandi. Bergman. ad Isocr. Areop. p. 137.

5) Bergman. l. l. p. 124. Etiam ars tactica et strategica. Plat. Euthyd. p. 273. Xenoph. Memm. III, 1.

6) Aristot. Polit. VIII, 2, 3. Cf. Plin. H. N. XXXV, 36, 8.

7) Plat. Gorg. p. 448. D. Cf. L. Spengel. *τεχνῶν συναγωγή* s. artium scriptores usque ad Aristot. Stuttgart. 1828. 8. Westermann. Geschichte der griech. Beredsamkeit p. 40 sqq.

8) Vid. Geelii histor. crit. sophistarum, in Novis actt. soc. Rhen. Trai. tom. II a. 1823. Meiners, Geschichte der Wiss. in Gr. u. Rom. part. II. Foss. de Gorgia Leontino p. 39. sqq. Roetscher, Aristophanes u. sein Zeitalter p. 245 sqq. Bernhardy, Grundriss der griech. Litteratur p. 330.

9) F. A. Wolf, vermischte Schriften p. 42 sqq. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 133 sq. Welcker. diss. de Prodico, in Mus. phil. Ren. 1 p. 22 sq.

1) Xenoph. Oecon. 7, 5. cf. Aristaenet. Ep. II. 5 p. 80. Philo de Legg. spec. p. 803: *οἰκουρία καὶ ἔνδον μονὴ παρθένοις εἴσω κλισιάδων, τὴν μεσαύλιον ὅρον πεποιημέναις.* Significat *τὴν γυναικωνῖτιν,* quae in postica parte aedium, aut si minores aedes essent, in superiore saltem parte erant. Cf. Taylor. ad Lys. p. 12. Boettiger. de Medea, in Matthiaei Miscell. philol. Vol. 3 p. 121.

2) Ludos litterarum aut musices ingenuis puellis destinatos Athenis nemo commemorat. Apud Terentium Phorm. 1, 2, 36 quae in ludum ducitur citharistria est, lenonis ancilla.

3) *Οὔπω πεντεκαίδεκα ἔτη γεγονυῖα.* Xenoph. Oec. 7, 5. Cf. intt. ad Hesiod. O. et D. v. 698. Bernard. ad Nonn. II p. 139.

viro collocatae, quem parentes probassent [4]), unam hanc curam impositam habebant, ut placerent viro remque domesticam recte tuerentur. Itaque cui vir bonus ac prudens contigisset, qui tenerum rudemque mulieris animum sana ratione tractaret [5]), haec facile et ipsa bona evadebat, curarumque domesticarum proba fidaque consors: rei publicae vero virilibusque negotiis mulieres immisceri, ut naturae contrarium, ita viris pariter ac mulieribus indecorum videbatur. Ceterum in mariti potestate situm, quantum quisque uxori libertatis ac iuris concederet. Leges hoc tantum caverunt, ne licentius aut immodestius in publico versarentur [6]), neve negotia absque mariti auctoritate contraherent quae unius medimni pretium excederent [7]). Moribus autem honestae mulieres prorsus arcebantur a publicis frequentatisque viris locis [8]), raro cum alienis etiam domi conversabantur, coetibus virorum et conviviis numquam intererant [9]).

---

4) Xenoph. l. l. §. 10.

5) Qualis est ille apud Xenophontem Ischomachus, a quo quae ad matrimonium pertinent condicioque mulierum, qua in proborum virorum coniugio uti solebant, melius, opinor, et certius disci possunt, quam e comicorum poetarum lusibus. E recentioribus imprimis Jacobsius scriptt. miscell. tom. IV p. 247. sqq. prudenti ac sobrio iudicio has res tractavit, multasque criminationes temere iactas refutavit. Cf. id tom. III p. 201—212.

6) Plutarch. Solon. c. 21. Harpocr. s. v. ὅτι χιλίας. Jacobs. tom. IV. p. 263.

7) Harpocr. s. v. ὅτι παιδὶ. Cf. Isae. de Aristarch. her. §. 10. c. comm. p. 439.

8) Xenoph. Oecon. 7, 30. Menand. fr. p. 87 v. 9 Meinek. Jacobs. l. l. p. 254, qui somnia nonnullorum de clausura mulierum, de custodibus adeoque canibus appositis, et quae sunt aliae eiusmodi nugae, scite redarguit. — In iudicium mulieres nonnunquam deprecandi causa adductas videmus. Cf. comm. in Isae. p. 438 sq.

9) Cf. Isae. de Pyrrh. her. §. 13. 14. Corn. Nep. praef. §. 7. A scenae spectaculis, non solum comoediis, sed etiam tragoediis mulieres Atticas exclusas fuisse multi crediderunt, quod nulla ratione demonstrari posse Jacobsius docuit l. l. p. 303—307. Cf. Ast. ad Plat. Legg. p. 105. Legibus fortasse ne a comoediis qui-

Ita carebat sane mulierum condicio plurimis earum rerum, quae virorum vitam ornabant et oblectabant: neque viragines Spartanas, neque poetrias Lesbias illa disciplina ferebat[10]; sed bonas tamen matres familias, quae pudice casteque viverent, domum cum viro concorditer regerent, maritis carae, liberis venerabiles essent, nescio cur pauciores Athenis quam alibi vixisse credamus[11].

§. LXXXVIII.

Legitimum cum una tantum muliere matrimonium[1]. Contrahebantur nuptiae parentum consensu factisque sponsalibus[2]: neque sacra aberant solemnia invocationesque deorum, sub quorum tutela matrimonium esse credebatur[3]. Nova nupta

---

dem spectandis arcebantur, quamquam honestas mulieres unquam a suis eo deductas esse nemo credet. Tractavit hanc quaestionem nuper W. A. Passow, über den Theaterbesuch der attischen Frauen, in Zimmermann. Diurn. antiquar. annn. 1837. no 29.

10) Adde — neque Phrynas aut Laidas, quarum consuetudinem amoeniorem fuisse quam matronarum simplicium et pudicarum nemo negat, neque tamen has prae illis contemptas ab Atheniensibus et minoris aestimatas esse concedemus. Aberat sane ab Atheniensium vita illud omne genus consuetudinis inter viros mulieresque, quod molli quadam et delicata dulcedine recentiorum populorum vitam perfundit: aberat coniugiis illud genus amoris, quo nihil non uxori cum viro commune est: sed deteriora propterea coniugia fuisse vix credo. Illud unum concedendum est, non eam lyricis scenicisque poetis materiam ab amore et rebus muliebribus suppeditatam esse, in qua tractanda nostrorum ingenia maxime sibi placere solent. Atque huc redeunt fere quae a Schillero Epist. ad Humboldt. p. 392 et a Bernhardyo Grundriss d. Griech. Litteratur 1 p. 41 proferuntur.

11) Gravitatem (τὸ ὑπόσεμνον) Atticis mulieribus tribuit Philostrat. Imagg. p. 806. Et sanctius maternum nomen quam paternum habitum esse vel Strepsiades ille Aristophaneus docere potest Nubb. v. 1433, ad quem locum Anna Daceria: il y a aujourdhui bien des maris, qui se consoleraient d'être battus, si leurs femmes étaient battues.

1) Vid. Luzac. Lectt. Att. p. 54 sqq. Meier. de bon. damn. p. 65.

2) Platner. symbol. ad ius. Att. cogn. p. 109. Meier. l. l. p. 66. Gans Erbrecht 1 p. 295. Nonnunquam non desponsione sed ἐπιδικασίᾳ nuptias contractas supra vidimus c. 1 §. 19, 19.

3) Vid. Barthelem. Anachars. cap. 77. tom. VIII p. 274 ed.

e patris phratria in phratriam mariti introducebatur ob sacrorum communionem, phratoribusque epulum, *γαμηλία*, dabatur [4]). Dotem dici moris quidem erat, neque tamen adeo necessarium, ut nullae absque ea iustae nuptiae essent [5]). Huius possessionem et usum vir habebat, ita tamen ut aestimatione facta praedium non minoris pretii pro pignore opponeret, ut soluto mariti morte aut per divortium matrimonio de recuperanda dote uxori eiusque cognatis caveretur [6]). Divortium aut consensu coniugum fiebat, aut ita, ut vir uxorem repudiaret, aut uxor a marito discederet [7]). Consentientibus de divortio coniugibus nullo iudicii interventu opus erat: neque magis, ut videtur, si viro repudiare uxorem placuisset. Uxori autem discedere e matrimonio non licebat nisi causa apud archontem probata per libellum, quem ab ipsa, non per alios, deferri leges iubebant. Epicleri, quas proximis cognatis in matrimonium ducere aut permissum aut iniunctum fuisse supra vidimus, quo minus obnoxiae forent maritorum iniuriis, malae tractationis (*κακώσεως*) actio in hos a quolibit sine actoris periculo institui poterat, mulctaque pro iniuriae magnitudine irrogari [8]). Li-

---

Bipont. ann. 1793. De nonnullis cf. et Boettiger. in Matth. Miscell. philol. III p. 317 sqq. Mueller. Orchom. p. 309. Lobeck. Aglaoph. p. 650. Boeckh. ad Pind. Ol. VII, 1. nos ad Isae. p. 368.

4) Cf. comm. in Isae. p. 263. Meier. de gentil. Att. p. 17. 18.

5) Comm. in Isae p. 233. De dotis magnitudine cf. ib. p. 253. Boeckh. oec. r. p. A. II p. 49. De φερνῇ Gans Erbrecht p. 302. Mueller. in Ephemer. Gotting. ann. 1837 no. 80 p. 799.

6) Quae dotis nomine dantur, τιμᾶσθαι ἐν προικὶ v. ἐντιμᾶσθαι προικὶ dicuntur, Meier. Proc. Att. p. 417; quae pignori opponuntur, ἀποτιμᾶσθαι, ἀποτιμήματα. Vid. id. p. 419. de bon. damn. p. 222, et de reddenda dote soluto aut non contracto matrimonio. Proc. Att. p. 419 — 422.

7) Meier. l. l. p. 413. Platner. II p. 270 sqq. Petit. Legg. Att. p. 558. Baehr. ad Plat. Alcib. c. 8.

8) De εἰσαγγελίᾳ et de γραφῇ κακώσεως ἐπικλήρων vid. Meier. l. l. p. 289 sq. Platner. II p. 224.

cuit etiam epiclero, quae viro nubere coacta esset ad maritale opus inhabili, ex alio quopiam, de cognatorum duntaxat numero, liberos quaerere; neque id pro adulterio erat[9]). Alias adulteram mulierem dimitti a marito leges iubebant infamiaque notabant[10]). Viros autem in matronae adulterio deprehensos impune a marito occidi aut contumelia affici, vinciri, pecunia mulctari licebat[11]). Uxores maritorum adulteria non alia re quam divortio ulcisci poterant: neque enim pellicatus aut meretricii amores legibus prohibiti, quamvis moribus improbati erant. Adolescenti tamen nondum marito cum meretrice rem habere non adeo flagitiosum putabatur[12]), diciturque ab ipso Solone institutum, ut, quo minus illicita concupiscerent, meretrices publice haberentur[13]). Neque tamen hoc satis testatum, et fuerunt haud dubie nimio plures, quae istum quaestum privatim factitarent, peregrinae, libertinae aut ancillae[14]). Lenocinium vero quam contemptum fuerit, comicorum testimoniis satis constat[15]). Ingenuas pro-

---

9) Plutarch. Solon. c. 20.

10) Or. in Neaer. 1374. Aeschin. in Timarch. p. 176. Infamia notabatur etiam maritus, qui manifestam adulterii uxorem non remisisset. Cf. Lelyveld. de infamia p. 171.

11) Petit. Legg. Att. p. 562 sqq. Meier. P. A. p. 327 — 331.

12) Terent. Adelph. I, 2, 21.

13) Philem. ap. Athenae. XIII p. 569 D. (Meinek. p. 357 sq.) Nicander ap. eund. et ap. Harpocr. s. v. πάνδημος Ἀφροδίτη. Ceterum de Veneris πανδήμου cognomine diversam a vulgari et veriorem haud dubie sententiam Apollodorus tradidit ap. Harpocr. l. l. Cf. Pausan. I, 22, 3. Lobeck. Aglaoph. p. 437, et de eius templo Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 470. Leake p. 232.

14) De his cf. Petit. Legg. Att. p. 573—576 (sed qui ab hoc affertur Lysiae locus, alienus est.) et Wachsmuth. II, 2 p. 47. De nobilioribus quibusdam honestioris generis meretricibus, non πόρναις sed ἑταίραις, vid. Jacobs. scriptt. miscell. IV p. 311—554.

15) Unum civis Attici, sed hominis nequam, exemplum apud Isaeum est, lenonium quaestum non quidem ipsius exercentis, sed per libertinam, de Philoct. her. §. 19. Charisius in comm. ad h. l. p. 333 commemoratus non Atticus fuit, sed Eleus.

stituere capitale fuit[16]): vitium invitis etiam servis illatum supplicio aut mulcta vindicatum[17]). Impudici infamia notati[18]).

§. LXXXIX.

Omnino haec poena infamiae iure Attico tanquam aptissimum publicae disciplinae adminiculum coercendis deterrendisque a flagitio et turpitudine civibus adhibebatur. Denunciabant enim leges infamiam, si quis bona paterna per luxuriam malasque artes dilapidaret[1]), si non honestis artibus victum quaereret[2]), debita parentibus pietatis officia non praestaret[3]), militiam detrectaret, ignavus in bello et fugax esset[4]), porro si quis depositum non redderet[5]), furtum faceret[6]), pecunia se in magistratu aut iudiciali munere corrumpi pateretur[7]), falsum testimonium diceret[8]), et quae

16) Aeschin. in Timarch. p. 177. Petit. p. 569. Meier. P. A. p. 332 sq.

17) Aeschin. l. l. p. 41. Demosth. in Mid. p. 529. Cf. Lys. de caed. Eratosth. p. 34. Petit. p. 569—572. Meier. P. A. p. 321 sqq.

18) Aeschin. l. l. p. 44—48. Petit. p. 572. Meier. p. 334. Lelyveld. de infam. p. 251, quem tamen de horum *ἀτιμίας* genere non recte statuere vel Demosthenes docere potest in Androt. p. 609, 21. In univ. cf. Wachsmuth. II, 2 p. 49.

1) Aeschin. in Timarch. p. 55. Diog. Laert. vit. Sol. s. 55. Cf. Meier. de bon. damn. p. 130. Proc. Att. p. 299.

2) Qui ter *ἀργίας* damnatus erat, *ἄτιμος* fiebat. Vid. loc. ap. Meier. de bon. damn. p. 130. Proc. Att. p. 298. Lelyveld. de infam. p. 181 sq.

3) Meier. de b. d. p. 126 sq. P. A. p. 288. 293. Lelyveld. p. 139 sq.

4) De poena *ἀστρατείας, λιποταξίου, ἀναυμαχίου, δειλίας* vid. Meier. de b. d. p. 123 sqq. P. A. p. 364. Lelyveld. p. 99—119.

5) Meier. de b. d. p. 130. P. A. p. 512—514. Lelyveld. p. 186.

6) Meier. p. 106 sqq. P. A. p. 358.

7) Meier. p. 111 sqq. P. A. p. 351. Lelyveld. p. 78.

8) Qui ter *ψευδομαρτυριῶν* aut *ψευδοκλητείας* convicti erant, *ἄτιμοι* fiebant. Meier. de b. d. p. 125 sqq. P. A. p. 383. Lelyveld. p. 123.

sunt alia delicta eiusmodi, quae corruptos pravosque delinquentium mores prodant, quales arceri a re publica tractanda usurpandisque civium iuribus convenit. Et quo minus aliquis eiusmodi delicta sibi impunita fore speraret, publicae de omnibus actiones datae erant, ut accusare cuivis liceret: quae res, etiamsi multarum saepe calumniarum opportunitatem fecit [9]), pertinebat tamen haud dubie aliquid ad coercendos malos mores, quum quos ipsa factorum turpitudo minus moveret, praesenti semper accusationis metu frenarentur. Eodem aliquando etiam Areopagitici senatus potestas auctoritasque censoria pertinuit, de qua supra dictum est [10]): et posteaquam haec imminui et aboleri mutato rei publicae statu coepit, ipsa illa libertas, quae Areopagum non tulerat, tulit tamen aliud quoddam, quamvis longe diversum, censurae genus in scena publice factitatum, quum a priscae comoediae poetis, quicunque aliquo dedecore et flagitio insignes essent, libere notarentur [11]). Quamvis enim saepenumero comoedia, libertate illa dicendi petulanter et intemperanter abusa, censurae suae ipsa vim infregerit, admixtisque rebus verbisque obscoenis et ad risum plebeculae captandum accommodatis bona sua obscuraverit, nihil tamen ex ea boni in publicos mores redundasse nemo dixerit, dumne res ad hodiernam verborum magis quam factorum verecundiam aestimetur [12]).

§. XC.

Haec igitur omnia fuerunt coercendis moribus poenarum, aut ignominiae irrisionisque metu:

---

9) Xenoph. Memm. II, 9. Cf. Menag. ad Diog. Laert. V, 9.

10) Cap. 7 §. 66.

11) Horat. Sat. 1, 4 in. Cf. P. F. Kanngiesser, die alte komische Bühne zu Athen, p. 469.

12) Cf. Jacobs. script. miscell. III p. 323—333. Rötscher, Aristophanes und sein Zeitalter, p. 37—42.

alia rursus non pauciora ad alendum acuendumque in hominum animis decori honestique sensum et amorem egregie comparata. In his primum artis opera numeramus, per omnem urbem in sacris publicisque locis plurima et pulcherrima [1]), quorum quotidiano adspectu fieri profecto non poterat, quin illud ipsum, quo illorum operum pulcritudo constat, etiam in mentes paullatim se insinuaret, et recti ordinis modique, elegantiae ac dignitatis normam atque formulam iis imprimeret [2]). Accedit, quo etiam efficaciora haec ad hominum animos fieri necesse erat, quod pleraque non oblectationis solum causa proposita, sed cum religione coniuncta numinibusque deorum consecrata erant. Et vere dici potest, in religione Graecorum quod praeceptis ac populari rerum divinarum doctrinae defuerit, id artis opera quodammodo compensatum ac suppletum esse. Nam doctrina religionis aut nulla erat aut fabulis corrupta et obscurata; ars autem pleraque, ea quidem certe, quae templa deorum et delubra ornabat, plena erat sanctitatis et pietatis illamque divinae naturae dignitatem ac praestantiam, quae venerabiles deos hominibus faceret, puram et intemeratam servabat, eoque efficacius commendabat, quo propius divinitatemne dicam humanitati, an humanitatem divinitati admovebat [3]). Eodem cum hac arte loco etiam tragoedia censenda est, et ipsa tota cum religione coniuncta festisque deorum solemnibus unice destinata [4]). Nam vetus quidem illa tragoedia, qualem Aeschylus et Sophocles fecerunt, gravis et severa castaeque et

---

1) Cf. imprimis Jacobs, über den Reichthum der Griechen an plastischen Kunstwerken, script. miscell. III p. 427 sqq. et 485 sqq.

2) Cf. Herder. Calligone II p. 135. Jacobs. l. l. p. 452.

3) Jacobs. p. 360–365. Grüneisen, über die Sittlichkeit der bildenden Kunst bei den Griechen. Leipz. 1833.

4) De hac quoque egregie disputat Jacobs. p. 306–318.

decorae dignitatis plena, quid aliud in deorum heroumque factis et eventis repraesentandis quam summi illius et vere divini numinis [5]), cui pariter omnia subiecta sunt, cuiusque veneratione omnis religio continetur, graviter et luculenter spectatores admonuit? Minorem in aliis religionum institutis, in caeremoniis festisque sanctitatem, nec tam ad sanam puramque pietatem quam ad superstitionem pleraque accommodata fuisse, quilibet concedit; sed spectaculorum tamen ac ludorum solemnitates, rerum omnis generis pulcherrimarum adspectus, artium gymnicarum et musicarum concertationes non poterant non in hominum animis alere atque excitare illos generosioris naturae igniculos, qui vitam humanam a feritate ac barbarie disiunctam honestarum rerum studiis liberalique oblectatione illuminant [6]). Et fuit profecto nulla unquam gens tam eximie his studiis quam Athenienses honestata, nulla minus ventri ac luxuriae illiberali dedita, nulla in victu cultuque corporis omnique domestica ac privata vita frugalior, pulcritudinis et elegantiae studiosior [7]), denique earum omnium rerum, quae ad humanitatem pertinent, aut cupidior aut capacior [8]).

---

5) Illud enim ante omnia tenendum censeo, si quis recte de Graecorum religione iudicare velit, fuisse illis non hos solum deos, quorum nomina fabulosamque historiam poetae tradunt, sed vim quandam numenque divinum, quod quum non esset una aliqua natura totum comprehensum, inesset tamen in omnibus; tantoque quemque augustiorem habitum, quanto plus illius numinis in eo inesset. Rem quam persequi hoc loco longum est tetigit etiam Jacobs. p. 345—355.

6) Cf. Plat. Legg. II p. 653 D. Thucyd. II, 38.

7) φιλοκαλεῖν μετ' εὐτελείας. Thucyd. II, 40. De frugalitate Atheniensium cf. Athenae. VI p. 229. IV, 132 E. 137 D. X, 417 C. Add. Boeckh. oec. r. p. A. 1 p. 69 sqq. 110 sqq.

8) φιλόλογοι, h. e. non solum colloquendi, sed disputandi discendique et docendi invicem studiosi Athenienses a multis dicuntur. Vid. Plat. Legg. 1 p. 641. Isocr. de permut. p. 127 Orell. Quanquam negari non potest adiunctum huic virtuti saepenumero etiam ἀδολεσχίας vitium fuisse, frequentesque otiosorum hominum

§. XCI.

Hae igitur virtutes et alebant artes et rursus ab artibus alebantur: alias libertas populi formaque rei publicae procreabat augebatque. Nam quum aditus ad rem publicam nemini propter paupertatem aut generis obscuritatem praeclusus, praemiaque et honores in medio positi essent, hinc honesta omnium aemulatio accendebatur, ut quantum possent viribus contenderent, bene de patria mereri studerent, rem privatam ac familiarem minus fere quam publicam animo et voluntate amplecterentur, quique aliter agerent reique publicae opera, consilio, facultatibus inservire negligerent, ignavi atque inutiles haberentur [1]. Hinc domi industria, foris strenuitate et fortitudine civitatis opes et gloriam augebant, nactique maris principatum sociorumque plurimorum tributa, his divitiis rem publicam ornari et augeri, quam ipsi privatim locupletari malebant. — Neque tamen mala tacenda sunt, quibus bona illa permixta et mox fere obscurata et oppressa videmus: temeritas multitudinis in capiendis mutandisque identidem consiliis [2], insatiabilis gloriae dominationisque in exteras civitates cupido, insolentia adversus subiectos, facilis ad suspicionem animus, si quid officere libertati posse videretur, hinc etiam ingratus saepenumero adversus optime meritos, calumniae credulus, ad condemnandum promptus, magistratuum et ducum auctoritatis atque imperii impatiens, adulatorum et demagogorum artibus obnoxius. Atque haec imprimis pestis rem publicam penitus corrupit veteremque morum bonitatem foedavit, quum, qui apud bonos

---

in tonstrinis aliisque tabernis confabulationes. Cf. intt. ad Arist. Plut. v. 338. ad Theophr. char. c. 5. Dorvill. ad Charit. p. 275.

1) Thucyd. II, 37. 40. Plat. Menex. c. 8.

2) *Ταχύβουλοι, μετάβουλοι, κακόβουλοι* Athenienses passim a comicis dicti. Vid. Aristoph. Acharn. v. 637. 639. Nubb. v. 588. Equitt. v. 1051. Eccles. v. 497.

et incorruptos nullum sibi crescendi locum esse viderent, vitiis multitudinis adularentur alimentaque suggererent, quo plus ipsi possent. Hinc factiones exortae, quae civitatis animos distraherent et a communis salutis cura ad suam et suorum utilitatem converterent, quum vel opprimere adversarios, vel impune iniurias facere, vel tueri se ab aliorum iniuriis, vel potentiam, opes, commoda sua quisque augere etiam cum damno rei publicae anniterentur [3]). Alebat autem fovebatque haec mala ipsa urbis magnitudo plebeculaeque urbanae multitudo, cuius non minima pars opifices nautaeque, illiberali quaestu animoque civilis virtutis incapaci, faciles se ad corrumpendum praeberent [4]). Ad hoc plurimis horum non mater Attica sed noverca fuit, peregrinis, inquilinis, libertinis in civitatem receptis, quorum ingenium et natura ipsa longe essent infra ingenuorum illorum ac veterum Atticorum indolem. Hinc longe alia populi facies, mores, etiam sermo in urbe quam in agris [5]), Atheniensium, ut Dicaearchus ait [6]), quam Atticorum. Hi magnanimi, simplices, probi; illi leves, versuti, infidi, loquaces, corruptis moribus, largitionum cupidi, ad bellandum pigri [7]), in concionibus clamosi et turbulenti,

---

3) De ἑταιρίαις (ἑταιρείαις) vid. supra P. III §. 27, 8. Add. Plat. Theaet. p. 162 D. Thucyd. VIII, 54, et imprimis Krüger. comm. de Thucyd. p. 363 sqq. Add. Hüllmann. progr. de Atheniensium συνωμοσίαις. Regim. 1814. Id. Staatsrecht des Alterthums p. 144. Droysen, der Hermokopidenprocess, in Welck. et Naek. Mus. rhen. IV p. 39 sqq. W. Vischer, die oligarchische Partei und die Hetaerien in Athen. Basil. 1836. 4.

4) Cf. Xenoph. de re publ. Ath. 1, 1—9. 14—16.

5) Id Philostratus vit. sophist. II, 1 (Herod.) p. 553 diserte de suae aetatis Atheniensibus testatur; sed dudum ante eum Xenophon l. l. 2, 8 urbanorum Atticorum linguam mixtam καὶ κεκραμένην ἐξ ἁπάντων καὶ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων dixit.

6) Dicaearch. fragm. p. 22 Buttm., ubi probabile est transponenda esse Ἀττικῶν et Ἀθηναίων nomina, quorum prius rusticos, alterum urbanos significare vix dubitari potest.

7) Exercitus Atheniensium Demosthenica aetate plerumque

verbis fortes, re ignavi, denique ii, quos subactos tandem et dominatione ac libertate privatos nec mireris nec magnopere doleas.

§. XCII.

Ceterum ab his malis ex urbanae plebis multitudine et libertate ortis quo minus caveri posset, ipsa civitatis condicio obstitit, cui et propter agri Attici naturam artibus multis et opificiorum quaestu maritimisque commerciis, et propter navales copias remigibus, nautis, classiariis opus erat, ut nec deesse necessariam his rebus multitudinem liceret, nec, si adesset, non posset non facile numero et viribus multum etiam in re publica valere [1]). Ac de navalibus Atheniensium copiis alibi satis dictum est; agrum autem Atticum plerumque sterilem fuisse constat, frugumque ne ad summam quidem necessitatem satis feracem, quapropter magnam quotannis frumenti copiam importari ex aliis terris, ex Ponto praecipue et Aegypto, sed etiam e Syria, Sicilia, Africa oportebat [2]). Ea copia quo minus deesset, cautum legibus erat, primum ne quis civis Atticus aut inquilinus alio quam Athenas frumentum veheret [3]), neve quisquam mercatori pecuniam fenori daret, nisi ea condicione ut frumentum illa pecunia emptum Athenas portaretur [4]): dein ut peregrini quoque, quicunque navem frumento onustam in Atticam appulissent, maiorem mercis partem, neque minus besse, Athenis venum exponerent [5]): denique ne

mercenarii erant. Vid. Dem. Phil. 1 p. 46, 25. de Cherson. p. 95. Isocr. de pace c. 14. Cf. scholl. et intt. ad Aristoph. Plut. v. 173. Bergman. ad Isocr. Areop. p. 84. Drumann. p. 644 sqq.

1) Cf. Xenoph. de re publ. Ath. c. 1.

2) Vid. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 85—88.

3) Demosth. in Phorm. p. 918, 4. in Lacrit. p. 941, 4. Lycurg. in Leocr. p. 157. Petit. Legg. Att. p. 513. Boeckh. 1 p. 93.

4) Demosth. in Lacr. p. 941, 4 et 9—20. Boeckh. p. 60.

5) Aristot. ap. Harpocr. s. v. ἐπιμεληταὶ ἐμπορίου. Lex. Seguer. p. 255. Boeckh. p. 89.

quis dardanarius quinquaginta amplius phormos coemeret, quo minus scilicet privatorum lucro annona populo ingravesceret [6]): erantque sitophylaces et curatores emporii harum legum custodes, ac sitonae ad coemendum publice frumentum et in usum populi dispensandum [7]). Dein lignis praecipuè Athenienses egebant ad naves fabricandas, quorum in ipsa Attica vix ulla copia erat [8]), item pice, funibus, coriis, ferro, aere, quae partim ex Ponto et Macedonia, partim e Cypro aliisque maris mediterranei insulis advehebantur. Salsamenta porro ex Ponto, vina generosiora ex insulis, lana vestesque stragulae ex Asia, mancipia ex Thessalia, Macedonia, Thracia, aliaque multa quae enumerare longum est [9]). Contra haec quod exportari commutarique cum peregrinis mercibus posset nihil fere Attica tulit praeter oleum et ficus. Et ficus quidem ne exportarentur vetitum Solonis legibus esse, quamvis multi tradant, parum probabile videtur [10]). Oleum exportatum esse constat [11]), colendisque et servandis oleis diligenter leges cavebant [12]), Mellis insignis praestantia, non admodum magnus tamen proventus fuisse videtur. Aliarum rerum, quae ad victum pertinent, vix tantum Attica tulit, quantum ipsis incolis sufficeret: neque potuit harum quidquam aut licuit exportari [13]). Benigniora metalla fuerunt; quorum Lau-

6) Lys. or. ctr. dardanar. p. 715. 716. Petit. p. 515. 516. Boeckh. p. 89 sqq., qui etiam de phormi mensura consulendus.

7) Vid. cap. 5 §. 43, 4. 6. §. 46, 8.

8) Boeckh. p. 110.

9) Cf. Barthelem. Anachars. c. 55 tom. 5 p. 332 sq. Wolf. ad Demosth. Lept. p. 252. (Schaef. app. crit. III p. 115.) Boeckh. p. 51.

10) Boeckh. p. 45. 46.

11) Plutarch. Solon. c. 24.

12) Demosth. in Macart. p. 1074. De sacris oleis vid. cap. 7 §. 66.

13) Plutarch. Solon. l. l.

riotica praeter argentum etiam plumbum et pigmentorum quaedam genera, sil imprimis omnium optimum [14]), Pentelicus autem et Hymettus lapidem pretiosissimum largiter suppeditabant [15]). Sed praecipue tamen artium atque opificiorum omnis generis opera in commercium ab Atheniensibus afferebantur, quumque ipsa necessitas his eos studere coegisset, tum nativa populi sollertia et industria effecit, ut Atticae merces propter insignem bonitatem et elegantiam non minus olim apud omnes in deliciis essent, quam hodie Parisienses aut Londinenses [16]). Ex his praecipue commemoranda sunt arma aliaque ex metallis fabricata, aurea argenteaque ornamenta, vasa, etiam fictilia signis et picturis eleganter ornata, vestimenta aliaque opera textoria, supellex omnis generis [17]), denique etiam libri, in quibus non chartae solum ad scribendum praeparatae sed scripta etiam poetarum aliorumque opera fuisse videntur [18]). Praeterea etiam navicularia factitanda mercibusque huc illuc devehendis ac distrahendis multi alebantur, eratque Athenis quasi communis quidam multarum gentium mercatus, quo confluerет, quod ubique terrarum boni gigneretur, rursusque inde in diversissima loca dimanaret [19]). Hoc igi-

---

14) Plin. H. N. XXXIII, 56. In univ. cf. supr. c. 7 §. 74, 9.

15) Xenoph. de redit. 1, 4. cf. supra c. 7 §. 74, 8.

16) Verba sunt F. A. Wolfii ad Demosth. Lept. p. 252.

17) Wolf. l. l. De lanae Atticae praestantia cf. Athen. VI, 60 p. 219. XII, 57 p. 540. De vasis fictilibus ex Attica exportatis vid. G. Kramer, üb. den Styl u. die Herkunft der bemahlten griech. Thongefässe. Berlin 1837. p. 166 et 194.

18) Boeckh. l. l. p. 51. Krüger. ad Xenoph. Anab. VII, 5, 14. Βιβλιοπώλας Nicophon commemorat apud Athenae. III p. 126.

19) Xenoph. de re publ. Ath. 2, 7. Thucyd. II, 38. Isocr. Panegyr. c. 11 extr. — Ceterum non omnia, quae importabantur Athenas, etiam exportari rursus licuisse, multaque praeter frumentum ἀπόῤῥητα fuisse docent quae congesta sunt a Spanhem. ad Aristoph. Rann. v. 365. 367. Casaub. ad Theophr. char. c.

tur omni quaestus genere, quod mercatura et opificiis constabat, non peregrini solum et inquilini plurimi Athenas alliciebantur[20]), sed cives etiam non pauci sine rubore vitam sustentabant. Licet enim non sane in honore mercatores atque opifices, nequaquam tamen contempti et a re publica exclusi erant: quod in optimatium imperio fieri solitum esse constat[21]). Quid quod ne forensem quidem ac tabernarium quaestum cuiquam leges opprobrio esse voluerunt[22]). Itaque non exigua civium pars eiusmodi hominibus constabat, quos in bene temperata civitate admitti ad rem publicam viri prudentes non debere iudicarunt, opificibus sordidis atque *βαναύσοις*, cauponibus nautisque[23]), quod genus mobile, turbulentum, ad novas res promptum reique publicae sobrie ac prudenter administrandae minime aptum esse sat multa etiam Atticae historiae exempla docuerunt[24]).

---

9. De statu Athenarum,

post proelium Chaeronense usque ad Romanorum dominationem.

§. XCIII.

Clade apud Chaeroneam accepta maritimo quidem imperio insularumque quas etiamtum in potestate habuerunt prope omnium possessione Athenienses

---

23. Boeckh. I p. 58. Etiam importari non omnia semper licebat, veluti non belli tempore ex hostium terris. Boeckh. p. 59.

20) Xenoph. de reditt. 3, 1. 5, 3. 4.

21) Cf. supra P. III §. 5, 5 et 19, 7.

22) Demosth. in Eubul. p. 1308: *ἔνοχον εἶναι τῇ κακηγορίᾳ τὸν τὴν ἐργασίαν τὴν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἢ τῶν πολιτῶν ἢ τῶν πολιτίδων ὀνειδίζοντά τινι.*

23) Xenoph. Memm. III, 7, 6: *τοὺς γναφεῖς ἢ τοὺς σκυτεῖς ἢ τοὺς τέκτονας ἢ τοὺς χαλκεῖς ἢ τοὺς ἐμπόρους ἢ τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ μεταβαλλομένους καὶ φροντίζοντας ὅ τι ἐλάττονος πριάμενοι πλείονος ἀποδῶνται· ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων ἡ ἐκκλησία συνίσταται.* Cf. Aelian. V. H. II, 1.

24) Cf. Aristot. Polit. VI, 2, 7. Heindorf. ad Plat. Phaedr. §. 45.

exciderunt[1]); retinuerunt tamen suas leges formamque rei publicae, neque duri quidquam iis a Philippo iniunctum[2]), nisi ut communis Graecorum concilii, quod ipso moderante Corinthi haberetur, participes forent navesque et milites ex foedere darent, quibus adversus Persas uteretur[3]). Proximis igitur post illam cladem temporibus pacati et quieti satis prospere agebant[4]), nec hostilia adversus Macedones consilia post mortem Philippi sine effectu agitata[5]) in perniciem rei publicae verterunt, quum ignoscere Alexander quam vindicare utilius duceret[6]) pacisque olim factae condiciones non mutaret[7]). Itaque si veteris glo-

1) Pausan. I, 25, 3.

2) Lenitatem Philippi adversus Athenienses, cui vel prudentia moderationem in victoria commendabat, Polybius praedicat V, 10, 1—5. IX, 28, 4. Oropi possessionem, saepe inter Thebanos et Athenienses controversam, itemque Samum insulam, a cleruchis Atticis habitatam, Philippum Atheniensibus concessisse Pausan. I, 34, 1. Demad. fr. p. 268. 269. Reisk. O. G. tom. IV. Plutarch. Alex c. 37 testantur. De omni rerum statu cf. impr. L. Flathe, Geschichte Macedoniens (Lpz. 1832) tom. 1 p. 238 sq. C. A. F. Brückner, König Philipp Sohn des Amyntas (Gotting. 1837) p. 292 sqq.

3) Diodor. XVI, 89. Plutarch. Phoc. c. 16.

4) In haec tempora incidit Lycurgi administratio redituum publicorum, qui ad MCC talenta crevisse dicuntur. Cf. supr. cap. 7 §. 74, 5. Add. Boeckh. Oec. r. p. A. II p. 244 sqq. Corp. Inscr. no. 157.

5) Diodor. XVII, 3 et 8 sqq. Arrian. Exp. Alex. 1, 1, 4. Flathe p. 248—254 et p. 256 sqq.

6) Ne oratorum quidem Demosthenis, Hyperidis aliorumque deditionem postulare perseveravit. Diodor. XVII, 15. Plutarch. Phoc. c. 17. Demosth. c. 23. Alexand. c. 13. Arrian. 1, 10, 6—10.

7) Haec est *ἡ κοινὴ εἰρήνη*, post pugnam Chaeronensem a Philippo, deinde ab Alexandro cum Graecis facta, (Diod. XVI, 89. XVII, 4 extr. Plutarch. Phoc. c. 16. Justin. IX, 5. XI, 2. Arrian. I, 1, 2.) cuius condiciones e Demosthenis (an Hyperidis?) oratione de foedere Alexandrino cognoscimus hasce: *ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους εἶναι τοὺς Ἕλληνας* p. 213, 24. *ἐὰν δέ τινες τὰς πολιτείας τὰς παρ᾽ ἑκάστοις οὔσας, ὅτε τοὺς ὅρκους τοὺς περὶ τῆς εἰρήνης ὤμοσαν, καταλύσωσι, πολεμίους εἶναι πᾶσι τοῖς τῆς εἰρήνης μετέχουσι* p. 214, 12. *ἐπιμελεῖσθαι δὲ τοὺς συνεδρεύοντας καὶ τοὺς ἐπὶ τῇ κοινῇ φυλακῇ τεταγμένους,*

riae et magnitudinis oblivisci Athenienses potuissent, non erat magnopere quod hunc rerum statum gravarentur, erantque adeo multi qui eum conservare et in societate Macedonica retinere civitatem omni modo anniterentur, vel quietis dulcedine deliniti [8]), vel viribus rei publicae virtutique civium diffisi [9]), vel gratia victoris aut muneribus corrupti [10]). Mortuo tamen Alexandro vicit pars ea, quae honesta consilia tutis anteferebat, quum praesertim multa suscipiendo bello peropportuna cecidisse viderentur, plurimique Graeciae populi in libertatem conspirarent [11]). Et fuerunt sane initia belli satis laeta; tristis vero et asper eventus, quum devictis ab Antipatro Atheniensibus, desertisque a sociis [12]), condiciones accipiendae essent quales victori libuisset: ut dederentur oratores qui bellum suasissent [13]), praesidium Macedonicum Munychia reciperetur, grandis pecunia mul-

---

ὅπως ἐν ταῖς κοινωνούσαις πόλεσι τῆς εἰρήνης μὴ γίγνωνται θάνατοι καὶ φυγαὶ παρὰ τοὺς κειμένους ταῖς πόλεσι νόμους, μηδὲ χρημάτων δημεύσεις μήτε γῆς ἀναδασμοὶ μήτε χρεῶν ἀποκοπαὶ μήτε δούλων ἀπελευθερώσεις ἐπὶ νεωτερισμῷ p. 215, 20. *ἐκ δὲ τῶν πόλεων τῶν κοινωνουσῶν τῆς εἰρήνης μὴ ἐξεῖναι φυγάδας ὁρμήσαντας ὅπλα ἐπιφέρειν ἐπὶ πολέμῳ μηδεμιᾷ πόλει τῶν μετεχουσῶν τῆς εἰρήνης, εἰ δὲ μή, ἔκσπονδον εἶναι τὴν πόλιν ἐξ ἧς ἂν ὁρμήσωσιν.* p. 216, 3. Denique e p. 219, 1 patet hoc quoque cautum fuisse, ne Macedonica navis longa portus civitatum sociarum ipsis invitis intraret.

8) *Οἱ κτηματικοὶ* apud Diodor. XVIII, 10.

9) Ex his praecipue commemorandus est Phocion, de quo praeter Plutarchum cf. Heyne, res a Phocione in rep. Ath. gestae etc., Opp. Acad. tom. III p. 344.

10) Aeschines, Demades, Pytheas aliique, de quibus cf. Wachsmuth. 1, 2 p. 366 sq. et 411 sqq.

11) Diodor. XVIII, 11. Justin. XIII, 5. Pausan. I, 25, 3. 4. Flathe I p. 445 et impr. Grauert, Geschichte Athens seit dem Tode Alexanders des Grossen bis zur Erneuerung des achaeischen Bundes (in Analect. histor. et philolog. Monaster. 1833. 8.) p. 239 sqq.

12) Diodor. XVIII, 13. 17. Plut. Phoc. c. 26.

13) Plutarch. Phoc. c. 27. Horum plerique ex fuga retracti necatique, Antipatri iussu: Demosthenes voluntaria morte hostium crudelitatem elusit. Vid. Plutarch. Demosth. c. 28 sqq. Flathe p. 450. Grauert p. 281. De ceteris pacis condicionibus vid. Plutarch. Phoc. l. l. Pausan. I, 25, 4. Flathe. p. 450. Grauert. p. 181—283.

ctae nomine et ad sarciendas belli impensas victori penderetur, denique eiicerentur civitate omnes, quorum census esset infra viginti minas. Et inventi sunt haud amplius novem millibus hominum, qui supra illam summam haberent; reliqui, ad duodecim millia[14]), urbe cesserunt, alii in aliis locis exulantes, plerique in Thraciam ab Antipatro ablegati.

§. XCIV.

Brevissimam rerum commutationem post mortem Antipatri bellum fecit inter Cassandrum et Polysperchontem statim exortum, quum Polysperchon, occupata celeriter pleraque Graecia, quo firmius Graecorum animos sibi conciliaret, libertatem ubique plebi restitueret, et si qui ab aliis imperatoribus expulsi essent, reditum omnibus in patriam et pristini iuris possessionem daret[1]). Retinuerat tamen Cassander Munychiam cum Piraeeo, et mox superato Polysperchonte[2]) receptaque urbe leges Atheniensibus imposuit, satis, in tali quidem tempore, tolerabiles: ut urbem, agros, arma, naves, sua denique omnia sibi haberent, amicitiam cum Cassandro et belli societatem fideliter conservarent, Munychiam, donec debellatum esset, Cassandri milites tenerent, res publica veteribus legibus administraretur ab iis, quibus census esset mille drachmis haud minor, summum au-

---

14) Diodor. XVIII, 18, ubi pro *τῶν δισμυρίων καὶ δισχιλίων* rescribendum esse *μυρίων καὶ δισχιλίων* dudum ab aliis observatum est. Vid. Grauert. l. l.

1) Ipsae Polysperchontis litterae, Philippi Arrhidaei nomine scriptae, extant apud Diodorum XVIII, 56. De restituta apud Athenienses plebis dominatione et de caede Phocionis aliorumque optimatium vid. Plutarch. Phoc. c. 33 — 37. Diodor. XVIII, 65—67.

2) Intraverat Graeciam Polysperchon circ. mense Munychione (April.) cuius die XVI Phocion interfectus. Plut. Phoc. c. 37. eadem aestate Cassander ex Asia reversus Graeciam rursus subegit. Annus erat Olymp. CXV, 4 extr. CXVI, 1 in.

tem magistratum, non annuum illum sed incerti temporis, unus haberet ab ipso constitutus, ἐπιμελητοῦ nomine [3]). Is magistratus Demetrio mandatus est, civi Attico e pago Phalereo, philosophiae et artis oratoriae non mediocriter perito, morumque probitate et prudentia civibus commendato [4]), qui per decem deinceps annos [5]) civitati praefuit remque publicam salubriter tractavit. Instituti ab hoc nomophylaces, qui et ceterorum magistratuum administrationem custodirent, et in comitiis viderent, ne quid contra leges ageretur [6]): γυναικονόμοι ad luxuriam civium nimiosque sumptus conviviorum coercendos [7]): leges latae sumptuariae et iudiciariae [8]): rhapsodorum recitationes in scenam inductae [9]): reditus civitatis aucti [10]): urbs operibus multis ornata [10]); quibus rebus quum initio principatus insignem civium favorem honoresque insolitos meruisset [12]), ad extremum tamen

3) Diodor. XVIII, 74.

4) Vitam eius Diogenes Laertius brevissime narrat lib. V cap. 5.; accuratius H. Dohrn, Comment. histor. de vita et rebus Demetrii Phalerei Peripatetici. Kil. 1825. 4.

5) Ab Ol. CXVI, 1 in. ad Ol. CXVIII, 2 extr. Non longo post susceptum a Demetrio magistratum tempore census populi actus videtur, de quo Athenaeus VI p. 272 B. e Ctesicle refert εὑρεθῆναι Ἀθηναίους μὲν δισμυρίους πρὸς τοῖς χιλίοις, μετοίκους δὲ μυρίους, οἰκετῶν δὲ μυριάδας τεσσαράκοντα. De tempore cf. qui citantur a Grauerto p. 312 sq.

6) Cf. supr. cap. 6 §. 66, 3. Ullrich. de undecimviris p. 268.

7) De hoc magistratu vid. Meier. Proc. Att. p. 97. Institutos a Demetrio gynaeconomos probat Boeckh. de Philochoro p. 23. 24.

8) E sumptuariis legibus unam memorat Cicero de legg. II, 26, de funerum sepulcrorumque magnificentia; iudiciariae, de εἰσαγγελίαις a iudicibus mille quingentis iudicandis, meminisse videtur Pollux VIII, 33. Cf. de comitt. p. 213.

9) Athenae. XIV p. 620.

10) Diog. Laert. l. l. s. 75. MCC talenta annua sub Demetrio rediisse dicit Duris ap. Athenae. XII p. 542.

11) Diog. Laert. l. l.

12) Plutarch. r. p. ger. praecept. c. 27. Diog. Laert. V, 5 s.

mutatis in deterius moribus tanto plus sibi invidiae atque infamiae contraxit, quanto magis sui ipse dissimilis legumque quos ipse tulerat contemptor evaserat[13]). Itaque Antigoni filium Demetrium illum, qui postea Poliorcetes appellatus est, ex improviso cum magna classe advectum et sine certamine Piraeeo potitum, libertatem civitati pollicentem cupidissime receperunt, eiectisque Macedonibus restitutae libertatis gaudio exsultantes honores in Demetrium eiusque patrem Antigonum tantos tamque immodicos cumularunt, ut facile appareret non solum quam gratum illi donum sed etiam quam aptis ad servitium hominibus dedissent[14]). Nos ex his nunc duo tantum commemorabimus: sacra iis et caerimonias tanquam dis servatoribus decretas, annuosque sacerdotes institutos, quorum nominibus anni, ut olim ab archontibus, signarentur[15]), tribuumque numerum auctum, ut novae duae accederent, ab illorum nominibus appellatae, Antigonis et Demetrias[16]).

---

75. Strab. IX p. 398. Dio Chrysost. or. 37 p. 465 Reisk. Plin H. N. XXXIV, 6.

13) De insana Demetrii luxuria et mollitie testes sunt Duris et Carystius apud Athenae. XII p. 542, qui etiamsi rem nimis exaggerasse videntur, nequaquam tamen refutantur aliorum testimoniis, quibus aut eruditio viri aut rei publicae ab eo ordinatae forma laudatur, qualia sunt Strabonis IX p. 398. Diodori XVIII, 74. Ciceronis pr. Rabir. c. 9. de legg. II, 26. III, 6. Cf. et Grauert. p. 319 sqq. — Ceterum administrationem rei publicae Plutarch. Demetr. c. 10 *λόγῳ μὲν ὀλιγαρχικήν, ἔργῳ δὲ μοναρχικὴν* dicit; Strabo contra, *οὐ μόνον οὐ κατέλυσε τὴν δημοκρατίαν ἀλλὰ καὶ ἐπανώρθωσε*, scilicet formam potius externam quam statum rerum intuens. A Pausania I, 25, 5. tyrannus Demetrius dicitur; item a Phaedro fab. V, 1, 14. Plura vid. ap. Dohrn. p. 22.

14) Plutarch. Demetr. c. 10—13.

15) Id. ib. c 10.

16) Id. ib. cf. Pausan. X, 10, 1. Praepositas has duas decem veteribus esse, id quod iam Dodwello de cycl. III s. 39 visum, contra Corsinium Fast. Att. I p. 127 et 177 probavit Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 153. — Ceterum etiam triremes sacras, Antigonidem et Demetriadem, addiderunt Salaminiae et Paraliae. Vid. id. de oec. r. p. A. I p. 259.

Auctus hinc etiam senatorum numerus, quinquagenis ex utraque additis, ut universi essent sexcenti, prytaniaeque duodecim menstruae[17]; neque dubium videtur, quin ad magistratus quoque eos omnes, qui tributim creari solebant, illa mutatio pertinuerit.

§. XCV.

Mox avocato ad alia bella Demetrio, contra Cassandrum per quadriennium Athenienses bellum haud segniter gesserunt[1]: tandem eius obsidione a Demetrio liberati, novis hunc rursus et inauditis honoribus, quasi secum ipsi certantes, onerarunt et in omne genus adulationis effusi facilem profecto et probabilem homini adolescenti et regi excusationem praebuerunt, quum in eiusmodi hominibus nihil non sibi licere existimans patientiae eorum et obsequio miris modis illuderet[2]. Hinc mox alienatis ab eo animis, ut clade ad Ipsum accepta cum reliquiis exercitus Athenas confugit, aditu eum prohibuerunt[3]; honores tamen divinos non videntur abrogasse, quum sacerdotium certe deorum servatorum etiam post hoc tempus permanserit[4]. Ceterum sub idem tem-

---

17) Cf. de comitt. p. 44.

1) Ab Ol. CXVIII, 2 extr. ad Ol. CXIX, 2 extr. Hic est ὁ τετραετὴς πόλεμος in psephismate apud Pseudoplutarch. vitt. X oratt. p. 851 D. Vid. Clinton. Fast. Hell. p. 187 ad ann. 302, et Droysen, der vieriährige Krieg, in Zimmermann. diurn. antiquar. ann. 1836 no. 20. 21.

2) Plutarch. Demetr. c. 23—27. Cf. Athenae. VI p. 253.

3) Plutarch. l. l. c. 30.

4) Usque ad Ol. CXXIII, 2, quo tempore Demetrius a Pyrrho Macedoniae regno spoliatus est. Vid. Plutarch. Demetr. c. 46. Clinton. F. H. ad h. ann. cf. id. prooem. p. XIII not. t. et p. 390 Krüg. Add. Boeckh. de Philoch. p. 6. — Grauerto p. 328 hi sacerdotes nunquam fuisse videntur; sed rationes affert admodum infirmas. — Etiam tribuum novarum nomina post pugnam ad Ipsum perdurarunt, donec Ol. circ. CXXX pro Antigonide Ptolemais a Ptolemaeo Philadelpho, Ol. autem CXLIV, 4 aut CXLV, 1 pro Demetriade Attalis ab Attalo Pergami rege appellatae sunt.

pus, quam inter Demetrium a se desertum et Cassandrum semper infestum pari utrimque metu et periculo agerent, turbisque insuper et discordiis intestinis civitas laboraret, oppressa libertas ab uno ex ipsis civibus, Lachare, homine factioso et impuro, sed strenuo et callido, Cassandrique, ut fertur, opibus adiuto [5]). Hunc Demetrius aggressus non sine magno certamine devicit, quumque urbem cepisset, victoria moderatius quam sperari poterat usus nihil in Athenienses durius consuluit, nisi quod praesidiis non solum Munychiae et Piraeeo sed etiam Museo impositis, qui collis in ipsa urbe erat, obnoxiam sibi in posterum civitatem imperiisque audientem fecit [6]). His praesidiis non ante Athenienses liberati sunt, quam fractis a Pyrrho Demetrii opibus, regnoque Macedoniae in illum translato, qua opportunitate usi, armis fortiter sumptis Macedones expulerunt, Pyrrhique auxilio adiuti libertatem contra ipsum Demetrium vindicarunt [7]). Aliquot deinceps annis res publica egregiorum civium consiliis et auctoritate stetit, Democharis imprimis, qui Demosthenis sororis filius, non indignum se avunculi virtutibus et eloquentia praestabat, prudentique moderamine cum pace libertatem patriae conservabat [8]). Ipsi quoque Athenienses non prorsus se a maiorum suorum virtute degenerasse ostenderunt, quum belli

---

Cf. Grotefend. de demis p. 13, qui tamen falso Ol. CXLV, 3 ponit. Vid. Seebod. bibl. crit. ann. 1829 no. 158 p. 629. Ceterum Ptolemaidi quintum, Attalidi postremum in tribuum ordine locum datum esse Corsinius docuit Fast. Att. I p. 165.

5) Plutarch. Demetr. c. 33 et all. ap. Wyttenbach. ad Plutarch. Morall. tom. II p. 540 Lips.

6) Plutarch. l. l. c. 34. Pausan. I, 25, 5. 6. De Museo cf. Leake p. 361.

7) Plutarch. l. l. c. 46. Pausan. I, 26, 1—3. Cf. Grauert. p. 346 sq.

8) Democharis historiam vid. ap. Ruhnken. ad Rutil. Lup. 1, 2 p. 7 sqq. Grauert. p. 331—336. 340. 348 sq. 353.

adversus Gallos gerendi communi ceterorum Graecorum consilio principes insigni fortitudine ad Delphos dimicarent, honestissimamque victoriam reportarent [9]). Deinde rursus ab Antigono, Demetrii filio, Macedoniae rege oppressi, praesidioque urbi imposito tolerare iugum coacti sunt [10]), quamquam non durum illud et grave, quum leges iis reique publicae administratio, aliquantisper ademptae, mox restituerentur [11]). Permansit autem hic rerum status etiam sub Demetrio, Antigoni filio. Hoc demum mortuo Athenienses, excitati praesertim Arati monitis Achaeorumque exemplo, recuperandae libertatis consilia susceperunt. Sed Diogenes, Macedonici praesidii praefectus, aut viribus suis non satis confisus, aut pecunia corruptus, praesidium sine certamine deduxit, Munychiamque Atheniensibus cum Piraeeo, Sunio et Salamine reddidit [12]). Ita hi rursus libertatem nacti, pacis posthac et quietis unice studiosi, certaminibus quantum poterant omnibus abstinuerunt, neque Achaeis se neque Aetolis coniungentes [13]),

---

9) Pausan. I, 4, 1—5. X, 21, 3. Grauert. p. 350—352.

10) Pausan. III, 6, 3. Niebuhr. de bello Chremonideo, in Museo Rhenan. 1 p. 159—168. Opuscc. 1 p. 451—463. Grauert. p. 354—356.

11) Grauert. p. 357.

12) Plutarch. Arat. c. 34. Pausan. II, 8, 5. Factum hoc circ. Ol. CXXXVII, 3/4, quo tempore Demetrius II obiit. Cf. Flathe II p. 156. Clinton. p. 256. Merleker. rer. Achaic. p. 150.

13) Foederis enim Achaici Athenienses nunquam socii fuerunt: *τῶν Ἑλληνικῶν πράξεων οὐδ᾽ ὁποίας μετεῖχον*, inquit Polyb. V, 106. Cf. Wachsmuth. II, 1 p. 394. — Romanae amicitiae initium factum post bellum Illyricum h. e. sub idem tempus, quo Macedonum praesidio liberati sunt. Vid. Polyb. II, 12, 8; praecipue tamen Aegypti regibus se adplicabant contra Macedones, Polyb. V, 106, donec foederi Romano a P. Sempronio adscripti (Liv. XXIX, 12, 15. Ol. CXLIII, 4 a chr. 205.) mox auxilium eorum adversus Philippum implorare coacti sunt, Liv. XXXI, 5. 14. Ol. CXLV, 1 a. Chr. 200, liberatique obsidione in fide ac societate Romanorum permanserunt usque ad bellum Mithridaticum. Sed haec persequi, et quae postea sub Romanis Athena-

donec tandem sub Romani foederis umbra delituerunt.

---

rum condicio fuerit exponere a consilio nostro alienum est. Luculenter pleraque enarravit F. H. L. Ahrens, de Athenarum statu politico et litterario inde ab Ach. foederis interitu usque ad Antoninorum tempora. Gotting. 1829. 4. Add. E. F. C. Beutler, de Athenarum fatis, statu polit. et litt. sub Romanis. ibid. eod. an. et A. F. A. Theobald, historia Athenarum inde ab interitu foed. Ach. Marburg. 1829. 8.

VI. De institutis iuris gentium.

1. De iure gentium in universum.

§. I.

Ius gentium nunc illud a nobis dicitur[1]), quo civitates inter se vel in pace commerciisque exercendis, vel in foederibus iungendis, vel in bellis suscipiendis, gerendis, finiendis utuntur, quod ius quum easdem ac civitatum ipsarum legumque civilium constitutio causas atque originem habeat, naturae scilicet et humanitatis vim utilitatisque reputationem, aliquanto tamen serius inter homines constitui certisque legibus comprehendi coepit, et ubi constitutum fuit, stabiliri firmiter et inviolatum praestari aut si violaretur vindicari legum poenis raro potuit. Neque enim facilis est de iure consensio inter populos sedibus, moribus, institutis diversos, et si maxime consenserint, ob-

1) Romani iuris consulti quo sensu ius gentium dicant notum est vel ex Institt. I, 2, 2. Gai. 1, 1. Cf. Dirksen, über die Eigenthümlichkeit des ius gentium nach den Vorstellungen der Römer, in Museo Rhen. ann. 1827. I, 1. De Graecorum iure gentium eo quod a nobis h. l. tractatur vid. Wachsmuth, ius gentium quale obtinuerit apud Graecos ante bellorum c. Persis gestor. initium. Berol. 1822. 8. Add. Heffter, prolus. de antiquo iure gentium. Bonn. 1823. 4., qui quum „iuris gentium speciem aliquam Graecis cognitam fuisse" negat, primum nominis magis quam rei controversiam movet, ius illud tantum recte dici statuens, quod certis conventionibus sancitum sit; deinde ne sic quidem omnem iuris gentium speciem Graecis ignotam fuisse ex iis quae infra dicentur manifestum fiet.

servandi iuris necessitas potentioribus pariter atque invalidis civitatibus tam facile quam privatis imponi haudquaquam potest. Et apud Graecos quidem, sicut apud plerosque, omne ius gentium non fere aliud habuit quam ex religione munimentum, quum et quae iuris normae tacito quodam consensu et moribus receptae essent, ad deos auctores referrentur divinique numinis respectu valerent, et pactiones quoque civitatum iure iurando confirmarentur, quod violare divinae vindictae metus vetaret. Humana vero iuris custodia, iudicia, quae controversias legibus dirimerent, potestas, quae iudiciis etiam nolentes obtemperare cogeret, aut nulla erat, aut, si erat, facile a potentioribus impune contemnebantur. — Antiquissimis quidem temporibus, antequam certarum sedium possessione populi mansuefacti pacisque commodis et tutorum inter se commerciorum utilitate deliniti essent, nulla haud dubie iuris gentium aut notio erat aut observatio, tantumqne cuique adversus alienos fas esse videbatur, quantum viribus consequi potuisset. Itaque aut bellum inter omnes aut incerta pax, quum, etiamsi civitates non bellarent, privati hostilia adversus alienos, ubi occasio ferret, committere non dubitarent, rapinaeqne et latrocinia, quae extra fines cuiusque civitatis fierent, nihil infamiae haberent [2]). Hinc armati semper omnes et ad vim aut inferendam aut propulsandam intenti paratique, commercia inter alienos infrequentia et intuta [3]), bella iniusta et plerumque non nisi aut deletis aut expulsis aut in servitutem redactis adversariis finita. Sed iam heroica aetate, illa quam Homeri carmina describunt, satis multa et manifesta videmus melioris status initia, pacis foede-

2) Thucyd. I, 5, qui addit: *καὶ μέχρι τοῦδε πολλὰ τῆς Ἑλλάδος τῷ παλαιῷ τρόπῳ νέμεται, περί τε Λοκροὺς τοὺς Ὀζόλας καὶ Αἰτωλοὺς καὶ Ἀκαρνᾶνας καὶ τὴν ταύτῃ ἤπειρον.*

3) Id. ib. c. 6 cf. c. 2. Add. Krueg. ad Xenoph. Anab. V. 9, 8.

rumque sanctitatem, commerciorum inter pacatos maiorem frequentiam, tutum etiam singulis inter alienos commeatum, bellorum denique saevitiam iuris et religionis observatione temperatam. His initiis non paucae procedente tempore accesserunt iuris gentium regulae, aut pactionibus foederibusque inter plures civitates constitutae, eas imprimis, quibus stirpis aut sacrorum communio propiorem inter se quam cum ceteris coniunctionem fecisset, aut etiam ab omnibus tacito quodam consensu receptae, nec fere neglectae, nisi quum odiorum acerbitas aut magnae alicuius utilitatis spes plus quam iuris ac pietatis ratio valerent [4]. Haec sunt illa *κοινὰ τῶν Ἑλλήνων νόμιμα, κοινὰ δίκαια*, quorum passim apud scriptores mentio fit [5], suntque omnia ex *ἀγράφων νόμων* genere, quos non ab homine aliquo sed a dis datos [6], neque adversus Graecos solum, sed ut plurimum etiam adversus barbaros observandos esse statuebant.

§. II.

Ac primum quidem arma alteris inferre et bellum suscipere non putabatur fas esse nisi propter iniuriam aliquam, de qua illi satisfacere noluissent [1]. Ante igitur quam ad arma iretur,

---

4) Id nimio saepius accidisse historicorumque libros plenos esse exemplorum neglecti a Graecis iuris gentium, quis negare ausit? Sed incognitum iis ius fuisse eiusmodi iniuriis demonstrari profecto non potest.

5) E. c. ap. Thucyd. III, 59 in. Diodor. XVI, 25. Plutarch. Pericl. c. 29. *Τὰ νόμιμα τῶν Ἑλλήνων* Thuc. IV, 97.

6) Xenoph. Memm. IV. 4, 19.

1) Quod Plato Legg. I p. 625 C. Cliniam Cretensem dicentem facit, *πόλεμος ἀεὶ πᾶσι διὰ βίου ξυνεχὴς ἐστι πρὸς ἁπάσας τὰς πόλεις*, non ex communi Graecorum sensu dictum esse ipse satis ostendit. Et si eodem *ξένων* vocabulo a Spartanis perduelles et peregrini designabantur (Herodot. IX, 11. Plut. Arist. c. 10), itidem ut hostium nomine a veteribus Romanis, recte id cum Cicerone de offic. I, 12 interpretari licet, ut rei tristitiam verbi lenitate mitigatam dicamus. Fuerunt etiam qui *ἐχθροῦ* vocabulum proprie nihil aliud nisi extraneum, peregrinum significare crederent,

legatos mitti moris erat, qui de iniuriis expostularent[2]): in quo fiebat non raro, ut vitandi belli causa iuris disceptatio offerretur[3]) aut apud unum aliquem, qui tanquam arbiter esset compromissarius[4]), aut apud aliam civitatem utrisque amicam[5]), aut apud amphictyones sive Delphicos sive alios[6]), de quorum sententia controversiae aut compensatione damni illati, aut mulcta solvenda, aut noxiorum deditione, aut si qua alia ratio placuisset, dirimerentur. Nonnunquam etiam ad oraculum Delphicum res delata, ut eius responso decideretur[7]). Quodsi eiusmodi compositio aut non tentata aut frustra fuisset, non tamen statim propterea armis publice sumptis, sed saepe privati cuiusdam belli genere iniurias persequebantur, quum civibus suis praedas ex adversariis terra marique facere permitterent[8]). Ab hoc non

---

utpote a praepositione *ἐκ* declinatum (Buttmann. Lexilog. 1 p. 124. not. et, qui nuperrime hanc sententiam protulit, Car. Sellius, die Recuperatio der Römer. (Braunschw. 1837. 8) p. 3.); sed admodum incerta est haec originatio, et multo frequentius *ἐχθρός* inimicum et domesticum adversarium, quam externum hostem significat.

2) Exempla iam apud Homerum sunt, Iliad. III, 205. Od. XXI, 17, pertinetque huc etiam Iliad. V, 804. X, 286. Cf. Thucyd. I, 126. 128. 139.

3) *Δίκῃ διαλύεσθαι, διακρίνεσθαι,* Thucyd. I, 145. Pausan. III, 9, 5. *δίκας δοῦναι.* Thuc. I, 28. *Ἐπὶ τὸν δίκας διδόντα οὐ πρότερον νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι.* Id. I, 85. Qui disceptationem oblatam accipit, *δίκην δέχεται.*

4) *Ἐπιτροπὴ εἰς ἰδιώτην* Thucyd. V, 41. Cf. Herodot. V, 95. Plut. Themist. c. 24. Proverb. Alex. no. 23.

5) *Ἐπιτροπὴ εἰς πόλιν.* Thucyd. l. l. *παρὰ πόλεσιν αἷς ἂν ἀμφότεροι ξυμβῶσιν.* Id. I, 28. Cf. V, 31. Herodot. V, 28. 29. Plutarch. Solon. c. 10. Arat. c. 25. Quaestt. Gr. c. 30 et impr. Corp. Inscr. no. 2265 et 2355. *Ἔκκλητος πόλις.* Hudtwalck. de diaet. p. 125 sq.

6) Pausan. IV, 5, 1. Cf. infr. c. 3 §. 13, 8.

7) *Τῷ ἐν Δελφοῖς μαντείῳ ἐπιτρέψαι.* Thucyd. I, 28.

8) *Σῦλα διδόναι.* Thucyd. V, 115. *Λάφυρον ἐπικηρύττειν, ῥύσια καταγγέλλειν κατά τινος* aut *τινί.* Polyb. IV, 53, 2. 26, 7. 36, 6. Cf. Heyn. ad Iliad. XI, 674. Intt. ad. Soph. Oed. Colon. s. 854.

admodum diversus est ἀνδρολημψίας s. ἀνδρολημψίου mos, ad ulciscendam caedem civis in aliena urbe ab huius urbis cive interempti. Nam si interfectorem cives sui dedere propinquis occisi recusassent, licebat his ex illorum civitate tres, quos possent, capere et in vinculis apud se retinere, donec aut dedito interfectore aut alia idonea ratione de caede satisfactum foret [9]).

§. III.

Sed si bellum geri placuisset, id indicendum adversariis erat [1]) per caduceatores, quorum sancta apud omnes inviolataque persona ideoque tutus etiam ad hostes commeatus [2]). Raro, nec nisi in summa animorum exasperatione, bellum gerebatur ἀκήρυκτον, h. e. neque indictum legitime, et in quo ne admissum quidem utrimque caduceatores iri denunciaretur [3]). Nonnunquam autem, priscis praesertim temporibus, leniendorum belli malorum variae rationes inibantur: quo pertinent pactiones de singularibus certaminibus [4]) aut de

---

Boeckh. oec. r. p. A. II p. 128. — Idem etiam bello indicto fieri solitum vix opus est monere. Qui autem hoc modo praedas agunt ληστεύουσι, λησταὶ aut πειραταὶ aut κλῶπες dicuntur, ducesque eorum ἀρχιπειράται, ἀρχίκλωπες. Demosth. Philipp. I p. 46. Diodor. XX, 97. Plutarch. Arat. c. 6. Tales esse arbitror, qui in lege Attica ap. Gaium ad leg. XII tabb. in Digest. XLVII, 22, 4 ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι dicuntur. Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 305. Praedae ipsae σῦλαι, σῦλα, κλοπαὶ sunt. Argum. Demosth. or. in Timocr. p. 695. Cf. de comitt. p. 284.

9) Vid. Petit. Legg. Att. p. 622. 623. Heffter. p. 428. Meier. Proc. Att. p. 278.

1) Πόλεμον καταγγέλλειν. Plutarch. Pyrrh. c. 26. Pausan. IV, 5, 3. De Atheniensium quodam more agni immittendi vid. Hesych. s. vv. ἄρνα et προβάλλειν cum intt.

2) Eustath. ad Iliad. 1 p. 83. Pausan. 1, 36, 3. Cf. Wachsmuth. ius gentt. Graec. p. 45. Hinc legatis quoque ad hostes missis addi caduceatores solebant, aut venia legatorum mittendorum antea per caduceatores peti. Thucyd. 1, 53. Polyb. IV, 72, 3. Cf. Demosth. de f. leg. p. 392, 15.

3) Πόλεμος ἄσπονδος καὶ ἀκήρυκτος. Cf. Xenoph. Hellen. VI, 4, 20. Abresch. dilucc. Thucyd. p. 555. Ast. ad Plat. Legg. p. 14.

4) E c. Hom. Iliad. III, 276 sqq. Hoc ἔθος τι παλαιὸν τῶν Ἑλ-

certo quodam utrimque militum numero non magno inter se committendo[5]), quorum eventu victoria finiretur: item ne armorum quaedam genera in proeliis usurpare[6]), neve fugatos hostes ultra certos terminos persequi liceret[7]). Communia vero bellorum iura[8]) haec erant, ut qui manus darent in proeliis ne interimerentur a victore sed captivi abducerentur[9]), utque permutandi captivos[10]) aut redimendi hostibus potestas fieret, in quo aliquando etiam certa redemptionis pretia usu aut pactis constituta erant[11]). Qui nec permutati nec redempti essent, servi fiebant: eratque haec plurimorum servitutis origo[12]). Apud Athe-

---

λήνων dicitur a Strabone VIII, 3 p. 357. Cf. Herodot. IX, 26. Pausan. V, 4, 1. Diog. Laert. 1, 74. Demarat. ap. Stobae. Flor. II p. 74 Gaisf., ubi tergeminorum pugna proponitur plane ut illa inter Horatios et Curiatios. Alia vid. ap. Wachsmuth. de iur. gentt. p. 47 et 86.

5) Notissima est pugna Spartanorum trecentorum cum totidem Argivis. Herodot. 1, 82. Pausan. II, 38.

6) Inter Chalcidenses et Eretienses, μὴ χρῆσθαι τηλεβόλοις. Strab. X, 1 p. 448. Simile quid de veteribus Achaeis refert Polyb. XIII, 3.

7) Thucyd. V, 41.

8) Πολέμου νόμοι. Polyb. V, 9, 1. 11, 3. Δικαιώματα πολέμων (?) Aristotelis. Vid. Ammon. s. v. νῆες ibiq. Valckenaer.

9) Thucyd. III, 58. 66. 67. Cf. Feith. Antiquitt. Homer. III, 14. Alios captivos, qui non ipsi se dedidissent, saepenumero interfectos esse constat.

10) Thucyd. II, 103. V, 3.

11) Τακτὸν v. ῥητὸν ἀργύριον commemorant e. c. Thucyd IV 69. Xenoph. Hell. VI, 2, 36. Inter Peloponnesios erant δύο μνέαι τεταγμέναι κατ' ἄνδρα αἰχμάλωτον ἐκτίνειν. Herodot. VI, 79. Singulae minae aliquando inter Corinthios et Megarenses Ammon. s. v. πρόξενος, cuius loci lacuna explenda iis, quae Plutarchus habet Quaestt. Graec. c. 17. Minam commemorat etiam Aristot. Ethic. Nicom. V c. 10. Inter Demetrium Poliorcetam et Rhodios M drachmae liberi hominis, D drachmae servi pretium pactum. Diodor. XX, 84. In univers. de varia λυτρῶν magnitudine cf. Boeckh. oec. r. p. A. I p. 77. 78. Commemoranda etiam lex Attica in orat. in Neaer. p. 1249 extr. 1250 in.

12) Aristot. Polit. 1, 2, 16.

nienses vero de his quoque cautum videtur Lycurgi lege, ne venum a possessoribus darentur insciente priore-domino, quo facilius scilicet posthac, si forte redimerentur, inveniri posset apud quem servirent[13]).

§. IV.

Occisis in proelio hostibus sepulturam negare aut contumelias corporibus facere post heroicam quidem aetatem[1]) impium ac nefarium videbatur, et ne in barbaris quidem licitum[2]). Sacrilegos tantum et fanorum spoliatores non sepeliri fas erat[3]). De ceteris inducias concedi moris erat, quo tolli a suis et sepeliri possent[4]): eratque induciarum postulatio pro confessione victoriae[5]). Tropaeum a victoribus erectum deiici postea ab adversariis salva religione non licebat, utpote dis consecratum[6]), quamobrem in ambigua victoria

---

13) Pseudoplut. vitt. X oratt. p. 842 A: *μηδενὶ ἐξεῖναι Ἀθηναίων μηδὲ τῶν οἰκούντων Ἀθήνησιν ἐλεύθερον σῶμα πρίασθαι ἐπὶ δουλείᾳ ἐκ τῶν ἁλισκομένων ἄνευ τῆς τοῦ προτέρου δεσπότου γνώμης.* Legem alii aliter interpretati sunt (vid. Westermann. de fontibus histor. Demosth. p. 105.); mihi Petitus verum vidisse videtur Legg. Att. p. 257.

1) Nam apud Homerum corpora occisorum saepenumero insepulta, atque etiam mutilata et contumeliis affecta. Feith. Antiquitt. Hom. IV, 15, 2. Terpstra p. 342 sqq. Tamen apud hunc quoque inducias fieri videmus mortuos sepeliendi causa, Iliad. VII, 395 sqq., cuius rei primum exemplum ab Hercule aut a Theseo datum fabulae perhibent. Aelian. V. H. XII, 27. Plutarch. Thes. c. 19.

2) Herodot. IX, 79. Pausan. I, 32, 4: *πάντως ὅσιον ἀνθρώπου νεκρὸν γῇ κρύψαι.*

3) Diodor. XVI, 25.

4) *Σπονδαὶ εἰς νεκρῶν ἀναίρεσιν, ὑπόσπονδος νεκρῶν ἀναίρεσις.* Cf. Duk. ad Thucyd. I, 63. Perizon. ad Aelian. V. H. XII, 27. Heyn. ad Apollod. III, 7, 1. Siebelis ad Philoch. fragm. p. 34. Id. ad Hellenica p. 188.

5) Justin. VI, 6 extr. Cf. Plutarch. Ages. c. 19. Nic. c. 6. Thucyd. IV, 72.

6) Dio Cass. XLII, 48. Sed cf. tamen Thucyd. VIII, 24 (*τὸ τροπαῖον*) *οἱ Μιλήσιοι ὡς οὐ μετὰ κράτους τῆς γῆς σταθὲν ἀνεῖλον.*

qui impedire quominus tropaeum ab hostibus erigeretur non potuerant [7]), alterum et ipsi tropaeum iuxta collocare solebant [8]). Erant autem haec nihil nisi arma arboris trunco aut ligneae columnae suspensa. Diutius mansura ex aere aut lapide statuere indecorum videbatur [9]). Praeda omnis generis, spolia caesorum corporibus detracta [10]), homines, pecora, denique quaecunque ab hostibus capta essent, in unum collata partim militibus distribuebantur, partim imperatori cedebant [11]), partim in publicum redigebantur, partim dis consecrabantur [12]).

§. V.

Jus autem victori in omnia, quibus per vim potitus erat, plenum et absolutum [1]). Hinc homines saepe aut trucidati aut in servitutem abrepti, urbes direptae et excisae, nihil denique praetermissum ad iram aut libidinem explendam. Sed saepius tamen moderari victoriae aut clementia

---

7) Xenoph. Hellen. VI, 4, 14.

8) Thucyd. I, 54. 105. Xenoph. Hellen. V, 4, 65. 66. VII, 5, 26.

9) Cic. de invent. II, 23. Diodor. XIII, 24. Plutarch. quaestt. Rom. c. 37. Apud Macedones olim tropaea plane inusitata fuisse dicuntur a Pausan. IX, 40, 4. Apud Graecos fere semper statui solita: tamen non raro loquutio τροπαῖον ἱστάναι etiam improprie usurpatur. Vid. Wesseling ad Diodor. XVI p. 511.

10) Spartanis tantum lex fuisse dicitur, ne mortuos spoliarent. Vid. Meurs. Miscell. Lacon. II c. 1.

11) Homer. Iliad. IX, 328 sqq. Cf. Terpstra p. 94. — Herodot. IX, 80. 81. — De ἀριστείοις cf. id. VIII, 123. et 11. Plat. Sympos. p. 220 E.

12) Herodot. IX, 81. Cf. Thucyd. III, 50. 68. Xenoph. Hellen III, 3, 1. Demosth. in Timocr. p. 738. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 352. II p. 128. De spoliis in templis deorum suspensis cf. Aeschyl. Ag. 588. Sept. 277. Eur. Androm. 1121 c. schol. Bacch. 1214. 1239.

1) Cf. Aristot. Polit. 1, 2, 16. Xenoph. Cyrop. VII, 5, 73 et all. ap. Grotium de Jure belli et pac. III, 6, 2. Nonnulla huc pertinentia vid. etiam infr. c. 6 §. 28, 2.

aut utilitatis ratio suasit; erat etiam ubi certae leges modum imponerent [2]); neque raro victis pactione cavebatur [3]). Sacra vero etiam in hostili terra spoliare aut violare nefas [4]), itemque eos, qui sacerdotali munere apud exercitum fungebantur, tutos plerumque vel in acie religio praestabat [5]). Eadem religio inducias hostibus sacrorum solemnium causa petentibus negare vetabat: quamquam non eadem omnium apud omnes ratio habebatur. Plurima id genus inter Dorienses in Peloponneso ex vetusto foedere observata [6]). Inter alios hoc saltem ius erat, non quidem ut arma iis qui sacra apud se celebrarent belli tempore inferri ab hostibus non liceret, sed tamen, si bellum ipsi non haberent, ut iter ubique pacatum iis esset, qui sacrorum causa ad illos proficiscerentur. His igitur hanc pacem per nuncios postulabant circum Graeciam dimissis, nec recusari eam fas erat [7]). Publicam vero pacem civitates inter se

---

2) De legibus amphictyonicis vid. infr. c. 3 §. 13, 7.

3) Ὁμολογία. Vid. e. c. Thucyd. II, 70. Xenoph. Hell. II, 2, 20.

4) Thucyd. IV, 97. cf. Polyb. IV, 67, 4. V, 9—11.

5) Conf. quae de Cretensibus Plutarchus refert Quaestt. Gr. c. 21, et de proverbio οὐδ' ἱερεὺς ἀπελείφθη, οὐδὲ πυρφόρος ἀπελείφθη Seber. ad Polluc. I, 35. Wesseling. ad Herodot. VIII, 6. Valcken. ad Eurip. Phoen. v. 1386 Beck. ad Aristoph. Avv. 1295. De simili religione erga reges Spartanorum cf. Plutarch. Agid. c. 21.

6) Vid. Pausan. III, 5, 8 de Argivis qui ad Agesipolin cum exercitu adversus se proficiscentem miserunt κήρυκα σπεισόμενον πατρῴους δή τινας σπονδὰς ἐκ παλαιοῦ καθεστώσας τοῖς Δωριεῦσι πρὸς ἀλλήλους. Imprimis per Carneorum ἱερομηνίαν huiusmodi inducias inter Dorienses legitimas fuisse constat e Thucyd. V, 54. Eandem cum Pausania rem narrat Xenoph. Hellen. IV, 7, 2; sed utrum Carneorum an alius festi causa induciae illae petitae sint non liquet. Cf. et Mueller. Dor. II p. 248. De aliis vid. Thucyd. III, 56. 75. et de induciis Olympiacis infr. c. 2 §. 7.

7) Σπονδὰς ἐπαγγέλλειν. Aeschin. de f. leg. p. 302 (§. 133 Bekk.) ἐκεχειρίαν ἐπαγγέλλειν. Lucian. Icaromenipp. c. 33. Memorabilis est inscriptio de Atheniensium σπονδαῖς μυστηριώτισιν, Corp. Inscr. no. 71. cf. et Aristid. or. Eleusin. I p. 420 Dindorf., et in univers. vid. schol. Aesch. de f. leg. p. 197, 1. Bergler. ad Alciphr. II, 3, 96. nos de comitt. p. 237.

non perpetuam sed in certos annos pangere solebant, ne scilicet posteros religione temere obstringerent, quam illi verendum esset ne tamen laedere cogerentur [8]). Addebant etiam hanc plerumque condicionem, ut si quid per illud tempus controversiae incidisset, aequo iure, non armis disceptarent [9]). Sanciebatur pax, sicut alia quaevis foederum genera, sacris et libationibus [10]) mutuoque iure iurando, quod utrimque aut magistratus dabant coram legatis ex altera civitate missis, aut legati coram alterius civitatis concione [11]). Quae pacti erant, additis eorum qui iuraverant nominibus, in tabulis aut columnis [12]) ex aere aut lapide inscribi moris erat [13]), easque in templis collocari utriusque urbis religiosissimis, nonnunquam etiam in extraneis, ut Delphis et Olympiae, quo-

---

8) Demosth. de f. leg. p. 358.

9) Vid. Thucyd. I, 78. IV, 118. V, 18. 79.

10) Hinc *σπονδῶν* nomen et *σπένδεσθαι* verbum. Ceterum quod Andocides ait de pace p. 94: *εἰρήνη γὰρ καὶ σπονδαὶ πολὺ διαφέρουσι σφῶν αὐτῶν· εἰρήνην μὲν γὰρ ἐξ ἴσου ποιοῦνται πρὸς ἀλλήλους ὁμολογήσαντες περὶ ὧν ἂν διαφέρωνται, σπονδὰς δὲ ὅταν κρατήσωσι κατὰ τὸν πόλεμον οἱ κρείττους τοῖς ἥττοσιν ἐξ ἐπιταγμάτων ποιοῦνται.* hoc discrimen falsum esse multi loci ostendunt. Vid. e. c. Thucyd. V, 47, ubi *σπονδαὶ* de Atheniensium et Argivorum foedere, quibus bellum inter se nullum fuerat, et Xen. Hellen. II, 2, 20, ubi *εἰρήνη* dicitur pax Atheniensibus devictis a Lacedaemoniis imposita. Et talia sexcenta facile afferri possunt. Verum discrimen hoc est, ut *σπονδαὶ* de quovis foedere, etiam de paucorum dierum induciis, *εἰρήνη* autem de pace in longius tempus facta dicatur. Induciarum proprium nomen *ἀνοχή, ἀνακωχή, ἐκεχειρία.* Thucyd. 1, 40. IV, 117. Gellius N. A. I, 25.

11) Vid. Thucyd. V, 47. 118. Demosth. de f. leg. p. 346, 6. 388, 1. 390, 20. 391, 8. de coron. p. 233, 24. Aeschin. de f. leg. p. 262. in Ctesiph. p. 464. 465 et alibi passim. Nonnunquam etiam ius iurandum quotannis repetitum. Ceterum not. vocc. *ὁρκωτής, ὁρκῶσαι.* Xenoph. Hell. VI, 5, 3.

12) Hinc *στῆλαι* nonnunquam per quandam metonymiam pro ipsa pactione dicitur, v. c. *ἐμμένειν ἐν ταῖς προϋπαρχώσαις στάλαις,* in foedere Hierapytniorum et Priansiorum Corp. Inscr. no. 2556 v. 6.

13) Cf. Thucyd. V, 19. 24.

rum magna inter omnes sanctitas[14]). Rupta pace aut tollebantur columnae[15]), aut hoc ipsum, ruptam pacem esse, adscribebatur[16]).

§. VI.

Communia pacis iura priscis temporibus praecipue Jovis *ξενίου* religione continebantur[1]). Haec enim liberum cuilibet et tutum inter alienos commeatum praestabat, dum ipse iniuriis abstineret. Hospitium facile etiam ignotis praebitum[2]): discedentibus munera data[3]), foedusque hospitii contracti saepenumero etiam tesseris confirmatum, quibus iura hospitalia ad posteros aut propinquos propagari possent[4]). Mendicantes quoque peregrinos comiter excipere pietas iubebat[5]): multo magis supplices, qui in alicuius tutelam se commendarent[6]), quod genus non pauci erant illis temporibus, propter caedem commissam ex patria profugi. Posterior aetas haec iura non modo non mutabat, sed addebat etiam non pauca, quo magis inter omnes commercia frequentata[7]). Ipso-

---

14) Thucyd. V, 18. 77. Aristoph. Ach. 736. Corp. Inscr. no. 11. 73. 74.

15) *Καθελεῖν τὰς στήλας.* Demosth. de Megalop. p. 209.

16) *Τῇ στήλῃ ὑπέγραψαν ὅτι οὐκ ἐνέμειναν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῖς ὅρκοις.* Thucyd. V, 56.

1) Homer. Od. VI, 207. IX, 270. XIV, 57. XVII, 485. Postea etiam alii dii hospitales appellantur. Cf. F. V. Ullrich, disquisitt. de proxenia (Berolin. 1822. 8) p. 9, qui etiam propter sequentia conferendus est.

2) Imprimis regum maxima adversus advenas hospitalitas erat. Cf. Hom. Od. I, 119. III, 34. XIX, 197. Humilioribus recipiendis nonnunquam *λέσχαι* inserviebant. Ib. XVIII, 328. Cf. et Wachsmuth. de iur. gent. p. 43.

3) Hom. Iliad. VIII, 218. XI, 20. Od. IX, 268.

4) Eurip. Med. v. 600 Elmsl. c. schol. Cf. Petit. Miscell. I, 1. et impr. Ullrich. de proxenia p. 18 sqq.

5) Hom. Od. VI, 207. XIV, 57. cf. XVII, 475.

6) *Ζεὺς ἱκέσιος, ἱκετήσιος.* Od. XIII, 213. VII, 165. 181. VI, 287. IX, 270. XIV, 58. Cf. Wachsmuth. l. l. p. 44.

7) Cf. Xenoph. Memm. II, 1, 14.

rum Lacedaemoniorum inhospitalitatem verbo quam re duriorem fuisse supra vidimus [8]); aliorum celebratur hospitalitas, velut Cretensium, certe inter ipsos, Atheniensium, coloniarum Milesiarum [9]). Hospitia non inter privatos solum sed etiam publice contracta [10]) et πρόξενοι constituti, partim honoris causa, partim ut in sua civitate peregrinos, si opus esset, consilio et re iuvarent [11]). Mercatu, foris, portubus nemo prohibitus nisi hostis [12]). Templa peregrinis quoque aperta, sive ad preces remque divinam faciendam, sive spectandi causa [13]),

---

8) Vid. P. IV, 1 §. 21, 7—9.

9) P. IV, 2 §. 8, 2. Heraclid. Pont. c. 18. Cf. Theophil. Institutt. paraphr. I, 2 pr.

10) Vid. Ullrich. l. l. p. 25. Wachsmuth. p. 72.

11) Ullrich. p. 43—56. cf. Meier. Proc. Att. p. 55. Sell, die Recuperatio der Römer, p. 129. — In nonnullis civitatibus πρόξενοι magistratus erant a civibus suis, non ab extera civitate, cui hospitii officia praestarent, constituti, ut Spartae (vid. P. IV, 1 §. 13, 2.) Crannone in Thessalia (Antigon. Caryst. c. 15 p. 25 Beckm.) Petiliae in Bruttiis (Boeckh. ad Corp. Inscr. no. 4. tom. 1. p. 11.) et, ut arbitror, etiam apud socios Atheniensium, ad excipiendos eos qui publicorum negotiorum causa Athenis eo venirent. (Aristoph. Avv. v. 1021 ubi cf. intt.) In univers. cf. Boeckh. ad Corp. Inscr. 1 p. 731. 732. Westermann. de publ. Ath. honor. p. 44. De ἐθελοπροξένων, ἰδιοξένων, δορυξένων, ἀστοξένων vocc. vid. Valcken. ad Ammon. obss. p. 198. Ullrich. p. 29 sqq. Meier. ad Demosth. Mid. p. 246.

12) Plut. Pericl. c. 29. cf. Thucyd. 1, 67. Aristoph. Ach. 520 et alibi. Diod. XII, 39. Add. Demosth. Olynth. II p. 22 extr. Aristoph. Avv. 1522. Spanhem. ad Aristoph. Rann. v. 365. Portoria, ut Athenis, ita alibi quoque exacta (Wachsmuth. de iur. gent. p. 83), et nonnunquam etiam certa mercium genera importari aut exportari vetita. (Id. ib. et Boeckh. oec. r. p. A. I p. 58 sqq et 63.) De συμβόλῳ aut σφραγῖδι, qua belli tempore aditus in urbem peregrinis dabatur, ex Aristoph. Avv. 1213 sq. et schol. monuit Boeckh. l. l. p. 222; dissentit tamen Meier. Proc. Att. p. 88.

13) Or. in Neaer. p. 1374, 2. Nam quod de sacris dicitur, dubitari non potest quin ad templa quoque trahi debeat. Rarum illud erat, ut quaedam templa adire non liceret certae stirpis hominibus, velut Minervae templo in arce Athenarum interdictum erat Doriensibus (Herodot. V, 72) et in Argivae Junonis οὐχ ὅσιον ξείνῳ θύειν. Id. ib. c. 81. Alia vid. ap. Lobeck. Aglaoph. p. 272.

sacraque saepe etiam ab exteris per legationes publicas concelebrata[14]). Supplicibus tutum ubique ad aras et fana perfugium[15]); asylorum nonnullis in urbibus ea sanctitas, ut ne sontes quidem inde abripere fas esset[16]). Juris experiundi etiam cum civibus potestas ubique haud dubie peregrinis data; quae autem civitates frequentiora inter se commercia exercerent, pacta de iuris inter cives suos dandi repetendique ratione inire solebant, quae *σύμβολα* dicuntur, quibus quum iuris, quo uterentur, certa formula, tum fori ac iudiciorum et provocationis interponendae ratio ordinabatur[17]). Qui relicta patria in alienam civitatem immigrabant, tanquam inquilini facile a plerisque recipiebantur, iuraque eorum eadem fere, quae Athenis, etiam in aliis civitatibus fuisse videntur, ut patrono se uni e civibus applicarent, vectigal penderent[18]), rei publicae quidem administratione arcerentur, sed legum praesidio tuti ab iniuriis et vexatione viverent. Praemia quoque inquilinis aliisve peregrinis data, immunitatem, connubium cum civibus, praediorum acquirendorum ius et similia non minus quam Athenis etiam

---

14) De theoriis vid. supr. P. V c. 5 §. 46, 5.

15) Thucyd. IV, 98: *τῶν ἀκουσίων ἀδικημάτων καταφυγὴν εἶναι τοὺς βωμούς.* Minus accurate Lysias loquitur in Eratosth. p. 445: *ἱερά, βωμοί, ἃ καὶ τοῖς ἀδικοῦσι σωτήρια γίγνεται.* Cf. et Lycurg. in Leocr. §. 93. Sontes igitur exposcentibus dedi nulla religio vetabat; insontes dedere quam piaculare visum sit, Herodoti narratio docere potest I c. 161. In univers. cf. Grot. de iur. belli et pac. II, 21, 5.

16) Petit. Legg. Att. p. 78—84. Cf. J. A. Osiander, de asylis gentilium, in Gronov. thesaur. tom. VI. Add. Simon, sur les asyles, in Memm. de l'Acad. des Inscriptt. tom. III. Wachsmuth. Ant. Gr. II, 1 p. 188 et 350.

17) Harpocrat. s. v. *σύμβολα*, ibiq. Vales. *Τὸ δοχθὲν κοινῇ σύμβολον* in foedere Hierapythn. et Prians. Corp. Inscr. no. 2556 v. 70. Cf. Proc. Att. p. 773 sqq. Platner. I p. 105 sqq. Heffter. p. 89 sqq.

18) Cf. Demosth. ctr. Aphob. III p. 845, 2. Lycurg. in Leocr. p. 152. Aristot. Polit. III, 1, 3. 3, 6. VII, 4, 8. Oecon. II, 4 p. 17 Goettl.

apud alios invenimus [19]). Eaque iura interdum non singulis modo hominibus, sed universis civitatibus concessa [20]), ut omnes earum cives aut immunes in altera civitate essent, aut nuptias legitimas contrahere, aut praedia acquirere possent: nonnunquam vero etiam *ἰσοπολιτείαν* inter se civitates impertiebant, cuius haec erat vis, ut qui civis ex altera in alteram immigrasset, huius quoque continuo civis fieret [21]). Sed rarum hoc fuisse nec nisi inter paucos usurpatum vix opus est monere; frequentiora autem alia multa erant coniunctionis et societatis genera, quae partim rerum divinarum communione partim publicorum consiliorum consociatione constabant: de quibus deinceps ordine dicemus.

---

2. De communione sacrorum.

§. VII.

Aliqua sacrorum communione omnes haud dubie Graeci inter se utebantur, siquidem nulla non

---

19) Exempla vid. Corp. Inscr. in Boeotic. no. 1562—1565, ubi coniunguntur *προξενία* et *γᾶς καὶ Fυκίας ἔππασις, Fισοτελία, ἀσφαλία κὴ ἀσουλία κὴ πολέμω κὴ ἰράνας ἰώσας κὴ κατὰ γᾶν κὴ κατὰ θάλατταν.* Huc pertinet et *ἐπινομία* ib. no. 1724. b. Add. Phocic. no. 1771—1773 et al. pass. Cf. Boeckh. comm. ad no. 1563.

20) Cf. Herodot. IX, 73. Xenoph. Hellen. I, 2, 10. Lys. *δήμ. καταλ. ἀπολ.* p. 920. Demosth. de coron. p. 291, 4.

21) Thucyd. III, 55 coll. Diodor. XV, 46, ubi *ἰσοπολιτεία* dicitur quam Thucydides *πολιτείαν* dixit. Or. in Neaer. p. 1377. 1381. Isocrat. Plataic. c. 23. Cf. Polyb. XII, 10. Liv. XXXI, 15. Demosth. de coron. p. 256, 6. Corp. Inscr. no. 2554 v. 190, de Latiis et Olontiis. Ibid. v. 26 est: *τῷ βουλομένῳ μετοχὰν ἦμεν θείνων καὶ ἀνθρωπίνων ἁπάντων ἐν ἑκατέρᾳ τᾷ πόλει.* Add. no. 2557 v. 16—19, de Allariotis et Pariis. no. 2556, 13. 14, de Hierapytniis et Priansiis. Cf. Spanhem. Orb. Rom. I c. 4. p. 18 sqq. ed. Heinecc. — Boeckhius ad C. J. I p. 732 cur iure suffragii *τοὺς ἰσοπολίτας* exclusos velit, non satis perspicio: est enim hoc haud dubie in *θείνοις καὶ ἀνθρωπίνοις ἅπασιν*, quorum qui migravit in alteram civitatem particeps fit. Cf. et Wachsmuth. A. G. I, 1 p. 124.

civitas, etiamsi publicorum sacrorum participes non alios nisi cives faceret, aditum tamen eorum ac spectaculum, et venerandorum etiam in templis suis deorum potestatem peregrinis concedebat [1]). Sed erant certa quaedam festa solemnia omnibus ita communia, ut et legationibus publicis undique missis concelebrarentur resque divina ab his civitatum suarum nomine fieret, et privatim ex omni Graecia multi confluerent vel ad certamina obeunda vel ad sacra facienda vel ad spectandam pomparum ludorumque solemnitatem. Ex hoc genere imprimis sunt quattuor illi ludi magni, qui Olympiae, Delphis, Nemeae et in Isthmo Corinthio statis temporibus magna totius Graeciae frequentia peragebantur. Et Olympia quidem, quorum primam originem sunt qui ad Herculem auctorem referant [2]), instaurata certe et ad eum qui postea obtinuit modum ordinata ab Iphito esse, Eleorum seu rege seu principe, unaque cum hoc a Lycurgo, Spartanorum legislatore, satis inter omnes constat, memoriaque eius rei vetustissimis litterarum monumentis conservata esse perhibetur [3]). Nec de eo multum ambigitur, quin trecentis post Troiam eversam annis illud factum sit [4]), centum et octo annis

---

1) Vid. supr. c. I §. 6, 13. Arcana quaedam excipi debere sua sponte patet, veluti thesmophoriorum operta a matronis tantum Atticis celebrata, de quibus cf. imprimis L. Preller. in Zimmermann. Diurn. antiquar. ann. 1835 no. 98. Eleusiniorum pompae solemnes spectari a quolibet poterant: sacra arcana in templo peragebantur, quo mystis tantum et epoptis accedere licebat; sed initiatione peregrinos, Graecos duntaxat, non exclusos esse notum est. Cf. Lobeck. Aglaoph. p. 14 sq.

2) Pausan. V, 7, 4—6. Apollod. II, 7, 2, 6. Diodor. IV, 53 V. 64. schol. Pind. Olymp. II, 5 aliique apud Meierum in Ersch. et Grub. Encycl. artt. et litt. sect. III p. 295, ubi etiam aliae de Olympiorum origine fabulae diligenter collectae sunt.

3) Pausan. V, 20, 1. Plutarch. Lycurg. c. I. Meier. l. l. p. 296.

4) Cf. Clinton. F. H. I p. 140 sqq. II p. 416. t. Bernhardy Eratosthenic. p. 239 sqq. et all. quos laud. Hermann. A. Gr. §. 23, 9.

ante quam victorum nomina publicis tabulis consignari coeperunt, quae res postea temporum in historia secundum Olympiades describendorum initium dedit[5]). Agebantur autem hi ludi ad Olympii Iovis templum in Alti, qui lucus erat in Elide prope Pisam urbem ad Alpheum fluvium situs[6]). Curam eorum ac moderationem fere perpetuo Elei habebant[7]). Hi igitur et tempus festum[8]) induciasque per hoc tempus legitimas demissis per omnem Graeciam nuntiis indicebant, et praeparabant ordinabantque quidquid ad solemnitatem rite peragendam pertineret, et iudices certaminum constituebant Hellanodicas eorumque consiliarios nomophylaces[9]), et si quid commissum esset aut contra leges certaminum aut contra festi sanctitatem et religionem, cognoscebant et vindicabant[10]). Sanctitas autem Olympiorum non haec solum erat, ut post indictas ab Eleis inducias neque his arma inferre, neque cuiquam, qui concelebrandi festi causa Olympiam tenderet, iniuriam ne ab hoste quidem fieri liceret[11]), sed vetusto Doriensium cum

5) Cf. Wesseling. ad Diodor. V c. 1. Mueller. Dor. I p. 130.

6) Descriptionem Olympiae vid. ap. Strabonem VIII, 3 p. 353. Pausan. V, 10 sqq. Conf. tabulam geographicam cum descriptione in Dissenii Pindaro tom. II p. 630.

7) Exceptis olympiadibus octava, trigesima quarta, centesima quarta, quae quum a Pisaeis actae essent, ab Eleis ἀνολυμπιάδες dictae sunt. Cf. Strab. VIII, 3 p. 355. Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 27 b. 28 a.

8) Tempus erat post solstitium aestivum quinti cuiusque anni; ludis ipsis quinque dies destinati. Meier. l. l. p. 324. Boeckh. ad Pind. Ol. III p. 138.

9) De Hellanodicarum creatione et alio aliis temporibus numero vid. Meier. p. 309. 310; de muneribus eorum p. 311 sqq. De nomophylacibus cf. Pausan. VI, 24, 3.

10) Sed de sententiis Hellanodicarum provocatio ad senatum Olympiacum (Pausan. VI, 3, 3), nonnunquam etiam ad concionem fuisse videtur. Vid. Meier. p. 313 sq. De nonnullis probabile statim a senatu iudicatum esse. Thucyd. V, 49. Pausan. V, 6, 4. Perizon. ad Ael. V. H. X, 1.

11) Commune hoc Olympiis cum aliis aliorum festis erat. Vid. supr. cap. I §. 5, 7.

Iphito foedere illud quoque pactum fuerat, ne quis ullo omnino tempore cum armata manu fines Eleorum ingrederetur, itaque et ipsi bello illacessiti, tanquam sacrosancti Iovis ministri, perpetua pace fruerentur, et si quis amicorum exercitus iter adversus alios per eorum fines haberet, ingrediens arma deponeret nec nisi egrediens reciperet [12]). Verum hoc posterioribus temporibus non amplius observatum, postquam ipsi Elei bellis in alios abstinere desierant [13]); festi autem temporis et indictarum induciarum observatio vix unquam neglecta videtur [14]).

§. VIII.

Pythiorum quoque incertae origines aut ab ipso Apolline, aut a Diomede repetitae [1]). Agebantur ea initio Delphis nono quoque anno, curantibus Delphorum magistratibus ac sacerdotibus [2]). Dein post primum bellum sacrum curam eorum et administrationem Amphictyones susceperunt, ludisque ad Olympiorum exemplum ordinatis locum in campo Crissaeo assignarunt [3]). Ab hoc tempore Pythia ex ennaetericis pentaeterica

---

12) Strab. VIII p. 357 extr.: *τὴν Ἠλείαν ἱερὰν εἶναι τοῦ Διός· τὸν δ' ἐπιόντα ἐπὶ τὴν χώραν ταύτην μεθ' ὅπλων ἐναγῆ εἶναι· ὡς δ' αὔτως ἐναγῆ εἶναι τὸν μὴ ἐπαμύνοντα εἰς δύναμιν. Ἐκ δὲ τούτου καὶ τοὺς κτίσαντας τὴν Ἠλείων πόλιν ὕστερον ἀτείχιστον ἐᾶσαι, καὶ τοὺς δι' αὐτῆς τῆς χώρας ἰόντας στρατοπέδῳ τὰ ὅπλα παραδόντας ἀπολαμβάνειν μετὰ τὴν ἐκ τῶν ὅρων ἔκβασιν.* Cf. Polyb. IV, 73. Diodor. fr. lib. VII tom. IV p. 18 Bip.

13) Vid. Meier. l. l. p. 299.

14) Hoc vel e Thucydidis narratione V, 49 manifestum fit, ex quo etiam de poena disci potest, qua neglectio induciarum vindicabatur *ἐν τῷ Ὀλυμπιακῷ νόμῳ.*

1) Ovid. Metam. I. 446. Pausan. II, 32, 2.

2) Strab. IX, 3 p. 421.

3) Olympiade XLVIII, 3. Cf. Strab. l. l. Pausan. X, 7, 3. 37, 4. 5. schol. Pind. Pyth. IV, 116. Marm. Par. epoch. 38 ibiq. intt. Clinton. F. H. p. 207, qui tamen in eo falli videtur, quod in computatione Pythiadum non ab ol. XLVIII, 3 sed ab ol. XLIX, 3 initium factum statuit. Vid. Boeckh. ad Pind. Pyth. II, 2 p. 206 sqq.

facta et tertio cuiusque Olympiadis anno celebrata sunt mense Bucatio, qui utrum vernus an auctumnalis fuerit non satis constat [4]). — Nemei ludi instituti dicuntur in Archemori honorem a septem ducibus adversus Thebas proficiscentibus, instaurati dein et Iovi consecrati ab Hercule [5]): ex quo coniicias festum vetustissimum et Doriensium migratione antiquius, ab his postea receptum et immutatum esse. Agebatur Nemeae, qui vicus erat in Argolide inter Cleonas et Phliuntem cum religiosissimo Iovis templo [6]). Possessionem loci festique administrationem olim Cleonaei, mox Argivi, aliquando etiam Corinthii habebant [7]). Agebantur autem Nemea bina singulis quadrienniis, erantque altera aestiva, quarto cuiusque Olympiadis anno [8]), altera hiberna, Olympiadis anno primo aut secundo celebrata [9]). — Isthmia denique quum antiquitus a Sisypho h. e. ab Aeolensibus Corinthiis Melicertae, deo marino, instituta essent [10]), Theseus Neptuno, Ionicae gentis deo [11]),

4) Bucatio mense Pythia acta esse docet decreti amphictyonici fragmentum Corp. Inscr. no. 1688 v. 45. Vernum hunc mensem Boeckhius censet p. 812, quemadmodum verno tempore Pythia acta esse iam olim Dodwell. de cycl. p. 236. Corsin. dissertt. agonist. (ed. Lips. 1752.) p. 29 sqq. Fast. Att. II p. 437 statuerant. Auctumnale Pythiorum tempus fuisse Clinton. censet l. l. p. 209 sqq. assentiturque ei Kruegerus p. 214 not. 1. Arnoldus denique ad Thucyd. V, 1 (in ed. Poppon. tom. III, 3 p. 420—427) Pythia media aestate celebrata opinatur.

5) Apollod. III, 6, 4 ibiq. Heyn. Stat. Thebaid. IV, 739 sqq. schol. Pind. hypoth. Nem. et ad Nem. III, 115.

6) Strab. VIII, 3 p. 377. Pausan. II, 15, 2.

7) Cf. Mueller. Dor. I p. 159. Dissen. explicat. ad Pind. Nem. p. 381 sq. ed. Boeckh.

8) Mense Panemo, quem cum Atheniensium Metagitnione aequiparandum esse Boeckhius docet, über die Zeitverhältnisse der Demosth. Rede gegen Meidias, p. 37 sqq.

9) Cf. quae hac de re disputavi in prooem. schol. Gryph. hibern. ann. 1832—1833.

10) Apollod. III, 4, 3. Pausan. I, 44, 11. II, 1, 3. schol. Pind. hypoth. Isthm. schol. Apollon. III, 1240.

11) Cf. Mueller. Dor. I p. 403.

consecrasse dicitur: quam ob rem etiam posteris temporibus, quum Isthmum Ionibus ereptum Dorienses occupassent ludorumque administrationem in se suscepissent, semper tamen Atheniensium theoris praecipuae sedis honor a Corinthiis concedebatur [12]). Agebantur autem Isthmia tertio quoque anno, Olympiadum primo ac tertio, tempore aestivo [13]).

§. IX.

Hi omnes ludi, etiamsi non statim ab initio, attamen procedente tempore totius Graeciae communes facti sunt [1]), summisque omnium studiis publice privatimque concelebrati, nec fere quisquam Graeci nominis exclusus [2]) nisi propter facinora aut violatam deorum religionem festorumque sanctitatem [3]); quum barbari contra non quidem a spectaculo, sed tamen a concertatione sacrisque communibus prohiberentur [4]). Certamina ubique aut omnia aut pleraque gymnica, cursus, saltus,

---

12) Hellanic. et Andron ap. Plutarch. Thes. c. 25.

13) Corsin. dissertt. agonist. p. 114 sqq.

1) Ἑλλανοδικῶν nomen, quo Olympiaci athlothetae pariter atque iudices militares in Spartanorum sociorumque exercitu appellantur (vid. infr, c. 7 §. 29, 15.), inditum haud dubie quum Ἑλλήνων nomine nondum omnes Graeci, sed soli Dorienses et pauci fortasse alii appellabantur. Cf. supr. P. II §. 4, 7. Sed magna Doriensium et in Peloponneso et extra auctoritas facile effecit, ut simul in nominis illius simul in ludorum Olympicorum communionem omnes paullatim venirent. Cf. Hudson. ad Thucyd. I, 3. Ceterum eodem Ἑλλανοδικῶν nomine etiam Nemeorum iudices dicebantur (Boeckh. ad Corp. Inscr. no. 1126 tom. I p. 581.); scilicet postquam haec quoque Doriensium facta erant. Isthmiorum et Pythiorum athlothetis nomen illud nunquam, quod sciamus, datum est.

2) Singulare erat, quod Pausan. V, 2, 3 coll. VI. 16, 2 et Plutarch. de Pyth. orac. c. 13 referunt, Eleos Isthmiorum certaminibus exclusos fuisse. Ceterum cf. Demosth. in Aristocr. p. 633, 6.

3) Cf. Thucyd. V, 49 de Spartanis aliquando Olympia prohibitis propter violatam ἐκεχειρίαν. Alia vid. ap. Meier. l. l. p. 300.

4) De Macedonibus et Romanis admissis vid. Meier. p. 299.

iaculi, disci, pugilatus, pancratii, quorum ordinem variaque genera persequi non est nostri consilii [5]). Musica certamina in Pythiis [6]) tantum et Isthmiis [7]) fuerunt. Praemia victorum permodica, coronae ex oleastro, lauro, apio, pinu [8]), signa magis victoriae quam praemia; sed honor ingens et eximia laus, in totius Graeciae conventu aut corporis viribus et agilitate, aut artis praestantia inter plurimos in eodem genere excellentissimos primum iudicatum esse. Itaque hanc laudem etiam ipsae victorum civitates ad se magnopere pertinere censebant honoribusque paene immodicis ornabant [9]). Praeterea, quum quidquid vel arte eximium, vel magnificentia conspicuum, vel religione sanctum esset, omnes sibi tanquam commune Graeciae bonum in spectaculum et oblectationem positum intuerentur, eademque omnes laetitia, iisdem studiis, eadem religione implerentur, fieri profecto non potuit, quin aliqua certe communis patriae recordatio in animis eorum revivisceret, et quamvis civitatibus multifariam divisi,

5) De variis certaminum generibus et de omni festi ordine, quantum Olympia attinet, satis est Meierum laudare p. 300—324. Non admodum autem diversam ceterorum rationem fuisse schol. ad Anthol. I, 1 et Thom. Mag. vit. Pind. testantur.

6) In his olim, ante Ol. XLVIII, 3, sola citharoedorum certamina fuerant, quae postea, gymnicis certaminibus institutis, non modo non omissa sed aliis etiam musicis aucta sunt. Cf. Strab. IX, 3 p. 421. Pausan. X, 7, 2. 3. Id. II, 22, 9. Casaub. ad Athenae. XIII p. 886. Pollux IV, 79 c. intt. Dissen. ad Pindar. p. 353.

7) Vid. Plutarch. Quaestt. sympos. V, 2. tom. IV p. 293 Tauchn. ex quo discimus etiam mulieres ad musica certamina in Isthmiis admissas et Aristomacham aliquando, Erythraeam ex Ionia, victoriam reportasse.

8) Aristoph. Plut. v. 586 c. nott. Bergl. et Hemsterh. Plutarch. Timol. c. 26. Sympos. qu. V, 3, 1. 2. 3. VIII, 4, 1 et 4. Diodor. XVI, 80. Aelian. V. H. III, 1 extr. ibiq. Perizon. Schol. Pind. Nem. hypoth. 3. Pausan. X, 7, 4. Id. VIII, 48, 2 ubi de omnibus refertur, simulque de palma, quam victores manibus gestabant. In univ. de *στεφανίταις* et *θεματικοῖς ἀγῶσι* cf. Meier. l. l. p. 314 not. 61.

9) Spanhem. ad Aristoph. Plut. v. 586. Meier. p. 317. 319 sq.

bellisque inter se et discordiis in diversas partes distracti, Graecos tamen se omnes, sanguinis, morum, religionum, optimarum denique rerum communione coniunctos et a barbaris discretos reminiscerentur ac persentiscerent[10]).

§. X.

Ceterum etiam alii multi ludi his de quibus diximus non absimiles in Graecia agebantur, ad quos vel spectandi vel concertandi gratia plurimi undique confluebant, ut Panathenaea Athenis, Eleusinia Eleusine, Heraclea Marathone, Dioclea, Pythia, Nemea Megaris, Heraclea s. Iolaia Thebis, Erotidia Thespiis, Aeantea, Delphinia, Heraea Aeginae, Geraestia et Amarynthia Euboeae, Heraea s. Hecatombaea Argis, Pythia, Theoxenia et Hermaea Sicyone, Lycaea, Aleaea, Corea in Arcadia, aliaque alibi [1]), quae enumerare longum est et supervacaneum, quandoquidem nullis horum tanta, quanta quattuor illis, gloria et celebritas contigit. Unum tamen non praetermittendum videtur, Plataicum Eleutheriorum festum, post divictas ad Plataeam Persarum copias communi victorum consilio, Aristidis suasu, institutum, ut quinto quoque anno ad Plataeam conventus ageretur, eoque legati ac theori ex omni Graecia mitterentur, sacraque fierent cum ludis ac certaminibus, quo et meritus dis honor haberetur, et communis gloriae virtute et concordia partae memoria in animis hominum resuscitaretur: utque Plataeensibus eadem quae Eleis sanctitas esset,

---

10) Cf. Isocr. Panegyr. c. 12. Lys. Olymp. p. 911 sqq. Add. Herder. Ideen zur Phil. der Gesch. der Menschh. tom. II p. 121 ed. Luden. et Heeren. über Politik, Handel etc. tom. III, 1 p. 191 ed. ann. 1812.

1) De his omnibus praeter Meursium in Graecia feriata vid. impr. Boeckh. explicatt. Pind. Ol. VII p. 174—176. IX p. 193—195. XIII p. 221. Dissen. ad Nem. V p. 401.

neque armis hostilibus eos lacessere liceret [2]). Sed hoc quidem brevi tempore observari desiit: ludi autem ipsi Eleutherii adhuc Pausaniae tempore agebantur, quamquam non magna reliquorum Graecorum celebratione [3]).

3. De concilio Amphictyonum.

§. XI.

Aliud erat genus festorum, quae ad certum quendam populorum numerum communiter pertinebant, statisque temporibus in templo aliquo communi ab illorum populorum conventu celebrabantur. Huiusmodi communio quia plerumque inter vicinos erat circa templum incolentes, *ἀμφικτιονία* vel paullulum mutata nominis forma *ἀμφικτυονία* dicitur [1]), erantque tales plurimae per omnem Graeciam [2]), quamquam de plerisque vix quidquam praeter nominis memoriam compertum habemus. Ita e. c. Doriensium aliquando amphictionia in Peloponneso fuit cum communibus in Argivo quodam templo sacris [3]): porro Boeotorum circa Onchestum Neptuni sacra celebrantium [4]): Hermionensium, Epidauriorum, Aeginetarum, Atheniensium, Prasiensium, Naupliorum, Orchomenio-

2) Plutarch. Aristid. c. 21. Cf. Mueller. prolegg. mythol. p. 410. 411.

3) Pausan. IX, 2, 4. — Plutarch. l. l. etiam inferias dis manibus eorum, qui in proelio ad Plataeam occubuerant, a Plataeensibus oblatas sua adhuc aetate commemorat.

1) De utraque nominis forma cf. Herodot. VIII, 104 c. nott. Valck. et Wessel. Pindar. Pyth. IV, 66. X, 8. Nem. VI, 40. Isthm. III, 26. Boeckh. comm. crit. p. 536. 537. Id. ad Corp. Inscr. I p. 808 b. Mueller. Aeginet. p. 30.

2) Vid. Sainte-Croix des anciens gouvernemens fédératifs (Paris. 1804. 8.) p. 115 sqq. Huellmann. Anfänge der Griech. Gesch. p. 161—188, Wachsmuth. I, 1 p. 106.

3) Pausan. IV, 5, 1 ibiq. Siebelis. Mueller. Dor. I p. 153.

4) Strab. IX, 2 p. 412. Mueller. Orchom. p. 238.

rumque Boeotorum, quorum communia sacra Calauriae agebantur in templo Neptuni [5]): Ionum, qui ex insulis, Asia, Attica quarto quoque anno Delum congregabantur [6]), sacraque Apollini per theorias [7]) singularum civitatum offerebant cum pompis ludisque solemnibus, templi quoque Deliaci communiter curam gerebant bonaque eius et reditus per delegatos administrabant [8]).

§. XII.

Una autem omnium maxime nobilis ac latissime patens coniunctio eorum fuit, qui quasi proprio ipsis nomine Amphictyones vocantur [1]), quorum bini quotannis conventus Delphis et Thermopylis erant, quam ob rem Delphicam hanc aut Pylaicam amphictyoniam vocamus. Eius origo ab Amphictyone repetitur, heroe fabuloso, quem Hellenis alii fratrem alii filium fuisse perhibent [2]): instaurata deinde atque ordinata ab Acrisio dici-

---

5) Strab. VIII, 6 p. 374, qui docet, postea pro Naupliis Argivos, pro Prasiensibus Lacedaemonios participes factos esse, subactis scilicet illis et horum imperio subiectis. Cf. Mueller. Aeginet. p. 30 sqq. Orchom. p. 247. Boeckh. oec. r. p. A. II p. 368.

6) Certe inde ab Ol. LXXXVIII, 3, quo tempore intermissa aliquamdiu sacra ab Atheniensibus instaurata sunt. Vid. quae leudantur a Boeckhio l. l. II p. 217 sq. Tempus festi idem probabiliter statuit d. VI et VII mensis Thargelionis.

7) De *Δηλίᾳ θεωρίᾳ, Δηλιασταῖς, Δηλίᾳ τριήρει* Atheniensium vid. Harpocr. s. v. Intt. ad Plat. Criton c. 1. L. Zander. in Ersch. et Gruber. Encyclop. sect. I tom. 23 p. 391.

8) Superest memorabilis hac de re inscriptio marmoris Sandvicensis ap. Boeckh. Corp. Inscr. I no. 158 et de oec. r. p. A. II p. 214—242.

1) F. W. Tittmann, über den Bund der Amphiktyonen. Berlin. 1812.

2) Fraterm plerique dicunt, quos enumerat Tittmann. p. 12 not. 1; filium Dionysius Ant. Rom. IV, 25. Ceterum fictam herois personam, nomenque ex *ἀμφικτιόνων* h. e. *περικτιόνων* vocabulo leviter immutato ductum esse, iam veteres intellexerunt. Anaximen. ap. Harpocr. s. v. Androtion ap. Pausan. X, 8, 1. Cf. supr, §. 11, 1. Add. Boeckh. ad Corp. Inscr. II p. 312.

tur rege Argivorum [3]). Participes huius amphictyoniae duodecim vel populi vel gentes fuerunt [4]), Phocenses, Locri, Dolopes, Aenianes s. Oetaei [5]), Achaei Phthiotae [6]), Malienses, Magnetes, Perrhaebi, Thessali, Boeoti, Dorienses, Iones. Atque Iones quidem non ante adiuncti videntur, quam coloni e Thessalia vicinisque Parnaso regionibus Pythii Apollinis sacra cum hac gente communicassent [7]). Thessalos amphictyoniae tum demum participes factos credo, quum e Thesprotia Pindum supergressi sedes in Thessalia cepissent [8]). Reliqui omnes antiquitus ad utramque Oe-

---

3) Strab. IX, 3 p. 420. Schol. Eurip. Orest. v. 1087. Cf. de Acrisii Argivi in Thessaliam fuga Apollod. II, 4, 4, 2. add. Hellanic. ap. schol. Apollon. I, 40. Mueller. Dor. I p. 25, et eiusdem coniecturas p. 261, quaeque non improbabiliter Wachsmuth. coniicit I, p. 118.

4) Horum indicem ex Aeschin. d. f. leg. p. 285, Pausan. X, 8, 2, Harpocr. s. v. concinnavit Tittmann. p. 33—46

5) Oetaeos solus Aeschines nominat, omissis Aenianibus, quos ceteri commemorant, unde Tittmann. p. 41 recte coniecit, eandem utroque nomine gentem designari. Sed tenendum est tamen non omnes Oetaeos Aenianes, non magis quam Aenianes omnes Oetaeos fuisse. Vid. e. c. Xenoph. Hellen. III, 5, 6. or. in Neaer. p. 1379. Diodor. XVIII, 4. et de Aenianibus add. Strab. I, 3 p. 61. IX, 5 p. 442. cf. 4 p. 450. et p. 427 ibiq. Groskurd. Cf. Mueller. Dor. I p. 44, qui nescio quo iure quattuordecim Oetaeorum pagos Aenianibus tribuat.

6) Achaeos Peloponnesios non participes fuisse vel hoc ipsum probabile facit, quod semper aut Φθιῶται tantum aut Ἀχαιοὶ Φθιῶται commemorantur, Cf. Tittmann. p. 42.

7) Cf. supr. P. I §. 5. et P. V §. 2, 6—8. Fuerunt quoque qui ipsum Amphictyonem Deucalionis filium in Atticam venisse dicerent, ut Apollodor. I, 7, 7; alii, qui Deucalionem, ut Marm. Par. v. 6. 7. Pausan. I, 18, 8, quibus fabulis mihi quidem eadem de colonis e Thessalia in Atticam profectis memoria subesse videtur, quae notiori de Xutho h. e. Apolline fabulae subest. Boeckhius tamen Corp. Inscr. II p. 312 Atticum Amphictyonem potius ad Calauriam amphictyoniam spectare iudicat, de qua supra dictum est §. 11, 5.

8) Cf. supr. P. II §. 6 p. 48 et quae infra §. 19, 1 dicentur. Non erat autem, opinor, quod Clinton. Fast. Hellen. part. I p. 66 foedus Amphictyonum ante Thessalorum adventum omnino nullum fuisse statueret. Hermannus Ant. Gr. §. 12, 4 suspicatur olim Dryopes amphictyoniae participes fuisse, id quod parum probabile videbitur, si quis veterum de Dryopibus narrationes apud

taei montis partem, supra eum per Thessaliam, infra usque ad sinum Crissaeum, non admodum disiunctis regionibus incoluerunt, donec Boeoti a Thessalis expulsi Boeotiam, Dorienses autem Peloponnesum ac deinde aliquot Aegaei maris insulas et Asiae partem occuparunt. Quae autem causa hos duodecim populos ad societatem ineundam communemque Delphici s. Pythii Apollinis cultum permoverit, etiamsi coniectura fortasse haud improbabilis proferri possit [9]), compertum tamen sibi nemo dixerit. Ceterum aliquando, Ol. CVIII 3, Phocenses et e Doriensibus Lacedaemonii amphictyonia exclusi locusque Phocensium Macedonibus datus est [10]): mox tamen utrique rursus excepti [11]).

§. XIII.

Communia Amphictyonibus sacra erant Pythii Apollinis et Cereris Amphictyonidis, quorum ille Delphis, haec Anthelae, Maliensium vico prope Thermopylas [1]), templum habebat. Utroque loco binos quotannis conventus Amphictyones age-

Muellerum, ab ipso Herm. laudatum, Dor. I p. 41 et 257 contulerit.

9) Conf. Tittmann. p. 111—118. Mueller. Dor. I p. 261. Wachsmuth. I, p. 117. 118. Ceterum nequaquam omnes Graecos in amphictyonibus fuisse manifestum est, et parum accurate horum conventus nonnunquam commune Graecorum concilium vocari. Tittm. p. 55—65. Huellmannus, qui nuperrime de oraculo Delphico nonnulla suo more commentatus est, (Würdigung des Delphischen Orakels. Bonn. 1837. 8.) Hellenum nomen ab initio non gentis sed foederis fuisse autumat, ut omnes, qui Amphictyoniae participes fuerint, Hellenes, qui non participes, Pelasgi dicti sint.

10) Diodor. XVI, 60. Pausan. X, 8, 2.

11) De Phocensibus vid. Pausan. l. l., de Lacedaemoniis dubitari non potest propter Iustin. XXIV, 1.

1) Herodot. VII, 200, ubi etiam Amphictyonis herois templum Anthelae commemoratur. Templi Cereris conditor Acrisius perhibetur a Callimacho epigr. 41, 1. 2. Cf. et Tittm. p. 101.

bant[2]), communia sacra procurabant[3]), Delphici imprimis templi curam gerebant[4]), iura eius et sanctitatem custodiebant, et si quid contra haec commissum erat, communi consilio persequebantur[5]). Huc accedebat inde ab Olymp. XLVIII, 3 ludorum Pythiorum procuratio, de quibus supra dictum est[6]). Praeterea autem amphictyonibus etiam aliqua iuris gentium custodia mandata erat inter amphictyonicos populos observandi, certisque legibus amphictyonicis descripti[7]), ac proin iuris dictionem quoque habebant,

---

2) Vid. infra §. 14, 3. 4.

3) Memorabilis est inscriptio marmoris Choiseuliani, Corp. Inscr. I no. 1688, in qua et iura quaedam amphictyonum et officia imprimis circa custodiam sacrorum agrorumque Apollinis, viarumque et pontium Delphos ducentium refectionem, porro induciarum Pythicarum curandorumque Pythiorum praecepta perscripta sunt. Discimus ex hac inscriptione et ex Aeschin. in Ctesiph. p. 512, non Apollinis solum aut Cereris et Amphictyonis, sed etiam Latonae, Dianae, Minervae *Προνοίας* (*Προναίας*, *Προνάας*, vid. Mueller. Anhang zu Aeschyl. Eumeniden. Gotting. 1834. p. 14.) sacra ab amphictyonibus curata. In univers. cf. Tittmann. p. 99—111.

4) Conflagratum Apollinis templum ol. 58, 1 amphictyones restituendum curarunt. Herodot. II, 180. V, 62. Pausan. X, 5 extr. Cf. Tittm. p. 106. Boeckh. ad Pind. Pyth. VII p. 301.

5) Vid. ius iurandum amphictyonum apud Aeschin. de f. leg. p. 284: *καὶ ἐάν τις ἢ συλᾷ τὰ τοῦ θεοῦ ἢ συνειδῇ τι ἢ βουλεύσῃ τι κατὰ τῶν ἐν τῷ ἱερῷ, τιμωρήσειν καὶ ποδὶ καὶ χειρὶ καὶ φωνῇ καὶ πάσῃ δυνάμει.* Huc pertinent bella quae dicuntur sacra, contra Crissaeos, propter occupatos templi agros et vectigalia contra leges amphictyonicas ab iis, qui Delphos proficiscebantur, exacta, circ. Ol. 47. (vid. Aeschin. in Ctesiph. p. 498 sqq. Strab. IX, 3 p. 418. 419. Plutarch. Solon. c. 11. Pausan. X, 37, 4 et all. ap. Tittm. p. 105.) contra Phocenses, propter occupatos agros ipsumque templum, ol. 105, 4 sqq. (Diodor. XVI, 14. 24—64. Pausan. X, 2, 2 sqq. 3, 1. Tittm. p. 107 et 198 sqq.) contra Amphissaeos propter eandem atque olim contra Crissaeos causam, ol. 110, 1. (Aeschin. ctr. Ctesiph. p. 504 sqq. Demosth. de coron. p. 274 sqq. Strab. IX, 3 p. 419 et Clinton. F. H. p. 301—309) denique contra Aetolos. Iustin. XXIV, 1. cf. Lucas, über Polybius Darstellung des Aetolischen Bundes, p. 68.

6) Vid. §. 8, 3.

7) *Νόμοι ἀμφικτυονικοί.* Dionys. Ant. Rom. IV, 25. Cf. Polyb. IV, 25, 8. Unam praecipue cognoscimus ex iure iurando ap. Aeschin. de f. leg. p. 284: *μηδεμίαν πόλιν τῶν ἀμφικτυονίδων ἀνάστα-*

si qua inter populos controversia [8]) aut delictum alicuius contra ius gentium commissum ad cognitionem eorum delatum esset [9]), poenamque adversus noxios bello exsequendam, si opus esset, decernebant [10]). Verum tam imparibus inter se singularum civitatum viribus, quum aliae opibus et imperio late dominarentur, aliae infirmae angustisque finibus inclusae vix se ipsae satis tuerentur, aliae denique alienae dominationi subiectae essent [11]), non mirum est plerumque iudicium amphictyonicum a potentioribus comtemptum, nec nisi ab iis observatum esse, qui cogi facile possent. Neque igitur in maiorum civitatum discordiis bellisque, velut Spartanorum et Atheniensium, ullum est interpositae Amphictyonum auctoritatis vestigium [12]): et aliae quoque controversias suas non fere ad hos sed ad aliquos ex compromisso arbitros deferebant [13]).

§. XIV.

Huius tam exiguae auctoritatis quum aliae

τον ποιήσειν μήδ' ὑδάτων ναματιαίων εἶρξαι μήτ' ἐν πολέμῳ μήτ' ἐν εἰρήνῃ. ἐὰν δέ τις ταῦτα παραβῇ, στρατεύσειν ἐπὶ τοῦτον καὶ τὰς πόλεις ἀναστήσειν.

8) *Δίκαι ἀμφικτυνικαὶ ὅσαι πόλεσι πρὸς πόλεις εἰσίν.* Strab. IX, 3 p. 420. Hinc amphictyones *οἱ ἐκ πολλῶν πόλεων αἱρετοὶ δικασταὶ* dicuntur apud Timae. Lex. Plat. s. v. Exempla vid. ap. Plutarch. Cimon. c. 8. Diodor. XVI, 23. or. in Neaer. p. 1378. Dubia videntur quae Cicero de invent. II, 23 et Qintilian. Institt. or. V, 10, 111 commemorant; Demosthenis autem locum de coron. p. 272 alio pertinere Boeckhius docet de oec. r. p. A. I p. 441.

9) Plutarch. Quaestt. Graec. c. 59. Sed etiam praemia et honores viris bene meritis nonnunquam ab amphictyonibus decernebantur. Vid. Tittmann. p. 126 sq.

10) Vid. Aeschin. in Ctesiph. p. 500. 519. Cf. *Δόγμα* amphictyonum ap. Demosth. de coron. p. 279, ac de poenis ab amphictyonibus decerni solitis vid. impr. Corp. Inscr. no. 1688.

11) E. c. Iones Atheniensibus, Magnetes, Perrhaebi, Achaei Phthiotae Thessalis.

12) Cf. Tittmann. p. 146 sqq. *Τὴν ἐν Δελφοῖς σκιὰν* non iniuria Demosthenes dicit, de pace p. 63 extr.

13) Vid. supr. c. 1 §. 2, 3—5.

causae fuerunt, tum una praecipue in ipsa concilii compositione suffragiorumque ferendorum ratione posita, quum tantundem iuris minima quaeque et alieno imperio subiecta civitas cum maximis et potentissimis haberet, quarum singulae propemodum plus valerent, quam reliquae universae, neque ut obtemperarent harum decretis cogi facile possent. Bina enim singuli populi suffragia ferebant, ideoque, quum plures essent unius populi civitates, ex his binarum quoque tempore legati conciliis intererant, e. c. ex Doriensibus Cytiniorum et Spartanorum, ex Ionibus Atheniensium et Erythraeorum aut Prienensium [1]): nec dubitari potest quin mittendorum legatorum ius inter unius populi civitates certo quodam ordine partitum fuerit [2]). Conventus quotannis bini erant, vernus et auctumnalis [3]): utrique semper et Pylis s. Thermopylis et Delphis habiti videntur [4]). Legati hieromnemones dicti, iisque adiuncti pylagorae [5]). Illi singuli e singulis civitatibus, hi plures missi [6]).

1) Aeschin. de f. leg. p. 285. 286.

2) Ex Aeschine in Ctesiph. p. 504. 506—517 apparet ab Atheniensibus legatos ad plures deinceps conventus missos esse, non unius sed duorum certe annorum. Fuitne igitur hoc praecipuum ius maioribus civitatibus datum, ut hae semper, ceterae autem annuis vicibus suffragium haberent? Cf. etiam Tittmann. p. 74. 75 et Huellmann, Würdigung des Delph. Orakels, p. 54, qui tamen perverse loquitur.

3) Strab. IX, 3 p. 420.

4) Tittmann. p. 80 vernum conventum Delphis, auctumnalem Thermopylis habitum statuit. Sed etiam auctumnales Delphis habitos esse Boeckhius ad Corp. Inscr. I p. 808 probabile facit, nobisque Heerenius verum vidisse videtur, (Ideen üb. Polit. etc. III, 1 p. 201 ed. 1812.) qui legatos semper primum Pylis convenisse ibique peractis quibusdam sacris Delphos se contulisse coniicit. Cf. Strab. IX, 3 p. 420. Hinc etiam *Πυλαιῶν* nomen omnibus conventibus haesit, ut *πυλαγορῶν* legatis. Tittmann. p. 78. 79.

5) De duabus huius nominis formis, *πυλαγόραι* et *πυλαγόροι*, vid. Wesseling. ad Herod. VII, 214. Bremi ad Aeschin. tom. II p. 93.

6) Athenis certe singulos hieromnemones, ternos pylagoras videmus apud Aeschin. in Ctesiph. p. 506; illos sorte captos (Aristoph. Nubb. v. 619.), hos suffragiis creatos. Non perpetuam au-

Consessibus utrique intererant, consiliorum pariter participes; suffragia autem civitatum nomine non nisi ab hieromnemonibus lata [7]), quorum unus consessibus moderator praeerat [8]). Ecclesiae quoque commemorantur, si quando universa multitudo eorum, qui ex amphictyonicis civitatibus forte Delphis aderant, ab hieromnemonibus convocaretur, sive deliberandi consultandique causa, sive ut acciperent tantummodo concilii decreta, eaque, si res ferret, exequi statim iuberentur [9]). Et magnum semper hominum numerum illorum conventuum tempore Delphos confluere solitum satis constat [10]). Permansit autem Amphictyonum concilium etiam post oppressam a Romanis Graeciae libertatem [11]). Quamquam enim a L. Mummio et hoc et si quod aliud simile erat Graecorum concilium sublatum est, restituta tamen paullatim omnia [12]). Et Amphictyonum quidem conventus ab Augusto aliter ordinatos esse comperimus, ut

tem hieromnemonibus dignitatem fuisse, contra Tittmannum p. 88 monui in Proc. Att. p. 129. Cf. Suevern. in Comm. Acad. Berolin. ann. 1824 p. 3.

7) Id apparet ex Aeschinis narratione p. 506 sqq. impr. p. 515 extr. cf. Demosth. de coron. p. 277, quorum locorum, quum distinctam hieromnemonum et pylagorarum mentionem habeant, maior haud dubie auctoritas esse debet, quam eorum qui pylagoras latiore sensu dicunt de legatis amphictyonicis, ut hieromnemones quoque comprehendant; quales sunt Herodot. VII, 213. 214. Plutarch. Themist. c. 20. Cf. Tittmann. p. 83—88.

8) Tittm. p. 87. — Ceterum in decretis amphictyonicis apud Demosth. de coron. p. 278. 279 praescriptum est: *ἔδοξε τοῖς πυλαγόραις καὶ τοις συνέδροις τῶν ἀμφικτυόνων*, ex qua formula colligi potest, pylagoras, licet consiliorum participes, non tamen proprie *συνέδρους* fuisse In inscriptione Corp. Inscr. no. 1689 b. hanc formulam invenimus: *ἔδοξε τοῖς ἱερομνήμοσι καὶ τοῖς ἀγορατροῖς*, h. e. haud dubie *τοῖς πυλαγόραις*. No. 1688 soli *ἱερομνήμονες* nominantur. *Γραμματεὺς* concilii commemoratur no. 1689 b.

9) Aeschin. in Ctesiph. p. 515. Cf. Tittmann. p. 88 sqq. Dissen. ad Dem. or. de cor. p. 326.

10) Hinc *πυλαία* de magna multitudine dicitur. Tittm. p. 91.

11) Antea aliquamdiu Aetoli, Delphis potiti, amphictyoniam sibi solis adrogaverant, quo pertinet Plutarch. Demetr. c. 40. Polyb. IV, 25. Iustin. XXIV, 1. Cf. Boeckh. Corp. Inscr. I p. 824.

12) Huc spectat Strab. IX, 3 p. 420.

legati convenirent triginta universi, quorum alios civitates, alios populi, partim singulos partim binos mitterent [13]).

---

4. De oraculo Delphico.

§. XV.

Non praetermittenda est hoc loco oraculi Delphici commemoratio quum propter arctissimam quae cum amphictyonum concilio ei intercedebat necessitudinem, tum propterea quod maxima eius apud omnes Graecos [1]) veneratio fuit neque exigua vel ad iura legesque civitatum sanciendas vel ad moderanda rerum gerendarum consilia auctoritas. Nam quamvis multa essent in omnibus Graeciae partibus oracula [2]), ex quibus non pauca admodum sancta et religiosa, longe tamen omnibus Delphici illius gloria et existimatio antecellebat. Origo eius fabulosa et certe vetustissima [3]).

---

13) Pausan. X, 8, 3. Bina suffragia tributa sunt Macedonum, Thessalorum, Boeotorum, Phocensium, Locrensium populis, Nicopolitanorum et Delphorum civitatibus, singula autem civitati Atheniensium, populis Doriensibus in Doride et Euboeensibus. Reliquorum mentionem Pausanias omisit. Ceterum ad res amphictyonicas pertinent etiam inscr. no. 1711, sub Domitiano scripta, et Philostrati locus vitt. sophist. II, 27 de Septimii Severi tempore loquens.

1) Etiam a barbaris non raro Delphicum oraculum consulebatur, velut a Lydis, Herodot. I, 14. 19. 46. 50 sqq. 85., ab Etruscis, imprimis ab Agyllensibus, quorum etiam thesaurus Delphis fuit, Herodot. I, 167. Strab. V, 2 p. 220., a Romanis, Liv. I, 56. V, 15. 16. XXII, 57. XXIII, 11. Honores Croeso Lydisque a Delphis habitos Herodotus commemorat I, 54, quos cur his tantopere vitio verterint Wachsmuth. I, 1 p. 111 aliique, non satis intelligo.

2) Conf. Wachsmuth. II, 2 p. 260—268. Scriptoribus ab hoc p. 260 laudatis add. Dan. Clasen, de oraculis gentilium. Helmstad. 1673. 4.

3) Veterum fabulas collegerunt imprimis C. F. Wilster, de religione et oraculo Apollinis Delphici (Havniae 1827. 8.) p. 19 sqq. et L. Zander, in Ersch. et Gruber. Encyclop. artt. et litt. sect. I tom. 23 p. 403 sqq.

Neque enim dubitari posse videtur, quin iam ante Hellenicae gentis ex Thessalia migrationem oraculum quoddam in Parnaso fuerit accolarum religione celebratum, ac postea demum ab Hellenibus, imprimisque Doriensibus[4]), Apollini suo[5]) consecratum. Instituto dein amphictyonum concilio Delphicique s. Pythii Apollinis religione communiter ab omnibus suscepta etiam oraculi venerationem et auctoritatem crescere necesse erat[6]), tanto magis, quanto latius amphictyonici populi, occupatis sedibus longinquioribus et colonis quoque trans mare missis, diffundebantur. Atque sicut Doriensium in Peloponnensum migratio non sine Delphici oraculi auctoritate instituta esse dicitur[7]), ita posteris quoque temporibus nullae fa-

---

4) Cf. Mueller. Dor. I p. 206 — 212, qui etiam Delphorum principes, ex quibus quinque sacerdotes, ὅσιοι, sumebantur, Dorienses fuisse suspicatur. Hüllmannus, Würdigung des Delph. Orak. p. 6, hos e Thracidis fuisse credit, de quibus vid. supr. P. I. §. 2. n. 11. p. 39. Ceterum civitas Delphorum libera et sui iuris erat (αὐτόνομος, αὐτοτελὴς καὶ αὐτόδικος. Thucyd. V, 18), olim sub regibus (Plutarch. quaestt. Gr. c. 12.), postea sub nobilibus, ex quibus et sacerdotes et magistratus, πρυτάνεις (Pausan. X, 2, 2.) ἄρχοντες (Corp. Inscr. I no. 1691 — 1695. 1699 — 1710.) et senatores (ib. 1691. 1692. 1695. 1699 — 1701. 1704 — 1707. 1709. 10.) creati. Cf. Mueller. p. 182. Rustica plebs pleraque ex ἱεροδούλοις constabat. Vid. Zander. l. l. p. 405. 406. Templi possessionem et ius Delphi habebant, sub tutela amphictyonum, controversum tamen illud nonnunquam inter Delphos ceterosque Phocenses, a quibus illi mature seiuncti etiam nominis communionem respuebant (Pausan. IV, 34, 6.) Ex hac controversia bellum sacrum quod dicitur secundum exarsit. Thuc. 1, 112. Plutarch. Pericl. c. 21. Siebelis ad Philoch. Fr. p. 50. In amphictyonicis tamen populis Delphi seiuncti a Phocensibus non erant ante Augustum. Tittm. p. 43. Extant senatus Delphici decreta, quae ostendunt, προμαντείαν ab eo dari solitam (C. J. no. 1691. 1692.) neque dubitari potest quin omnino multa quae ad oraculum pertinerent, a senatu ordinata sint. Cf. Hüllmann. p. 15. Una inscriptio, post Ol. 125, 3, ἀγορὰν ostendit, προμαντείαν aliaque iura decernentem.

5) De Pythio Apolline Doriensium ἀρχαγέτᾳ vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Apoll. v. 55. Boeckh. explic. Pind. p. 288. Müller. Aegin. p. 150 et Dor. passim. — Idem etiam Ionum πατρῷος. Cf. P. 4. §. II. et P. V §. 2, 8.

6) Cf. Strab. IX, 3 p. 419. 420. Zander. l. l. p. 405.

7) Apollodor. II, 8, 2 sqq. Cf. Mueller. Dor. I p. 57 sq.

cile coloniae neque ab his neque ab aliis inconsulto Apolline missae [8]), multae etiam eius monitu atque instinctu deductae sunt [9]). Praeter ceteros autem semper Dorienses, inque his maxime Spartani, oraculi auctoritatem observabant. Nam et regii imperii inter binos Heraclidas divisionem [10]), et omnem Lycurgi legum descriptionem Apollo commendavit [11]): neque bellum facile a Spartanis susceptum aut aliquid in re publica novatum, denique nihil omnino maioris negotii gestum est, nisi quod oraculum probasset [12]); quid? quod ipsis quoque regibus identidem imperium ex oraculi responso aut abrogatum aut confirmatum legimus [13]). Atque hanc ob causam etiam Pythios habuerunt a regibus constitutos ad consulendum quoties opus foret oraculum, responsaque eius referenda et custodienda [14]).

§. XVI.

De aliis Doriensium civitatibus non quidem tam multa eiusmodi diserte tradita sunt; neque tamen propterea de magna etiam apud hos oraculi auctoritate dubitare licet [1]). Minor aliquanto apud Jones fuit: nam exegetae Atheniensium

8) Cf. in univ. Cicero de divin. I, 1. De singulis vid Huellmann. de Apolline civitatum conditore. Regiomont. 1811. 4.

9) Cf. Mueller. I p. 257 sqq.

10) Herodot. VI, 52. Pausan. III, 1, 5.

11) Herodot. I, 65. Plutarch. Lycurg. c. 5. 6. 13. 29. 31. Plat. Legg. 1, in. Strab. X, 4 p. 482. Cf. supr. P. IV, 1 §. 8, 5.

12) Diodor. XVI, 57. Cf. exempla apud Wilster. p. 44 et 78 sqq.

13) Plutarch. Agid. c. 11. et supr. P. IV, 1 §. 11, 2.

14) Vid. P. IV, 1 §. 13, 1.

1) In nonnullis Doriensium civitatibus, v. c. apud Aeginetas, Troezenios, Messenios, item apud Mantinenses et apud Thasios theori erant, magistratus sacerdotales, quasi quidam pontifices, quos commercia cum oraculo Delphico itidem ut Pythios Spartanorum exercuisse probabile est. Vid. Mueller. Aegin. p. 134 sq. Dor. II p. 18 coll. Dissen. explic. Pind. Nem. III p. 376.

num πυθόχρηστοι fuerint et cum Spartanorum Pythiis comparandi, iure dubites [2]. Sed tamen etiam Solonis leges non sine Delphici oraculi consilio latae dicuntur [3]), et ius illud, quo Athenienses in caedibus expiandis et persequendis utebantur, Delphis allatum esse Plato testatur [4]): quod ius quum ceteri quoque Graeci fere idem observarent [5]) et ex eodem haud dubie fonte petitum, non mediocriter oraculum de coercenda ultione privata conservandaque civitatum pace interna meritum esse apparet. In universum autem quamdiu prisca hominum pietas omnium rerum ac consiliorum Deos auctores et moderatores suspiciebat, Delphici potissimum oraculi auctoritas florebat [6]) plurimumque valebat ad mores hominum publicos privatosque salubriter regendos [7]) statumque civitatum legibus institutisque firmandum [8]); et quod gloriosissimum Graeci facinus

---

2) Est illa Muelleri coniectura, Dor. l. l.; sed Timaei locus, ad quem provocat, Lex. Plat. s. v. : *ἐξηγηταὶ τρεῖς γίνονται πυθόχρηστοι, οἷς μέλει καθαίρειν τοὺς ἐν ἄγει τινὶ ἐνσχεθέντας, καὶ οἱ ἐξηγούμενοι τὰ πάτρια.* in aliorum scriptorum silentio me quidem vix permovet, ut πυθοχρήστους Atheniensium exegetas fuisse credam, quum facile Platonis locus Legg. VI p. 759 errorem grammatico obiicere potuerit.

3) Plutarch. Solon. c. 14.

4) Plat. Legg. IX p. 865. Cf. Mueller. Dor. I p. 245 coll. 211 et 332, II p. 226. 227 et ad Aesch. Eum. p. 163.

5) Hoc colligi potest ex Isocratis gloriatione, Panegyr. c. 10: *οἱ γὰρ ἐν ἀρχῇ περὶ τῶν φονικῶν ἐγκαλέσαντες καὶ βουληθέντες μετὰ λόγου καὶ μὴ μετὰ βίας διαλύσασθαι τὰ πρὸς ἀλλήλους, ἐν τοῖς νόμοις τοῖς ἡμετέροις τὰς κρίσεις ἐποιήσαντο περὶ τούτων.*

6) Strab. XVII p. 813.

7) Cf. impr. Jacobs script. miscell. tom. III p. 355 — 360 et exempla ap. Wilster. p. 37—46 et alibi passim collecta. Vere is p. 55: »non est quod dubitemus, quin oraculum Delphicum multum fecerit ad mores Graecorum mitigandos, pectora sensu honesti, iusti verique imbuenda, humanitatem propagandam, artesque et litteras commendandas.«

8) Non praetermittendum est, Olympicorum ludorum et *ἐκεχειρίας* institutionem ad Delphici Apollinis oraculum referendam videri. Mueller. Dor. I p. 252.

coniunctis viribus perpetrarunt, bellum Persicum secundum, hoc quo maiore animo et fiducia susciperetur non mediocriter haud dubie oraculi responsa effecerunt[9]). Verum tamen ad coercenda aut reprimenda Graecorum inter ipsos bella parum omni tempore eius auctoritas valuit. Quamquam enim non plane desunt exempla, quae controversias civitatum oraculi responso nonnunquam diremptas esse doceant[10]), fiebat tamen hoc haud dubie rarissime, et aliquanto plura sunt contrarii generis, quae non dehortatum ab eiusmodi bellis oraculum esse demonstrent[11]). Posteaquam autem, maxime inde a bello Peloponnesiaco, omnis Graecia in duas quasi factiones maxime inter se infensas discerpta est, his inter se conciliandis non modo nihil profuit oraculum, sed favebat etiam haud ambigue Spartanorum partibus[12]), unde non mirum auctoritatem eius apud adversarios magnopere imminutam esse. Atque hoc magis etiam et apud omnes fieri necesse erat, posteaquam antiqua pietas et divini numinis veneratio in hominum animis vigere desiit, et ipsi quoque sacerdotes Delphici non immunes se communis corruptelae contagione praestiterunt. Nam olim quidem, quidquid demum de vera oraculorum natura atque origine statuamus, hoc certe dubitari non potest, quin sacerdotes illi non fraude et imposturis, sed sanctitate, sapientia, pietate

---

9) Cf. Herodot. VIII, 140—143. 220. VIII, 36—39. Plutarch. Aristid. c. 11. — Etiam Jovis Eleutherii solemnia, de quibus supra c. 2 §. 10, 2 diximus, oraculi auctoritate instituta sunt. Plut. l. l. c. 20.

10) Cf. supr. c. 1 §. 2, 7.

11) Vid. Wachsmuth. I, 1 p. 112 not. 74. Melius Olympicum Jovis oraculum, ubi *νόμινον* fuit *μὴ χρηστηριάζεσθαι τοὺς Ἕλληνας ἐφ᾽ Ἑλλήνων πολέμῳ*. Xenoph. Hellen. III, 2, 22.

12) Thucyd. I, 118. 123. Plutarch. de Pyth. orac. c. 19. Postea tamen intercessit oraculum, ne Athenae delerentur (Aelian. V. H. IV, 6.), quod non video quo iure ab Hüllmanno l. l. p. 2. 3. in dubium vocetur.

auctoritatem nacti sint, responsaque non callide confinxerint, sed instinctu quodam, quem licet sane errorem dicere, verum qui illis tamen divinus videbatur, tanquam ipsius dei monita ediderint[13]). Postea vero, quum aut gratia aut invidia aut metu aut etiam pretio corrupti respondere quod ipsis maxime placeret coepissent, contemni ac derideri oracula primum a prudentioribus, mox etiam a vulgo necesse erat[14]).

---

5. De foederibus populorum intra unius terrae fines habitantium.

§. XVIII.

Quum varia foederum genera Graecorum populi, prout quoque tempore aut utilitatis ratio aut necessitas iuberet, iungerent inter se iunctaque rursus dissolverent [1]), multae tamen per omnem Graeciam civitates erant, quibus vel stirpis communio vel sedium vicinitas finesque communes arctiorem inter ipsas et diuturniorem societatem effecerunt, ut, etiamsi suam quaeque rem publicam separatim habebant, de plurimis tamen rebus in commune consulerent, ideoque conventus quosdam celebrarent, in quibus et controversiae ipsarum legitime disceptarentur, et belli pacisque adversus exteros consilia caperentur [2]). Huiusmodi

---

13) De ambiguitate oraculorum vid. sanum Jacobsii iudicium l. l. p. 356. In univ. cf. Wilster. p. 55. Hüllmanno contra p. 77 haec ambiguitas manifestum fraudis indicium videtur, idemque p. 31 omnia oracula nihil nisi senatus Delphici responsa fuisse existimat.

14) Huc pertinet e. c. Demosthenis dictum de Pythia *φιλιππιζούσῃ*. Plutarch. Demosth. c. 20.

1) Notandum h. l. *συμμαχίας* et *ἐπιμαχίας* discrimen, de quo cf. Ammon. s. v. *συμμαχεῖν* ibiq. Valcken. et intt. ad Thucyd. I, 44 ap. Poppon. p. III tom. 1 p. 299 — 301; et de suspecta voce *ἐπισυμμαχία* Schaefer. appar. crit. ad Demosth. 1 p. 676 sq.

2) Vid. in univ. Sainte-Croix, des anciens gouvernemens fé-

societates saepenumero non tam certis pactionibus initae, quam ipsa natura et tacito consensu conciliatae videntur, inter eas maxime civitates, quae uni olim regi subiectae etiam post abolitum regum imperium veteris coniunctionis memoriam et consuetudinem retinuerant. Accedebat apud plerasque etiam sacrorum communio, quae quum statis temporibus omnes in unum congregaret, consiliis quoque communicandis opportunitatem et impulsum dabat. Quamquam parum plerumque firmae erant haec societatis vincula, nisi si una aliqua civitas ceteris maior et potentior desciscere minores a communibus consiliis prohiberet: nam paribus omnium viribus ac iure facile accidebat, ut suum quaeque commodum rei communi anteponeret, bellique ac pacis rationes a ceteris seiunctas haberet. Ceterum de plerisque harum societatum nihil fere memoriae proditum est, ut nec quales fuerint nec quam late patuerint appareat; quin nonnullarum, quas fuisse vix dubites, nusquam tamen diserte mentio a scriptoribus facta est. Aetolos v. c., uni olim omnes regi subiectos [3]), postea quoque, quamvis barbaris non paucis admistis [4]), belli Peloponnesiaci tempore in unum coniunctos videmus [5]); neque tamen commune Aetolorum commemoratur ante Alexandri Macedonis aetatem [6]). Acarnanes commune iudicium Olpis habuisse legimus [7]); sed omnibusne hoc an paucioribus tantum commune, et qualis omnino aut quam diuturna ista commu-

---

deratifs (Paris. 1804.) impr. p. 162 sqq. Tittmann. Griech. Staatsverf. p. 667—751. Wachsmuth. de iur. gent. p. 68—71. Antiqu. Gr. I, 1 p. 113—116 et 125—132.

3) Hom. Iliad. II, 638. XIII, 217.

4) Cf. supra P. II §. 6.

5) Thucyd. III, 94. 96.

6) *Τὸ κοινὸν τῶν Αἰτωλῶν.* Diodor. XIX, 66.

7) Thucyd. III, 105.

nio fuerit, non liquet: bello autem Peloponnesiaco maiorem tantummodo Acarnanum partem, non omnes, Atheniensibus se adiungere videmus [8]). Locrensium Ozolarum civitates, quas omnes liberas suique iuris fuisse satis apparet [9]), foedusne aliquod et societatem inter se habuerint neque affirmare nec negare ausim [10]). Opuntii contra et Epicnemidii non modo foederati sed in unius civitatis corpus coniuncti fuisse videntur, donec Epicnemidii ab Opuntiis seiungebantur [11]). Item Doriensium ad Parnasum tres aut quattuor civitates arctissime haud dubie inter se coniunctae erant [12]). Phocensium duarum et viginti civitatum [13]) commune concilium fuit [14]) et perpetua, ut videtur, societas [15]), nisi quod Delphi a ceteris mature desciverunt [16]). De Thessaliae populis minoribus disserere nihil attinet, quum praesertim plerique horum non sui iuris sed Thessalorum imperiis obnoxii essent.

---

8) Thucyd. II, 6. 102. *Τὸ κοινὸν τῶν Ἀκαρνάνων* commemoratur a Xenoph. Hell. IV, 6, 4, et *ἡ κοινὴ ἐκκλησία* post Alexandri tempora a Diodor. XIX, 67. Cf. Polyb. IX, 32, 3 et al. pass. Tittm. p. 728. a quo quae commemoratur inscriptio extat nunc in Corp. Inscr. II no. 1793. Est ea incertae aetatis, sed post Ol. 140 scripta. Commemorat *τὰν βουλὰν καὶ τὸ κοινὸν τῶν Ἀκαρνάνων, γραμματέα τᾶς βουλᾶς, στραταγόν* (cf. Liv. XXXIII, 16.), praeterea *ἱεραπόλον* Apollinis Actiaci, *προμνάμονα* duosque *συμπρομνάμονας*. Et Actiaci quidem Apollinis sacra Strabo VII, 7 p. 325 iam olim ab accolis celebrata testatur, instaurata deinde et amplificata ab Augusto. — De Acarnanibus Aetolico foederi adiunctis vid. infr. c. 8 §. 34, 5.

9) Thucyd. III, 101.

10) Notandum tamen quod Strabo IX, 3 p. 416 *δημοσίαν σφραγῖδα* Ozolis tamquam coniunctis tribuit, in qua habuerint *τὸν ἕσπερον ἀστέρα ἐγκεχαραγμένον*.

11) Tittmann. p. 711. 712. Cf. Schol. Pind. Olymp. XI, 13. Steph. Byz. s. v. *Ὀζόλαι*.

12) Thucyd. I, 107.

13) Demosth. de f. leg. p. 379.

14) Strab. IX, 3 p. 423 extr. Cf. Pausan. VII, 16, 6. X, 5, 1.

15) Cf. Wachsmuth. I p. 126, 5.

16) Vid. supr. c. 4. §. 15, 4.

§. XIX.

Ipsi autem Thessali, posteaquam e Thesprotia profecti primum Thessaliotin deinde reliquae terrae meliorem partem occupaverant, priscos harum regionum incolas in servitutem redegerunt non absimilem Helotarum condicioni [1]), reliquos populos circum habitantes, Perrhaebos, Magnetes, Achaeos Phthiotas aliosque fortasse plures [2]) obedire sibi et tributa pendere coegerunt, ipsi autem foedere facto providerunt quo facilius coniunctis viribus et continere subiectos in obsequio et externos hostes propulsare possent [3]). Ex hoc foedere, si res posceret, unum sibi ex nobilitate imperatorem praeficiebant *Ταγοῦ* nomine [4]), qui mi-

1) Hi *πενέσται* dicti, de quorum condicione cf. qu. laudav. P. III §. 4. p. 80.

2) *Ὑπήκοοι Θεσσαλῶν* Perrhaebi a Thucydide vocantur IV, 78, Magnetes II, 101, Achaei Phthiotae VIII, 3, ubi quum addat *καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ταύτῃ Θεσσαλῶν ὑπηκόους*, plures etiam alios in ista regione subiectos Thessalis fuisse apparet. Sunt autem ibi Malienses, Oetaei, Aenianes, Dolopes, qui si subiecti illis erant, satis tamen libertatis retinuisse videntur. Cf. Thucyd. III, 92. 93. Diodor. XII, 77. XIV, 82. or. in Neaer. p. 1379. Xenoph. Hellen. III, 5, 6. Perrhaebos, Magnetes, Achaeos ut Thessalis subiectos coniungit etiam Aristoteles Polit. II, 6, 3.

3) Strabonis verba IX, 4 p. 429: *μέγιστον καὶ παλαιότατον τὸ τῶν Θεσσαλῶν σύστημα*, incertum est num de foedere accipienda sint. Primum huius vestigium, quod quidem certum sit, extat in Aristotelis narratione (ap. Harpocr. s. v. *τετραρχία.*) de Aleua, qui universam Thessaliam in quattuor partes diviserit. Cf. et schol. Vatic. ad Rhesum v. 307. Hunc Aleuam, cognomine Rufum (*πύῤῥον*), Boeckhius ad Pind. Pyth. X, 1 recte statuit Simi filium esse, Simonidis poetae aequalem, dissentiente licet Buttmanno, diss. de Aleuadis in Comm. Acad. Berol. ann. 1823 p. 176 sqq. Mythol. II p. 273 sqq. Hic Aleuas *αὐτός τε πολὺ πάντων ἐπρώτευσε τῶν πρὸ αὐτοῦ καὶ τὸ ἔθνος εἰς δόξαν προήγαγε μεγάλην καὶ δύναμιν.* Plut. de frat. amor. c. 21. De quattuor illis partibus, Hestiaeotide, Thessaliotide, Pelasgiotide, Phthiotide, quas Fr. Horn (de Thessalia Maced. imp. subiecta. Gryph. 1829. 8.) fabulosae geographiae assignandas censet, verum vidit Buttmann. l. l. p. 197 et Mueller, zur Karte vom nördlichen Griechenland, p. 4.

4) Dionys. Ant. Rom. V, 74 non inepte *Ταγὸν* cum dictatore comparat. Ceterum nonnullis in urbibus etiam ordinarii magistratus *ταγοὶ* dicti videntur. Extat certe T. Flaminini epistola *Κυρετιέων τοῖς ταγοῖς καὶ τῇ πόλει*, Corp. Inscr. no. 1770.

lites singulis civitatibus indiceret, tributa subiectis imperaret, exercitus ductaret, communium consiliorum princeps esset [5]). Potestas eius regiae similis, non annua sed longioris temporis nec raro perpetua erat [6]). Ceterum singulae Thessalorum civitates rem publicam suam separatim suisque legibus administrabant [7]); neque tamen par omnium condicio, sed e minoribus plures passim paucis maioribus subiunctae fuisse videntur [8]). Forma rei publicae in omnibus oligarchica, summi ubique magistratus paucis nobilibus proprii ac fortasse hereditarii [9]), plebis ius exiguum, neque usquam aequa libertas parta, etiamsi vix aberant passim multitudinis contra nobilitatem se-

---

5) Vid. Xenoph. Hellen. VI, 1, 7. Ex eiusdem verbis §. 4, *πάντα τὰ κύκλῳ ἔθνη ὑπήκοά ἐστιν ὅταν ταγὸς ἐνθάδε καταστῇ*, et *πάντα τὰ κύκλῳ φόρον φέρει ὅταν ταγεύηται τὰ κατὰ Θετταλίαν*, apparet, si sine tago Thessalia esset, imperium in subiectos populos aliquanto laxius fuisse. Tributum iis a Scopa descriptum esse idem docet §. 7 extr.: *προεῖπε τοῖς περιοίκοις πᾶσι τὸν φόρον, ὥσπερ ἐπὶ Σκόπα τεταγμένος ἦν, φέρειν*. Scopam illum eundem Buttmannus censet cum eo, cuius Aelianus V. H. XII, 1 meminit, Cyri minoris aequali. Etiam militum numerum ex foedere definitum fuisse colligo e Xenoph. l. l. §. 4: *ὅταν ταγεύηται Θετταλία εἰς ἑξακισχιλίους μὲν οἱ ἱππεύοντες γίγνονται, ὁπλῖται δὲ πλείους ἢ μύριοι καθίστανται.*

6) E. c. Iason Pheraeus *ταγὸς* creatus est ol. 101, 2 aut 3 (cf. Clinton. ad h. a. c. not. Krueg.) retinuitque imperium usque ad mortem ol. 102, 3. Ceterum qui reges Thessalorum vocantur, Aleuan Rufum (Plut. de frat. am. c. 21.), Echecratidem (Thuc. I, 111.) Antiochum), Philostr. epist. 13 p. 920.) vero nomine *ταγοὺς* fuisse recte Buttmannus iudicat p. 205.

7) Cf. Arist. Polit. V, 5, 9. III, 1, 9. Ethic. Nic. V, 4, 7. Thuc. II, 22. Xenoph. Hellen. VI, 1, 2. Aristoteles, cuius *κοινὴν Θεσσαλῶν πολιτείαν* memorat Harpocr. s. v. *τετραρχία*, etiam de singularum civitatum rebus publicis exposuisse videtur. Cf. Schneider. ad Polit. p. 495.

8) Xenoph. Hellen. VI, 1, 4: *τῶν ἐξ ὑμῶν (τῶν Φαρσαλίων) ἠρτημένων πόλεων.* Etiam tributariae civitates non omnibus communiter, sed aliae aliis subiectae, ut v. c. Perrhaebi Larissaeis sec. Strabon. IX, 5 p. 440.

9) Hinc Thucyd. IV, 78: *δυναστείᾳ μᾶλλον ἢ ἰσονομίᾳ ἐχρῶντο τὸ ἐγχώριον οἱ Θεσσαλοί.* Medius Larissae *δυναστεύων* memoratur a Diodoro XIV, 82, et Herodotus adeo *βασιλῆας Θεσσαλίης* Aleudas dicit, quorum gens Larissae plurimum pollebat, VII, 6. Cf. Tittmann. p. 388 sqq. Kortuem. p. 76 sqq.

ditiones[10]), et qui post bellum Peloponnesiacum tyranni extiterunt[11]), plebis haud dubie viribus ad opprimendam nobilitatem usi sunt. Postea Philippus devictis tyrannis nonnullas Thessaliae urbes suae ditioni subiecit, omnes sibi obnoxias fecit[12]); permansitque Thessalia in hac quasi clientela Macedonum usque ad T. Flaminini victoriam[13]). Ab hoc libertatis nomen Thessalis redditum foedusque restitutum, sed ita, ut qui antea his subiecti fuerant, Perrhaebi, Magnetes, Dolopes, iam liberi suique iuris fierent, alii autem Aetolorum foederi attribuerentur[14]).

§. XX.

Paullo arctior Boeotorum coniunctio fuit[1]), nata haud dubie iam antiquissimis temporibus, quum Aeolenses Boeoti e Thessalia pulsi in Aoniam concesserunt[2]), occupataque mox universa terra priscos incolas, quotquot non expellebantur, in sui nominis ac gentis societatem receperunt[3]).

---

10) Aristot. V, 5, 5. III, 1, 9; et de Penestis sollicitatis Xenoph. Hellen. II, 3, 36. cf. Aristot. II, 6, 2.

11) De his, Iasone, Polydoro, Polyphrone, Alexandro, Tisiphono, Lycophrone vid. Diodor. XIV, 82. XV, 61. Xenoph. Hell. VI, 1. 4, 33—37. Plutarch. Pelop. c. 26—35.

12) Demosth. Olynth. II p. 20. 21. Philipp. II p. 71 III p. 117. Diodor. XVI, 14. Cf. Voemel. de Thessaliae incolis antiquiss. (Frcf. 1829. 4) p. 26 et Horn. de Thessalia Mac. imp. subi. c. 1.

13) Antea tamen Aetoli aliquot Thessaliae urbes sibi adiunxerant. Vid. infr. c. 8 §. 34, 4.

14) Polyb. XVIII. 29, 5. 30. 6. XXIII, 4, 2. XXIV, 1, 10. Liv. XXXIII, 32, 5. 34, 6. 7. XXXV, 31, 3. 39, 6. 43, 5. XXXIX, 25, 1. 6. 26, 10.

1) Sainte-Croix, des anc. gouv. feder. p. 211. G. A. Kluetz de foedere Boeotico. Berol. 1821. 8. Mueller. Orchom. p. 402 sqq. et in Ersch. et Grub. Encycl. tom. XI p. 271 sqq. Tittmann. p. 693—707. Kortuem. p. 83—89. Kruse, Hellas. II, 1 p. 542 sqq. Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 726 sq.

2) Vid. supr. P. II §. 6.

3) Cf. Strab. IX, 1 p. 401. Thucyd. III, 61.

Ita foedere quoque omnes alligati [4]), quamquam dispari singularum civitatum condicione. Nam minores multae maioribus subditae, communiumque consiliorum ipsae non participes nihil nisi imperata faciebant [5]). Liberae autem suique iuris initio quattuordecim fuisse videntur [6]), quarum tamen de octo tantum satis certo constat, Thebis, Haliarto, Coronea, Copis, Thespiis, Tanagra, Orchomeno, Plataeis [7]), e quibus Plataeae iam ante bellum Persicum primum a Boeotorum foedere desciverunt Atheniensibusque se adiunxerunt [8]). Aliae fortasse olim liberae foederisque participes postmodo alienae ditionis factae sunt [9]), ut numerus ille quattuordecim civitatum non permaneret. Et belli Peloponnesiaci quidem tempore non plus decem in foedere fuisse probabile est [10]). His et sacra communia erant in templo Minervae Itoniae inter Coroneam et Alalcomenas celebrata, quae

4) Thucyd. l. l.

5) Vid. Mueller. Orchom. p. 403.

6) Id. ibid. et p. 221. 221.

7) Septem priores Thucydides nominat IV, 93; de Plataeis vid. not. sq. De reliquis sex admodum variae sunt virorum doctorum coniecturae, quas singulatim referre nihil attinet. Recensuit eas et probabiliora ipse proposuit Boeckh. l. l. p. 727. 728.

8) Herodot. VI, 108. Permanserunt Plataeenses in Atheniensium societate usque ad initium belli Peloponnesiaci, quo tempore urbs eorum a Thebanis eversa. Thucyd. III, 68. Restituta post pacem Antalcidae, Pausan. IX, 1, 3; foederi tamen Boeotico haud dubie ne nunc quidem adiuncta.

9) Hoc de Acraephia, Thebanorum ditioni subiecta, Boeckh. coniicit p. 727 extr. Chaeroneam quoque, quae Thucydidis aetate Orchomeniorum fuit (Thuc. IV, 76.) olim liberam fuisse probabile est, quandoquidem separatim ab Orchomeno in urbibus Daedalorum festum celebrantibus (vid. not. 11.) numeratur a Pausania IX, 3, 4. Oropios et maturius etiam Eleutherenses Atheniensium factos esse vix opus est commemorare. Vid. Pausan. I, 38, 8. Mueller. Orchom. p. 411.

10) Id coniici potest e numero undecim boeotarchorum ap. Thucyd. IV, 91, quorum duo Thebani sunt, reliqui e singulis civitatibus singuli esse videntur; quamquam hoc certo demonstrari nequit. Undecim autem universos, non duodecim a Thucydide dici, quod nonnulli crediderunt, recte Boeckhius monuit p. 729.

Pamboeotia dicuntur [11]), et conventus legatorum in quattuor consilia sive senatus divisi [12]); cuius divisionis quae ratio fuerit in obscuro est. Magistratus foederis **Boeotarchi** erant, singuli, ut videtur, e singulis civitatibus [13]), nisi quod Thebani aliquando binos dabant [14]). Munus boeotarchorum annuum; poterat tamen et prorogari et saepius iisdem mandari [15]). Hi et de communibus negotiis ad quattuor illos senatus referebant, et militare imperium habebant [16]). Interna rerum publicarum administratio singulis civitatibus libera nec foederis legibus adstricta, similis tamen apud omnes forma imperii, oligarchia, plus minus procedente tempore plebis iure temperata [17]). Democratia primum Thebis extitit circa ol. LXXXI, 1, neque tamen diuturna fuit [18]). Belli Peloponnesiaci tempore et Thebis et in reliqua Boeotia factionibus certatum, sed praevalente optimatium potestate [19]). Post aliquamdiu passim dominationes erant paucorum aliquot hominum, qui Spartanorum praecipue opibus freti omnem rem pu-

---

11) Strab. IX, 2 p. 412. Pausan. IX, 34, 1. — Alia sacra Boeotis communia erant fortasse Posidonia apud Onchestum et Daedala apud Plataeas. Strab. l. l. Pausan. IX, 3, 3: nisi haec posterioribus demum temporibus communia facta sunt. Cf. Mueller. Orchom. p. 221.

12) Thucyd. V, 38.

13) Vid. not. 10.

14) Thucyd. II, 2. IV, 91.

15) Plutarch. Pelop. c. 24. Aelian. V. H. XIII, 42. Pausan. IX, 14, 2. 4. Prorogati et repetiti magistratus exempla sat multa sunt in Epaminondae et Pelopidae historia.

16) Thucyd. V, 38. IV, 91 et alii passim.

17) Cf. supr. P. III §. 6. p. 94. De Thebanorum legislatore Philolao Corinthio circ. ol. 13 vid. Mueller. Orchom. p. 405. Dor. II p. 200. et in univ. de Boeotorum rebus publicis, magistratibus, senatibus, concionibus, disciplina id. Orchom. p. 404—410. Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 729—731.

18) Aristot. Polit. V, 2, 6.

19) Thucyd. IV, 76. cf. V, 31.

blicam suo arbitratu tractabant[20]). His mox oppressis populare imperium et apud Thebanos et in plerisque aliis civitatibus stabilitum, paucorumque potestas, etiamsi non eodem apud omnes tempore sublata, nusquam tamen diu permansit[21]). Ceterum in foedere plerumque Thebani ceteris superiores erant principatumque iam inde ab initio tanquam iure sibi debitum[22]) usurpabant vario successu. Nam post bellum Persicum secundum aliquamdiu in ordinem coacti sunt[23]). Peloponnesiaco autem bello maxima erat eorum auctoritas, et bini ex ipsis boeotarchi, quorum alter summum totius exercitus imperium habuisse videtur[24]). Postea vero auctis magnopere viribus imperium in ceteros vehementius exercere coeperunt, adeo ut Antalcidae pace horum libertati cavendum nimiaeque Thebanorum potentiae obsistendum Spartani iudicarent[25]). Neque tamen diu pacis leges observatae. Thespienses, Plataeenses, Orchomenii, Spartanorum praesidio parum tuti, intra paucos annos subacti urbesque eorum deletae[26]): ceteris sine controversia iugum imposi-

---

20) Notissimi sunt Thebanorum tyranni Archias, Leontiades eorumque factio. Xenoph. Hellen. V, 2, 25 sqq. Plutarch. Pelop. c. 5. 6. Sed de ceteris quoque Xenophon V, 4, 46: *ἐν πάσαις γὰρ ταῖς πόλεσι δυναστεῖαι καθειστήκεισαν ὥσπερ ἐν Θήβαις, ὥστε καὶ οἱ ἐν ταύταις ταῖς πόλεσι φίλοι τῶν Λακεδαιμονίων βοηθείας ἐδέοντο.*

21) Wachsmuth. I, 2 p. 283 – 286.

22) Thucyd. III, 61.

23) Iustin. III, 6 de pactione loquitur Spartanorum cum Thebanis, „ut Boeotorum imperium his restituerent, quod temporibus belli Persici amiserant.“ Hoc imperium nihil aliud quam *ἡγεμονία* est, sicut apud Thucydidem quoque III, 61 nihil nisi *ἡγεμονεύεσθαι* Boeotos a se postulant. Sed gravem hunc principatum ceteris fuisse vel Plaetaearum defectio ostendit. Cf. et Xenoph. Memm. III, 5, 2: *Βοιωτῶν οἱ πολλοὶ πλεονεκτούμενοι ὑπὸ Θηβαίων δυσμενῶς αὐτοῖς ἔχουσιν.* et Periclis dictum de discordiis Boeotorum ap. Aristot. Rhetor. III c. 4.

24) Thucyd. IV, 91. Cf. Mueller. Orchom. p. 404.

25) Xenoph. Hellen. V, 1, 32. 33. cf. VI, 3, 9.

26) De Thespiis et Plataeis sub Spartanorum praesidio cf.

tum [27]), licet foederis specie servata [28]). Boeotarchos hoc tempore septem invenimus [29]), quorum binos aut etiam ternos Thebanos [30]). Postremo fractis Spartanorum viribus, Phocensibus autem, Locrensibus, Aetolis multisque aliis in societatem aut vi aut voluntate receptis [31]), tantos spiritus Thebani ceperunt, ut totius Graeciae principatum affectarent [32]). Sed hoc quidem consilium mox abiicere coacti sunt, mortuisque Pelopida et Epaminonda, quorum virtute et prudentia supra modulum suum creverant [33]); sociorum autem animis alienatis, post paucos annos ne Phocenses quidem, propter delicta adversus Delphicum templum hostes ab amphictyonibus ipsorum potissimum instinctu iudicatos, superare aut etiam sustinere suis ipsi viribus satis valebant [34]). Itaque auxilium adversus hos a Philippo petitum, qui quum paucis

---

Xenoph. Hell. V, 4, 10. 15. 20. 38. 41. 42. 55. De eversa utraque urbe VI, 3, 1. 5. Diodor. XV, 46. Pausan. IX, 1, 3. 14, 2. De Orchomeno Mueller. Orchom. p. 420.

27) Xenoph. V, 4, 63. VI, 1, 1.

28) Speciem foederis dico, quia reapse ceteros *συντελεῖς* magis quam foederatos Thebani reddiderunt, quod ait Diodor. XV, 38: *τὴν Βοιωτίαν ἅπασαν ὑπὸ τὴν τῶν Θηβαίων συντέλειαν τάττειν*, et c. 50: *τὴν Βοιωτίαν ὑπὸ μίαν ἄγοντες συντέλειαν*, et paullo post: *συνεῖχον τὴν Βοιωτίαν ἐν τῇ καθ' αὑτοὺς μιᾷ συντελείᾳ.* Huc pertinent etiam Aeschinis criminationes ctr. Ctesiphont. p. 534. Cf. de f. leg. p. 289. 290. Conventus tamen ceterorum nullos amplius fuisse neque communia consilia, et Boeotarchos a solis Thebanis creatos, quae nonnullorum sententia fuit, nihil est quod credere suadeat.

29) Diodor. XV, 52 in. 53 med. Pausan. IX, 13, 3. Idem tamen X, 20, 3 quattuor tantum nominat. De loco IX, 15 2 et Muelleri adnotatione Orchom. p. 404, 5 vid. Siebelis. comm.

30) Tres Thebani sunt Plutarch. Pelop. c. 13; duo ib. c. 14. 24. 25.

31) Xenoph. Hellen. VI, 5, 23. Diodor. XV, 57.

32) Xenoph. VII, 1, 33 sqq. Diodor. XV, 78.

33) Polyb. VI, 43, 4—7.

34) De huius belli historia cf. imprimis Diodor. XVI, 23—25. 27—33. 37—40. 56—60. Add. Demosth. de f. leg. p. 387.

post annis ex amico hostis extitisset[35]), victi ad Chaeroneam Thebani et de antiquo statu in perpetuum deiecti sunt. Ab Alexandro deinde etiam urbs eorum deleta; quae licet post a Cassandro restituta sit, nunquam tamen posthac vires resumpsit. Foedus autem Boeotorum etiam post haec tempora perduravit, Orchomeno, Plataeis, Thespiis post pugnam Chaeronensem restitutis[36]), omnibusque a Thebanorum dominatione liberatis. Magistratus foederis non b o e o t a r c h i solum, sed etiam a r c h o n t e s et *ἀφεδριατεύοντες*[37]), pro quattuor senatibus autem synedrium, praeterea concilium quoque multitudinis commemorantur[38]). Sublatum foedus a Romanis Persei Macedonis bello, et iterum fortasse post Corinthum deletam[39]), postea tamen restitutum et sub imperatoribus quoque diu servatum est[40]).

---

35) Cf. Demosth. de pace p. 62. Philipp. II p. 67 extr. de f. leg. p. 385. de Philippi epist. p. 153. Philipp. III, 120. Add. Winiewski comm. hist. in Dem. or. de cor. p. 223.

36) De Plataeis et Orchomeno a Philippo post pugnam Chaeronensem instauratis cf. Pausan. IX, 1 extr. 37 extr. IV, 27, 5. Dissentit tamen Arrian. I, 9 extr., qui id Alexandro tribuit.

37) *Ἄρχων* cum septem, ut videtur, boeotarchis est in inscriptione C. I. no. 1565, qua Nobae Carthaginiensi *προξενία* Boeotorum datur. *Ἄρχων ἐν κοινῷ Βοιωτῶν* no. 1570. a. *Ἄρχων Βοιωτοῖς* no. 1573. 1575. *Ἄρχων*, septem *ἀφεδριατεύοντες*, *γραμματεύς* no. 1593, inscriptione donarii a communi Boeotorum Gratiis consecrati. Ex his *ἄρχων* est Thebanus, *ἀφεδριατεύοντες* Orchomenius, Coronensis, Anthedonius, Thespiensis, Thebanus, Tanagraeus, Oropius, *γραμματεὺς* Plataeensis. Hos *ἀφεδριατεύοντας* non diversos a boeotarchis fuisse, et archontem collegii principem Boeckhius putat p. 729. Praeterea boeotarchi commemorantur no. 1626 (Thisbensis.) no. 1738 et 1058 (Megarensis, quorum urbem illo tempore Boeotorum concilio adscriptam fuisse hoc ipsum docet.) Sunt autem hi omnes tituli sub imperatoribus scripti. Cf. et Plutarch. praec. rei p. ger. c. 17.

38) *Τὸ κοινὸν Παμβοιωτῶν συνέδριον* inscr. no. 1625, 30. *Δᾶμος* no. 1565, quae inscriptio decretum communis Boeotorum concilii habere videtur. Sed alteram no. 1570. a. in qua est *βουλὴ καὶ δῆμος*, solorum Oropiorum esse non dubito.

39) Id Boeckh. p. 727 a. statuit propter Pausaniam VII, 16, 6. Sed fieri potest ut Pausanias minus accurate tempora distinxerit.

40) Vid. Pausan. IX, 34, 1 et inscriptt. not. 37. 38 citatas.

§. XXI.

Boeotorum contra Spartanos bellum Epaminonda duce gestum etiam Arcadibus iungendi inter se foederis occasionem dedit. Antea enim, ex quo regnari ab uno desierant [1]), in plures civitates divisi [2]), praeter naturalem illam stirpis, sermonis, morum similitudinem, nihil admodum inter se commune, nisi sacra fortasse Iovis Lycaei habuerant [3]). Nobilissimi Arcadum Tegeatae post multa graviaque bella cum Spartanis foedere iuncti, fidi horum et firmi socii per ducentos amplius annos permanserant [4]): Mantinenses, serius subacti, easdem partes inviti sequebantur [5]): Orchomenii quoque plerumque Spartanis amici [6]): reliqui, quorum multi non urbes sed pagos tantum vicosque incolebant [7]), bella inter se aut cum aliis pacemque ac foedera ut cuique videretur faciebant [8]), multisque eorum mercenaria apud exteros militia quaestui erat [9]). Fractis autem apud Leu-

---

1) Unum totius Arcadiae regem Homerus habet Iliad. II, 609; alios alii nominant, velut Pausan. VIII c. 3—5, quanquam etiam plura minora regna fuisse e. c. 3, 1 (cf. Dionys. A. R. I, 11.) facile colligas, et nonnullos, qui passim totius Acadiae reges perhibentur, partis tantummodo imperium habuisse certum est, e. c. Aristocratem, de quo vid. Mueller. Aegin. p. 65. Orchomeni regulos adhuc belli Peloponnesiaci tempore fuisse ostendit Theophilus ap. Plutarch. Parall. c. 32, si quid huic auctori tribuendum est.

2) De his et de totius Arcadiae magnitudine et numero incolarum vid. Clinton. F. H. p. 395 et 422 sqq.

3) Schol. Pind. Olymp. VII, 158. Adde ἑστίαν Ἀρκάδων κοινὴν apud Tegeatas. Pausan. VIII, 53, 3.

4) Cf. Mueller. Dor. I p. 152 sq. 179. 188.

5) Vid. impr. Xenoph. Hellen. V, 2, 1—7.

6) Cf. Herodot. IX, 28. Thucyd. V, 61. Xenoph. Hellen. VI, 5, 11. 15.

7) Aristot. Polit. II, 1, 5 ibiq. Schneider. cf. Kortuem. p. 128—139.

8) Memoratu digna est formula foederis inter Heraeenses et Eleos in tabula aenea ap. Boeckh. Corp. Inscr. no. 11.

9) Thucyd. VII. 57. 58. Xenoph. Hell. VII, 1, 23 et plura.

citra Spartanorum viribus et Arcadibus in belli societatem ab Epaminonda sollicitatis placuit unum totius Arcadiae corpus fieri urbemque magnam condi, communis consilii sedem simulque contra Spartanos propugnaculum [10]). Cives in hanc e pagis adiacentibus deducti [11]), concilium institutum, quod de bello ac pace communibusque negotiis consultaret [12]), permagno numero, id quod *Μυρίων* appellatio indicat [13]), magistratus denique praepositi, qui exercitus ductarent et de maioribus rebus ad concilium referrent [14]), hisque addita selectorum militum manus, qui Epariti vocantur, ad necessaria ministeria obeunda imperiaque magistratuum exequenda [15]). Multum tamen abfuit, ut

---

apud O. C. Kellermann. de re militari Arcadum (Monach. 1831. 8.) p. 73—80.

10) Diodor. XV, 59. 72 extr. Pausan. VIII, 27, 1. 2. Cf. Manso Spart. III, 2 p. 82. Wachsmuth. I, 2 p. 272 sqq. Tittmann. p. 688. De Lycomede, primo huius consilii auctore, non Tegeata, ut est ap. Diodor., sed Mantinensi, cf. et Xenoph. Hell. VII, 1, 23 et ipsum Diodor. c. 62. Add. Kellermann. p. 13, qui tamen Pausaniae locum non recte intellexit.

11) Pausan. l. l. §. 3. Clinton. p. 425.

12) Diodor. XV. 59: *περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης βουλεύεσθαι.* Xenoph. Hell. VI, 5, 6: *ὅ τι νικῴη ἐν τῷ κοινῷ, τοῦτο κύριον εἶναι τῶν πόλεων.* Cf. VII, 4, 2. Ex eiusdem narratione VII, 4, 33. 34 exempla peti possunt decretorum ad commune Arcadiae pertinentium et iudiciorum de iis habitorum, qui adversus commune deliquissent.

13) Diodor. et Xenoph. ll. ll. Add. Xenoph. VII, 1, 38. 4, 2. Demosth. de f. leg. p. 344. Aeschin. de f. leg. p. 257. Pausan. VIII, 32, 1. Harpocr. Suid. Phot. s. v. *Μύριοι,* rectius, opinor, *Μυρίοι.* Conventus horum Megalopoli in Thersilio, *ἀπὸ τοῦ ἀναθέντος* dicto. Pausan. l. l. Mirum est Kellermanni iudicium, hos *μυρίους* magistratus fuisse et Xenophontis locum VIII, 1, 23 ad *μυρίων* institutionem pertinere censentis.

14) Hi generali nomine *ἄρχοντες ἐν τοῖς Ἀρκάσι* dicuntur distinguunturque a singularum civitatum magistratibus (*προστάταις*) ap. Xenoph. VII, 4, 33. *Στρατηγὸν τῶν Ἀρκάδων* Diodorus memorat XV, 62.

15) *Ἐπάριτοι* (nam ita rectius scribi videtur quam *Ἐπαρόητοι,* quae forma nominis apud Hesychium extat.) primum commemorantur a Xenophonte Hell. VII, 4, 22 (Ol. 104, 1.), quo tempore *οἱ μυρίοι* dudum constituti, ut nesciam quid sibi velit Kellermann. p. 20 not. 72. Porro commemorantur eodem cap. §. 33. 34. 35.

omnes statim Arcades foederi accederent, aut, qui accesserant, firmiter coniuncti permanerent. Orchomenii certe, Heraeenses aliique Spartanorum amici communibus ceterorum consiliis diu aut abstinuerunt aut etiam restiterunt [16]): Tegeatae inter se ipsi discordabant, multique, qui foedus fieri noluerant, interfecti aut expulsi sunt [17]): mox Megalopolis tantummodo, Tegea, Asea, Pallantium paucaeque minores civitates in societate perstiterunt; reliquae aut quieverunt aut Spartanis faverunt [18]). Pace tamen post pugnam Mantinensem stabilita maior omnium concordia firmiorque coniunctio facta [19]), donec Achaeis invalescentibus Megalopolis, Stymphalus, Heraea aliaeque civitates adiunctae, reliquae, Tegea, Orchomenus, Caphyae, Mantinea quoque Aetolorum aut Spartanorum partes amplexae sunt [20]). Foederis Arcadici dehinc nulla amplius mentio.

§. XXII.

Alia huius generis foedera in Peloponneso non fuerunt praeter Achaeorum, de quibus postea dicendum erit. Nam quae in Argolide civitates aliquando Argivorum sociae fuerant, mox aut

---

et c. 5, 3. Ab Hesychio *δημόσιοι φύλακες* dicuntur, a Diodoro XV, 62. 67 *ἐπίλεκτοι*: nam non alios hos quam Eparitos esse certum est. Vid. Kellerm. p. 46. Fuerunt numero 5000 (Diod.) mercedemque, aliquando saltem, de publico accipiebant. Xenoph. VII, 4, 34.

16) Vid. Xenoph. Hell. VI, 5, 11. 22.

17) Id. VI, 5, 6—10.

18) Id. VII, 5, 5 cf. ib. §. 1.

19) Philippi et Alexandri aetate commune Arcadiae commemoratur a Demosth. de f. leg. p. 344. 403. Aeschin. de f. leg. p. 257. ctr. Ctesiph. p. 553. Diodor. XVII, 3. Pseudoplutarch. vitt. X oratt. p. 840 E. Megalopolis post pacem a multis deserta, qui tamen Atheniensium ope redire coacti. Diodor. XV, 94. Fuit tamen postea quoque Megalopolis parum pro magnitudine incolis frequens. Polyb. IX, 21.

20) Cf. Plutarch. Arat. c. 30. 36. 38. Cleom. c. 4. 5. 7. Polyb. II, 46. 55. 57. 58. Add. Wachsmuth. I, 2 p. 393.

subiectae ab his aut alienatae sunt [1]). Item Elei Pisatas et Triphylios non foedere iunctos sed imperio subditos habebant [2]). E transmarinis civitatibus primum Cretae varia fuerunt singularum inter ipsas foedera [3]); unum commune totius insulae nullum [4]), nisi quod aliquando *κοινοδίκιον* habuisse videntur ad controversias suas iure decernendas [5]), pactionemque de *συγκρητισμῷ*, ut coniunctis omnium viribus externi hostes arcerentur [6]). — Aeolicarum coloniarum commune foedus nullum nec Lesbi neque in Asia fuisse videtur [7]). Contra Ionicarum duodecim civitatum [8])

---

1) Cf. Mueller. Dor. I p. 83. 153. 174. Wachsmuth. I, 1 p. 130. II p. 84.

2) Thucyd. II, 25 *τὴν περιοικίδα Ἠλείων* dicit. De Lepreatis vid. id. V, 31 et in univ. cf. Xenoph. Hellen. III, 2, 23. 30. VI, 5, 2. Pausan. V, 10, 1. VI, 22, 1. 2.

3) Commemorandum imprimis foedus Latiorum et Olontiorum, Corp. Insc. no. 2554, et Hierapytniorum cum Priansiensibus, ibid. no. 2556. Cf. Sainte-Croix p. 357. Hoeck. Cret. III p. 470 sqq.

4) *Κοινὸν Κρητῶν* in nummis commemoratur non ante imperatorum Romanorum tempora, neque foederis politici indicium est. Cf. Tittmann. p. 735 sq.

5) Vid. foed. Hierapytn. c. Prians. vers. 58. Polyb. XXIII, 15, 4. Boeckh. ad Corp. Inscr. p. 414. 415. Tittmann. p. 735.

6) Plutarch. de frat. amor. c. 19: *πολλάκις στασιάζοντες ἀλλήλοις καὶ πολεμοῦντες, ἔξωθεν ἐπιόντων πολεμίων διελύοντο καὶ συνίσταντο, καὶ τοῦτο ἦν ὁ καλούμενος συγκρητισμός.* Cf. Etym. M. p. 732, 55.

7) Conventus Aeolensium legatorum certis temporibus Cumae habitos fingit Barthelem. Anach. tom. VIII p. 81, ad Herod. I, 149. 157 provocans, ubi nihil eiusmodi legitur. Non minus commenticium foedus est cum communibus Grynei Apollinis sacris a Sancrucio Aeolensibus tributum. Vid. Hermann. A. Gr. §. 76, 12. Mitylenaeos aliquando *συμμαχίας* cuiusdam principatum habuisse Aelianus docet V. H. VII, 15; sed qualis illa fuerit non liquet. *Κοινὸν Λεσβίων* in nummis extat, sed non ante imperatoris M. Aurelii tempora. Vid. Plehn. Lesbiac. p. 98. Ceterum cf. Tittmann. p. 672.

8) Mileti, Myuntis, Prienes, Ephesi, Colophonis, Lebedi, Tei, Clazomenarum, Phocaeae, Erythrarum, Sami, Chii (Herodot. I, 142.), quibus postea Smyrna, Aeolensium colonia, adiuncta est. (id. ib. c. 143. 150.) De his omnibus earumque rursus plurimis coloniis cf. Lud. Lehnert, de foedere Ionico. Berolin. 1830. 8.

sacra communia fuerunt, Panionia, in Neptuni Heliconii templo ad Mycalen promontorium [9]) ac postea Ephesi celebrata [10]), et peractis sacris concilia de rebus publicis, velut de bello ac pace cum exteris deque controversiis inter ipsas dirimendis [11]). Sed parum firmam hanc coniunctionem fuisse bellorum, quae inter se Iones gesserunt, exempla ostendunt [12]); neque quidquam ab iis memorabile adversus Lydorum aut Cyri dominationem coniunctis viribus gestum, sapientique Thaletis consilio, ut, quo validius hostibus resisterent, unum totius Ioniae corpus fieret sedesque universi imperii Tei collocaretur, non obtemperatum est [13]). Erat enim omnino gentis ingenium imbelle, mollitiae ac voluptatibus deditum, lenemque ac tutam servitutem laboriosae libertati haud aegre praeferens [14]). Foederis autem post rebellionem contra Darium ab Aristagora concitatam, sed celeriter oppressam, nulla amplius mentio [15]), quamquam sacrorum communio et communis quaedam rerum, quae cum sacris coniunctae erant, administratio perduravit [16]). —

---

9) Herodot. I, 143. 148. Strab. XIV, 1 p. 639. cf. VIII, 7 p. 384.

10) Id ex Diodori narratione XV, 49, coll. cum Strab. VIII, 7 p. 385, circa Leuctricae pugnae tempus factum esse coniicias. Sed Ephesia, commune omnium Ionum festum, iam Thucydides commemorat III, 104. Cf. Locell. ad Xenoph. Ephes. p. 132.

11) Dionys. Ant. Rom. IV, 25. Exempla vid. apud Herodot. I, 141. 170. VI, 7, ubi de *προβούλοις* dicitur ad commune consilium missis. Cf. Wachsmuth. I, 1 p. 114.

12) Wachsmuth. l. l. et Hermann. Ant. Gr. §. 77, 24.

13) Herodot. I, 170.

14) Lectu digna est Herodoti narratio VI, 11. 12. Ceterum laudes Ionum splendidissima oratione celebratas vid. ap. Himerium declam. XI p. 570 — 580 Wernsdorf. De mollitie eorum et luxuria cf. Athenae. XII c. 28 sqq. p. 524 sqq.

15) Notandum tamen quod de Artapherne Herodotus narrat VI, 42: *συνθήκας σφίσι αὐτοῖσι τοὺς Ἴωνας ἠνάγκασε ποιέεσθαι, ἵνα δωσίδικοι εἶεν καὶ μὴ ἀλλήλους φέροιέν τε καὶ ἄγοιεν.*

16) Huc pertinent inscriptiones nummorum, *Κοινὸν Πανιωνίων*

Denique Doriensium sex civitatibus in Cariae ora maritima et Co Rhodoque insulis[17]) communia fuerunt Apollinis Triopii sacra apud Cnidum in promontorio Triopio[18]), ad quae quum convenerant, etiam consilia inter se de rebus publicis communicasse dicuntur[19]). Verum amplius nihil de coniunctione eorum compertum habemus: neque aliarum coloniarum foedera, quae quidem hoc loco commemoranda sint, fuisse videntur. Quae autem iis cum conditoribus originibusque suis coniunctio intercesserit, proximo capite exponemus.

---

6. De iure coloniarum.

§. XXIV.

Coloniarum inde a proximis post Troiam eversam temporibus[1]) per plura deinceps saecula tam ingens multitudo a Graecis condita est, ut nullam unquam gentem coloniis feraciorem fuisse merito dixeris. Nam post Thessalorum, Boeotorum, Doriensium migrationes, quum in plurimis Graeciae

---

aut *Κοινὸν Ἰώνων* (vid. Tittmann. p. 671.) et *βουλὴ Ἰώνων,* quae litem inter Lebedios aliamque ignotam civitatem de sacerdotio quodam diiudicat, Corp. Inscr. no. 2909.

17) Harum duae in continenti, Cnidus et Halicarnasus, tres Rhodi, Lindus, Ialysus, Camirus, quae postea, circ. Ol. 93, 1 in unam urbem insulae cognominem contractae sunt (Diodor. XIII, 75. P. D. C. Paulsen, Rhodi descriptio Maced. aet. Gotting. 1818. 4. p. 5.) sexta denique Cos, eodem cum insula nomine. Ex his unam, Halicarnasum, sacrorum communione exclusam esse Herodotus narrat I, 144.

18) De sacris Triopiis cf. Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 45.

19) Dionys. Ant. Rom. IV, 25.

1) Thucyd. I, 12: *μετὰ τὰ Τρωϊκὰ — μόλις ἐν πολλῷ χρόνῳ ἡσυχάσασα ἡ Ἑλλὰς βεβαίως καὶ οὐκέτι ἀνισταμένη ἀποικίας ἐξέπεμψε.* Fabulosis de coloniis ante illud tempus narrationibus pauci hodie sunt qui fidem habendam credant. Collegit eas Radulphus Rochette, histoire critique de l'établissement des colonies grecques. Paris 1815. IV. 8.

partibus veteres incolae ab advenis opprimerentur, factum est ut multi aut pulsi patria aut alienae dominationis impatientes alias sibi sedes extra Graeciam quaererent: eaque res Aeolicis in Lesbo insula et obiecta Asiae ora coloniis originem dedit [2]). Mox etiam Iones ex Aegialea ab Achaeis pulsi, primum in Atticam, dein quum alendis tot hominum millibus tenue terrae solum non sufficeret, et seditionibus quoque insuper exortis, in Asiam Aegaeique maris insulas concesserunt, admistis multis etiam aliarum stirpium hominibus, Cadmeis, Abantibus, Minyis Phocensibus, Dryopibus, Arcadibus aliisque, quos vel Thessalorum vel Boeotorum Aeolensium vel Doriensium migratio sedibus suis exciverat [3]). Hos sequutae sunt Doricae stirpis coloniae, partim Megaris [4]) partim Argolide profectae [5]), ubi male coalescentibus novis civitatibus, variisque inter Dorienses et veteres incolas seditionibus exortis, multi passim cedere patria quam iniqua condicione cum adversariis vivere malebant, ducesque ex ipsis Doriensibus nacti in Cariae oram maritimam Rhodumque et Con insulas emigrabant. His autem deducendarum peregre coloniarum initiis plurimae deinceps aliae successerunt, partim ab iis, qui in Graecia remanserant, partim ab Asianis illis coloniariis conditae, ut omnia paullatim mediterranei maris littora, ab intimis Ponti Euxini recessibus usque ad Rhodani amnis ostia, Graecos accolas acciperent, feraeque ac barbarae nationes, Scythae, Thraces, Macedones, Illyrii, Libyes, Siculi, Galli aliqua saltem ex parte Graecorum commerciis mansuescerent et erudirentur. Et Pontica quidem littora prae-

2) Veterum scriptorum locc. vid. ap. Plehn. Lesbiac. p. 38—42. Clinton F. H. I p. 103 sqq.

3) Vid. supr. P. V §. 5, 7. Clinton. l. l. p. 113 sqq.

4) Strab. XIV p. 653.

5) Cf. Mueller. Dor. I p 102—114.

cipue Milesii[6]), Bithyniae, Thraciae et Macedoniae oram Megarenses[7]) et Chalcidenses[8]), Ionii maris littora Illyriam usque Corinthii[9]), Libyae partem Dorienses ex Thera insula profecti[10]), Italiam inferiorem ac Siciliam Achaei[11]), Chalcidenses[12]), Corinthii[13]) aliique Dorienses[14]), Galliae denique oram Rhodani ostiis vicinam Iones e Phocaea[15]) coloniis occuparunt.

§. XXV.

Causae deducendarum coloniarum admodum variae[1]). Multi hostilibus armis oppressi, ut ser-

---

6) Cf. impr. F. E. Rambach. de Mileto eiusque coloniis. Hal. 1790. 4. Lehnert. de foedere Ionico p. 32—40.

7) Mueller. Dor. I p. 120—122.

8) Strab. X, 1 p. 447. Cf. Poppo prolegg. Thucyd. vol. 2 p. 345 sqq.

9) Mueller. l. l. p. 117—119.

10) Herodot. IV, 150 sqq. Cf. J. P. Thrige, historia Cyrenes. Hafn. 1819. iterum ed. S. N. Bloch. 1828. 8.

11) Strab. VI p. 261—163. Scymn. v. 304. 322. 325 sqq. Polyb. II, 39, 6. Cf. Heyne, opuscc. acad. II p. 5. 6 et alibi passim.

12) Strab. V p. 243. VI p. 257, Scymn. v. 235. Thucyd. VI, 3 sqq.

13) Goeller. de situ et origine Syracusarum. Lips. 1818. 8. Mueller. l. l. p. 115—117.

14) Thucyd. VI, 4. Mueller. p. 110. 111. 125. Cf. R. Lorentz de orig. vett. Tarentinorum. Berol. 1827. 8.

15) Thucyd. I, 13. Pausan. X, 8, 4. Harpocr. s. v. *Μασσαλία.* Ceterum accuratiorem coloniarum recensum, qui ab huius libri consilio alienus est, vid. ap. Hermann. Antt. Gr. §. 76—86, cuius paucissimae paginae vix minus bonae frugis, quam Rochetti spissa volumina continent.

1) Senec. consol. ad Helviam c. 6: „Alios excidia urbium suarum hostilibus armis elapsos in aliena spoliatos suis expulerunt, alios domestica seditio submovit, alios nimia superfluentis populi frequentia ad exonerandas vires emisit, alios pestilentia aut frequens terrarum hiatus aut aliqua intoleranda infelicis soli vitia eiecerunt, quosdam fertilis orae et in maius laudatae fama corrupit, alios alia causa excussit domibus suis.“ Cf. in univ. Barthelem. Anachars. c. 2. tom. II p. 40 sqq. ed. Bipont. 1793. Heyne, de vett. colon. iure eiusque causis opuscc. acad. I p. 296 sqq.

vitutem domi effugerent, novas in aliis regionibus civitates condiderunt, sicut veteres illi, quorum mentionem fecimus, ac postea Messenii, qui Rhegium [2]), Phocaei, qui Veliam et Massiliam [3]), Teii, qui Abderam concesserunt [4]). Alii propter discordias intestinas patria cedere coacti, quemadmodum Parthenii a Spartanis emissi Tarentum condidisse dicuntur [5]), Archias Corintho cum suis profectus Syracusas condidit [6]), Dorieus, ne fratrem Lacedaemone regem videret, novas sedes, quamquam infelici successu, quaesivit [7]). Nec raro, ex iis praesertim civitatibus quae paucorum in potestate erant, minuendae multitudinis gratia coloniae deductae videntur, ne status rei publicae immutaretur [8]). Accidebat etiam nonnunquam, ut aut in publica aliqua calamitate ad placandam deorum iram omnis iuventutis partem decimam deo alicui voverent, aut capta aliqua hostium civitate eorum quos subegissent item decimam partem deo consecrarent; quae multitudo si maior esset nec haberi in ipsis templorum agris com-

---

Hegewisch, geograph. u. histor. Nachrichten die Colonien der Griechen betreffend (Altona 1808. 8.) p. 140 sqq.

2) Post primum itemque post alterum bellum Messeniacum. Pausan. IV, 23, 1 – 3. Quamquam secundum alios urbs Rhegina iam antea condita fuit item a Messeniis propter seditionem patria pulsis. Strab. VI p. 257. Cf. Schneidewin, Diana Phacelitis et Orestes ap. Siculos (Gotting. 1832. 8.) p. 4. 5 et de diversitate narrationum Mueller. Dor. I p. 148.

3) Cf. supr. §. 24, 15. Add. Herodot. I, 163—167 et Grashoff. in Iahnii annall. phil. et paed. 1829. II, 2 p. 156.

4) Herodot. I, 168. Cf. C. F. Hermann, Versuch einer urkundl. Geschichte von Abdera, in Zimmermann. diar. scholast. ann. 1830 no. 63 sq.

5) Cf. §. 24, 14. Add. Niebuhr. hist. Rom. I p. 163 ed. 2.

6) Vid. §. 24, 13.

7) Herodot. V, 42 sqq.

8) Cf. P. IV §. 7. p. 117. Huc pertinet fortasse Strab. X, 1 p. 447 de Chalcidensium coloniis: *ἐστάλησαν γὰρ αἱ ἀποικίαι αὗται, καθάπερ εἴρηκεν Ἀριστοτέλης, ἡνίκα ἡ τῶν ἱπποβοτῶν καλουμένη ἐπεκράτει πολιτεία. προειστήκεσαν γὰρ αὐτῆς ἀπὸ τιμημάτων ἄνδρες ἀριστοκρατικῶς ἄρχοντες.*

mode posset, in coloniam emitti oraculi iussu solebat[9]). Sed omnium maxime frequens genus earum fuit, quae commerciorum exterorum, navigationis ac mercaturae gratia condebantur, ex quo genere pleraeque Megarensium, Corinthiorum, Milesiorum, plurimaeque Achaeorum et Chalcidensium fuerunt, quum in longinquis ignotisque oris interque barbaras nationes certae mercatoribus tutaeque stationes ac fora quaererentur faciliorque etiam ad remotiora aditus[10]).

§. XXVI.

Quae autem his coloniis cum originibus suis coniunctio atque necessitudo intercessit, haec pro vario illarum genere atque condendi ratione[1]), locorum propinquitate aut longinquitate, opibus denique ac potentia coloniarum multiplex ac varia fuit. In universum autem omnis illa coniunctio commodissime cum ea comparari potest, quae liberis est cum parentibus; quemadmodum etiam matrum filiarumque nominibus saepenumero inter se uti solebant[2]). Itaque sicut liberos, quamdiu

---

9) Strab. VI, 1 p. 257 de Chalcidensibus, qui cum Messeniis Rhegium condiderunt: *κτίσμα δ' ἐστὶ τὸ Ῥήγιον Χαλκιδέων, οὓς κατὰ χρησμὸν δεκατευθέντας τῷ Ἀπόλλωνι δι' ἀφορίαν ὕστερον ἐκ Δελφῶν ἀποικῆσαι δεῦρό φασιν.* Cf. Dionys. Ant. Rom. I, 16 et 23. Intt. ad Iustin. XXIV, 4, 1, de Italorum vere sacro. De consecratis victarum civitatum decimis vid. exempla ap. Mueller. Dor. I p. 257. 258, add. 229. 242.

10) Addi potest nonnunquam colonias etiam belli causa conditas, ad tuendam aliquam regionem ab hostium incursionibus, aut ut contineri facilius in obsequio subiecti possent. Huc pertinent quae de Amphipoli Thucyd. I, 100. IV, 102, de Heraclea Trachinia III, 92 refert.

1) Nam multum haud dubie intererat, utrum rite ac publico consilio an per secessionem colonia condita, ex eadem omnes civitate missi, an ex pluribus diversarum quoque stirpium hominibus mixti essent, reapse denique et certa ratione, an nomine potius et *οἰκιστοῦ* alicuius respectu metropolis esset. Cf. Wachsmuth. I, 1 p. 103.

2) Vid. Spanhem. de usu et praest. numism. tom. I p. 577. Ita in foedere Locrorum Epizephyriorum, quamvis commenticio,

suis ipsi opibus ac facultatibus non satis se tueri possunt parentumque subsidiis sustentantur, obsequium his maius praestare eorumque imperiis regi consentaneum est, ita coloniae quoque in simili condicione similiter erant metropoli suae in plurimis rebus obnoxiae; contra ubi satis ipsae pollebant suisque viribus tutae matrum subsidio non egebant, itidem ut liberi sui iuris facti, naturali tantummodo pietatis officio maiorem patriam colere atque observare, ceterum suae potissimum utilitati suisque commodis inservire aequum iudicabant. Amicitia igitur et societas coloniis cum metropoli, non clientela aut servitium convenire videbatur [3]; bellum utrisque inter se, nisi insigni aliqua iniuria aut necessitate coactis, iniustum atque indecorum [4], controversiae iure potius quam armis decernendae [5]; auxilium, si fieri posset, petentibus invicem ferendum [6]; denique honores quidam in sacris publicisque conventibus a coloniis metropoli ex more tribuendi [7].

§. XXIIV.

In deducendis coloniis, quae quidem rite ac

---

quod cum Opuntiis aut Ozolis factum Timeaus contendebat, apud Polyb. XII, 10, 3, scriptum fuit, ὡς γονεῦσι πρὸς τέκνα. — Cf. Plat. Legg. VI, 3 p. 754. Dionys. A. R. III, 7. Vales. ad Polyb l. l. Wesseling. ad Herodot. III, 19. Hegewisch. p. 155 sqq. Sainte-Croix, de l'état et du sort des colonies des anciens peuples (Philadelph. 1779. 8.) p. 110 sqq. Drumann. p. 507. Poppo prolegg. ad Thucyd. vol. 2 p. 20 sq.

3) Thucyd. I, 34: οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὅμοιοι τοῖς λειπομένοις εἶναι ἐκπέμπονται.

4) Vid. Herodot. VII, 150. VIII, 22. Thucyd. I, 38. Iustin. II, 12. Cf. tamen Plato Legg. l. l. Thucyd. I, 34.

5) Thucyd. I, 28.

6) Id. I, 24. 25. V, 106.

7) Id. I, 25, γέρα τὰ νομιζόμενα. c. 38, τὰ εἰκότα θαυμάζεσθαι. Quod ibid. additur de ἡγεμονίᾳ, quocum cf. Thebanorum adversus Plataeenses, ut colonos suos, criminationem, V, 96: apparet societatem cum maiore patria detrectari a coloniis principatumque eius recusari iniustum saltem et vituperabile iudicatum esse.

publico consilio deducerentur [1]), haec solebant observari: primum ut ne susciperetur negotium nisi consulto antea oraculo [2]): dein si oraculum rem probasset, ut ediceretur publice, qui homines deducendi essent, in quo fiebat saepenumero, ut invitarentur certis condicionibus qui adscribi colonis vellent, neque civibus tantummodo sed aliis etiam e cognatis aut amicis populis ea copia fieret [3]). Huic multitudini unus e civibus aut etiam plures *οἰκισταὶ* praeficiebantur, qui in locum eos coloniae destinatum deducerent, condendaeque ibi urbi reique publicae praeessent: quodsi quae emittebat coloniam civitas ipsa alterius colonia esset, moris erat e metropoli *οἰκιστὴν* adscisci [4]). His mandata de administrando negotio deque formula iuris, quo uterentur coloni, data, quae *ἀποίκια* dicebantur [5]); tenuioribus autem colonis commeatus nonnunquam et arma de publico praebita [6]). Ignem porro secum asportabant ex metro-

1) Hae tantum sunt quae proprie coloniae a Romanis vocantur. Servius ad Virg. Aen. I, 12: »Hae autem coloniae sunt quae publico consilio, non ex secessione sunt conditae.« Graeci vocabuli *ἀποικία* significatio latius patet. Sed distinguuntur accurate loquentibus *ἄποικοι* ab *ἐποίκοις* h. e. novis accolis in conditam iam prius coloniam deductis: quamquam haec non una est huius vocabuli significatio. Vid. Schol. ad Thucyd. II, 27. Suid. in *ἀποίκησις* et *ἔποικος*. Krueger. ad Dionys. historiogr. p. 101. Poppo prolegg. Thuc. vol. 1 p. 235.

2) Cf. supr. c. 4 §. 16, 8. 9. Add. exempla ap. Herodot. V, 42. Thucyd. III, 92. Spanhem. ad Callimach. hymn. in Apoll. v. 57. Neque alia vaticiniorum genera spreta esse consentaneum est, quo pertinent v. c. *οἱ Θουριομάντεις* apud Aristophanem Nubb. v. 331, ubi cf. interpp.

3) Thucyd. I, 27 (ubi proprie *ἔποικοι* sunt qui mittuntur.) et III, 92. Diodor. XII, 10.

4) Thucyd. ll. ll. et Diodor. l. l. qui *κτιστάς* dicit. Cf. Mueller. Aeginet. p. 53.

5) Harpocrat. s. v. *ἀποίκια: ἰδίως τὰ γράμματα καθ᾽ ἃ ἀποικοῦσί τινες οὕτως ὠνόμασαν.* Vulgo *ἀποικία* scribitur; sed mutandum accentum intellexerunt iam Hudson. ad Thucyd. I, 24. Vales. ad Polyb. XII, 10, 3 p. 348 Gron. Heyn. opuscc. I p. 324.

6) Liban. hypoth. Demosth. or. de Cherson. p. 88, 8.

polis prytaneo accensum [7]), ceteraque sacra patria, quum publica tum sua quisque privata; ex quo fiebat, ut in posterum quoque arctissima quaedam communio sacrorum coloniis cum originibus suis intercederet [8]), quum et publice eadem ab utrisque numina iisdem festis ac caerimoniis colerentur, et privatarum quoque religionum eadem plerumque apud utrosque ratio esset. Eaque communio quo firmius servaretur, theorias certis temporibus atque oblationes a colonis ad conditorum suorum festa maxime solemnia mitti moris erat [9]). Propria autem coloniis sacra erant in *οἰκιστῶν* honorem instituta, qui tanquam heroes caerimoniis ludisque publicis colebantur [10]); multaeque coloniae antiquae, quarum *οἰκιστῶν* certam memoriam vetustas obscuraverat, fabulosos quosdam heroes pro conditoribus colebant [11]). — Porro in publicis coloniarum sacris si qui aderant ex maiore patria missi, his pars de primitiis victimarum ante ipsos colonos porrigebatur [12]); item locus concedebatur praecipuus in sacris publicis.

---

7) Herodot. I, 146 ibiq. intt., imprimis Larcher. tom. I p. 440 sqq. Etym. M. s. v. *πρυτανεῖα*. Cf. Vales. ad Polyb. XII, 10, 3. Wachsmuth. I, 1 p. 193 sq. — Quod additur a plerisque, extinctum aliquo casu in coloniae prytaneo ignem ex conditorum prytaneo rursus accendi debuisse, in dubium vocat Sainte-Croix p. 118.

8) Cf. Spanhem. de us. et praest. n. a. I p. 572. Wachsmuth. II, 2 p. 117.

9) Thucyd. VI, 3. Aristid. Eleusin. tom. 1 p. 416 Dind. Schol. Aristoph. Nubb. v. 385. Cf. Vales. ad. Polyb. l. l. Spanhem. l. l. p. 581. Wesseling. ad Diodor. XII, 30. Heyn. p. 325. 327.

10) Herodot. VI, 38. Thucyd. V, 11. Diodor. XI, 66. XX, 102. Wesseling. ad IV, 1. Spanhem. p. 565. Boeckh. et Dissen. ad Pindar. Olymp. VII, 78. Wachsmuth. II, 2 p. 105.

11) Cf. Mueller. Dor. I p. 112. 113.

12) Hoc est apud Thucyd. 1, 25, *ἀνδρὶ Κορινθίῳ προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν*, quem locum rectius Poppo quam ceteri interpretes accepit. *Κατάρχεσθαι* potissimum ad *τριχοτομίαν* victimarum pertinet, sectosque pilos distributos esse inter eos qui victimam offerebant docet vel Homerus Iliad. III, 274.

que conventibus [13]). Sacerdotum ac magistratuum e metropoli in coloniam missorum pauca tantum exempla habemus [14]), neque omnino hoc factum esse videtur nisi in iis coloniis, quae propter suarum virium infirmitatem maiori et opulentiori metropoli magis obnoxiae agerent. Forma rei publicae legesque et instituta coloniarum in universum quidem ad metropolis exemplum ordinata [15]); fieri tamen non potuit quin plurimae in plerisque aut statim ab initio aut procedente tempore diversitates existerent, quum neque omnia, quae metropoli, etiam novae urbi convenirent, nec quae recepta erant servari inter diversas vivendi condiciones facile possent. Hinc multae brevi tempore a parentibus non mediocriter degenerarunt, maximaque enata est novarum formarum varietas, quarum adspectu et contagione etiam veteres passim civitates multifariam a pristina ratione viaque avocari necesse erat. Neque intra formas rerum publicarum institutaque civilia huiusmodi mutationes continebantur, sed ad omnes pariter vitae partes, ad artes, litteras, disciplinam pertinebant, quae liberius tractatae veterisque consuetudinis vinculis solutae novam in novis civitatibus faciem induebant, novandique etiam veteribus exemplum atque impulsum dabant.

§. XXVIII.

Diversi generis, multoque magis Romanorum

---

13) Thucyd. l. l. cum schol.

14) De sacerdotibus, etiamsi scholiastae Thucyd. l. l. exigua auctoritas est, vid. tamen Spanhem. p. 575, Eckhel. doctrin. numm. IV p. 206. De epidamiurgis Corintho Potidaeam missis vid. Thucyd. I, 56. Sed κυθηροδίκας Heynius p. 323 non debebat huc referre. Cf. supr. P. IV §. 5, 5.

15) Cf. Thucyd. VI, 4. Pind. Pyth. I, 61. Huc pertinet quod etiam nummorum eadem in coloniis quae in metropoli signa erant. Spanhem. p. 568 sqq.

coloniis similes erant, quae *κληρουχίαι* dicuntur [1]), quum in agro aut hostibus erepto [2]) aut alia quacunque ratione extra proprios fines parto sortes civibus distribuebantur, qui licet suam ibi rem publicam, suosque magistratus haberent, non fierent tamen propterea veteris patriae expertes, sed pariter huius atque coloniae cives essent [3]), legibus eius omnibus tenerentur, munia civilia pro virili parte obirent [4]), iuraque, quantum absentes possent, usurparent. Et erant quoque qui accepta inter cleruchos sorte domi tamen remanerent illamque vel per procuratores administrarent, vel aliis fruendam elocarent, aut etiam domicilium ipsi nunc in patria nunc in cleruchia haberent. Plurimae huiusmodi cleruchiae Atheniensium erant, imprimis donec maris imperio potiebantur [5]); sed

---

1) De his vid. ante omnes Boeckh. oec. r. p. A. I p. 460—465. Corp. Inscr. I p. 150. Cf. et Wachsmuth. I, 2 p. 36—43.

2) Devicti hostes aut expellebantur, ut Potidaeatae et Aeginetae ab Atheniensibus (Thucyd. II, 27. Diodor. XII, 44.), aut servi fiebant, ut Dolopes et Pelasgi in Scyro, Lemno, Imbro (Thucyd. I, 98. Diodor. XI, 60. Corn. Nep. Cimon. c. 2.), aut in quandam cleruchorum clientelam detrusi agros patronorum colebant annuasque iis pensiones persolvebant, ut Lesbii post defectionem ab Atheniensibus subacti (Thucyd. III, 50.), aut etiam fortasse parte agrorum ipsis relicta unius cum cleruchis rei publicae, sed deteriore iure, participes fiebant, id quod Euboeae ab Atheniensibus factum crediderim. Ceterum clientes illos, quales Lesbii facti sunt, *πελάτας* appellatos esse perquam probabile est. Plat. Euthyphr. p. 4 C. Cf. Athenae. X, 60 p. 443: *προσπελατῶν, ὥσπερ εἱλώτων.*

3) Propterea modo a vetere patria modo a cleruchia appellati, velut Athenienses iidemque Chalcidenses aut Aeginetae. Vid. Boeckh. p. 462. Hinc explicavi varias de Isaei oratoris patria narrationes, praef. ad Isae p. V, cui explicationi quae Liebmannus obiecit refutata sunt a Meiero Ephemer. Hal. 1836 no. 131 p. 432.

4) De *κληρουχικῶν* ap. Athenienses immunitate vid. supr. P. V c. 7. §. 80, 21.

5) Has percensuit Boeckh. p. 456—460. Cf. Wachsmuth. p. 36—39.

nec aliis civitatibus nullas fuisse et per se probabile est et certis quibusdam indiciis apparet[6]).

---

7. De principatu Graeciae.

§. XXIX.

Sequitur ut de iis foederibus dicamus, quibus plures inter se diversarum terrarum ac stirpium populi non ad tempus sed perpetuae societatis causa iunctae erant, alii sub unius maioris civitatis principatu, alii pari omnium condicione et honore. Huius generis Aetolorum erant atque Achaeorum inter ipsos et cum aliis compluribus populis consociationes; alterius generis Spartanorum atque Atheniensium societates, tam multas civitates complexae tantumque ex principatu auctoritatis et virium duabus illis addentes, ut non temere propterea totius Graeciae principatum Sparta et Athenae obtinuisse dicantur. Et Spartana quidem societas originem habuit pervetustam et a proximis fortasse post occupatam Peloponnesum temporibus repetendam [1]): confirmata deinde Olympicorum ludorum institutione [2]) crescentibusque Spartanorum opibus magis in dies aucta et stabilita est. Nam post subactam Messeniam, superatos Tegeatas et Argivos [3]), expulsos denique e plurimis civitatibus tyrannos [4]) Spartani, om-

---

6) Huc pertinent *Μιλήσιοι οἱ Ἄμοργον Αἰγιάλην κατοικοῦντες*, Corp. Inscr. II no. 2264, qui *ἄρχοντας* suos, *βουλήν, δῆμον* habent: porro *οἱ κατοικοῦντες ἐν Ψυροῖς*, Chii haud dubie, quorum decretum legitur ibid. no. 2245: denique etiam *Ἱεραπύτνιοι οἱ κατοικοῦντες* in terra nescio qua, ib. no. 2555. Vid. Boeckh. comm. p. 410.

1) Cf. Wachsmuth. 1, 1 p. 319 sqq.

2) Cf. supr. cap. 2 §. 7, 3. Add. Mueller. Dor. I p. 138—140.

3) Id. ibid. p. 140—159.

4) Vid. supr. P. III §. 8 p. 91.

niam in Peloponneso populorum sine controversia potentissimi, reliquos plerosque foedere secum iunctos habebant et maxima etiam apud ceteros Graecos auctoritate florebant. Foederati autem sub Spartanorum principatu erant omnes in Peloponneso Dorienses, exceptis duntaxat Argivis paucisque aliis, quos Argivi in potestate habebant, praeterea Hermionenses, Tegeatae, Elei cum Pisatis et Triphyliis, extraque Peloponnesum Aeginetae et Megarenses [5]). Formula foederis haec fere. Primum de rebus communibus, de bello, pace, foederibus consilia inter se civitates per legatos conferebant [6]), parique omnium iure suffragii quod pluribus placuisset omnes tenebat [7]). Quamquam qui viribus praeter ceteros pollerent, plus etiam in consiliis, si non iure, at auctoritate tamen valuisse consentaneum est, et Spartanorum tanta plerumque apud omnes auctoritas fuit, ut non facile quid iis invitis susciperetur [8]), etiamsi

---

5) Foederatorum nomina neque ex Herodoto VIII, 72, IX, 28, neque e Pausania V, 23, 1 satis certo cognosci possunt, quandoquidem multi ab his enumerantur, qui ad tempus tantum Spartanis eorumque sociis se adiunxerant; cuius generis etiam e Peloponnesiis sunt Arcades praeter Tegeatas et fortasse Orchomenios, Nam Mantinenses non veteres neque perpetuos Spartanorum socios fuisse satis constat, nec de ceteris Arcadibus id credere licet. Vid. supr. c. 5 §. 21, 4—8. De iis autem, quorum nomina posui, dubitari non potest propterea quod, praeter unum nec diuturnum Tegeatarum contra Spartanos certamen circ. ol. 75, 2—78, 4, nunquam non Spartanorum socii fuerunt inde ab Anaxandridae fere aetate, ol. 54, (Herodot. I. 67. 68.) usque ad undecimum belli Peloponnesiaci annum. Tirynthii et Mycenaei Argivis subiecti erant inde ab ol. 79, 1; bello Persico secundo Spartanorum eos socios videmus; num perpetui fuerint non liquet, nec veri simile est. De Hermionensibus vid. supr. P. II Thucyd. VI, 95. Postea hi quoque Argivis subiecti.

6) Hi legati ab Herodoto V, 91 ἄγγελοι, a Thucydide I, 119 et alibi πρέσβεις dicuntur.

7) Ἰσόψηφοι. Thucyd. I, 141. cf. ib. 125 et V, 30.

8) Id satis apparet ex iis, quae de consultationibus ante bellum Peloponnesiacum a Thucydide narrantur. Vid. I, 67 sqq.

nonnunquam, quod ipsi suasissent, aliorum dissensu impediebatur[9]. Legitimi ac statis temporibus habendi conventus nulli erant[10], sed invitabantur, quum opus esset, a Spartanis socii[11], ut legatos cum mandatis aut Spartam, id quod plerumque fiebat, aut etiam alio mitterent[12]. Et Spartae quidem quum convenirent, res in Spartanorum concione disceptari solebant, ita tamen ut in suffragiis numerandis non hominum sed civitatum numerus spectaretur[13]. Bello aliquo decreto summa totius negotii administratio et imperium penes Spartanos erat[14]. Hi igitur et milites sociis imperabant, quot cuique de eo numero, quem ex foedere debebant, mittendi essent[15], et duces praeficiebant quum universo exercitui, alterum plerumque de regibus suis, tum etiam singulis exercitus partibus et cohortibus sociorum[16]. Item pecunias, quantas quoque tempore opus esset, exigebant, quarum suam quisque partem pro

9) Cf. Herodot. V, 75.

10) Hinc Pericles apud Thucyd. I, 141 eos negat ἑνὶ βουλευτηρίῳ χρῆσθαι.

11) Herodot. V, 91. Thucyd. I, 68. 119. cf. c. 67, ubi quod Corinthii socios Spartam convocasse narrantur, non iure sed precario fecisse credi debent; nec venerunt eorum impulsu nisi pauci fortasse; alios ipsi Spartani advocarunt.

12) Velut Olympiam, per festi opportunitatem. Thucyd. III, 8.

13) Apud Thucyd. I, 79 post auditas sociorum orationes Spartani, illis remotis, soli inter se consultant, deinde alio conventu indicto socios in suffragium mittunt c. 119. 125. E Xenophontis narratione Hellen. V, 2, 20 ordo rei gerendae non satis apparet.

14) Hinc Spartani nonnunquam sociorum copias in expeditionem eduxerunt, cuius his ipsis consilium et ratio ignota esset. Thucyd. V, 54. Cf. Herodot. V, 74.

15) Thucyd. II, 10: περιήγγελλον — στρατιὰν παρασκευάζεσθαι τά τε ἐπιτήδεια. Cf. III, 16, ubi naves, et VII, 18, ubi σίδηρος et ἐργαλεῖα imperantur.

16) Ξεναγοί. Thucyd. II, 75. Xenoph. Hellen. III, 5, 7. V, 1, 33. 2, 7. Agesil. 2, 10. De classis praefecto cf. Thucyd. III, 16. Etiam Ἑλλανοδίκαι h. l. commemorandi e Xenoph. de r. p. L. 13, 11. ubi cf. Haas. p. 283, et de ξεναγοῖς id. p. 269.

portione conferret[17]): nam certae annuaeque collationes non erant institutae[18]). In pace suam quaeque civitas rem publicam libere administrabat[19]), neque quidquam de propriis suis ac domesticis negotiis ad commune consilium referre cogebantur; curabant tamen, quantum poterant, Spartani ut imperium ubique optimatium esset, formaque rei publicae ad suum modulum quam maxime accommodata[20]). De controversiis autem sociorum hoc tantum cautum erat, ne armis inter se sed iure contenderent[21]): ceterum iudices quos vellent ex compromisso capere licebat, sive Spartanos sive aliam quamlibet civitatem sive Delphicum oraculum[22]).

§. XXX.

Huius societatis principatus Spartanis quantum etiam apud ceteros Graecos auctoritatis addiderit, quum aliis exemplis perspicitur[1]), tum eo praecipue, quod belli contra Persas gerendi his summum imperium tanquam iure debitum omnium consensu deferebatur[2]). Ita totius Graeciae haud dubie principes declarati plerosque etiam extra Peloponnesum populos societate secum coniunctos

---

17) *Ῥητὸν ἀργύριον.* Thucyd. II, 7. Diodor. XIV, 17. cf. Mueller. Dor. I p. 180.

18) Cf. Thucyd. I, 141. Add. id. I, 19, cui haudquaquam adversantur Plutarch. Aristid. c. 24 et alii ab Hermanno Ant. Gr. §. 34, 2 citati.

19) *Αὐτόνομοι καὶ αὐτοπόλεις.* Thucyd. V, 77. 79.

20) Thucyd. I, 19.

21) *Κατὰ τὰ πάτρια δίκας δοῦναι τὰς ἴσας καὶ ὁμοίας.* Thucyd. V, 79.

22) Cf. Mueller. I p. 183.

1) Talia vid. apud Herodot. V, 70. VI, 49 et 108. Plutarch. Solon. c. 10. Cf. Mueller. I p. 184.

2) Herodot. VIII, 2. Plutarch. Themist. c. 7.

habebant[3]), quibus mox Iones quoque et Hellespontii, excusso Persarum iugo, accesserunt[4]). Neque tamen eandem novae huius societatis et illius veteris rationem fuisse apparet, quum unius tantum belli causa[5]), non autem in perpetuum inita esset. Communia belli gerendi consilia initio in Isthmo tractabantur per legatos sociorum, quorum ibi consessus fuit usque ad finem eius anni, quo ad Salaminem pugnatum est[6]). Post hoc tempus, quum quid communiter consultandum erat, Spartae conveniebant[7]). Post Plataeensem vero pugnam etiam sanctius quoddam foedus Pausania et Aristide suadentibus inter omnes ictum, ut communia Plataeis sacra quotannis Iovi Liberatori celebrarentur[8]), eoque mitterentur legati, qui de rebus communibus consultarent[9]); ut libertas omnium ab omnibus defenderetur ac vindicaretur[10]); ut certum quisque militum ac navium numerum praeberet, quo Persae debellarentur[11]).

---

3) Horum nomina enumerantur ab Herodoto VII, 202. 203. VIII, 43—48. 72. IX, 28. Pausan. V, 23, 1.

4) Herodot. IX, 106. Cf. Thucyd. I, 89.

5) Hinc *τὴν γενομένην ἐπὶ τῷ Μήδῳ ξυμμαχίαν* Thucydides dicit I, 102.

6) Herodot. VII, 172: *ἐν δὲ τῷ Ἰσθμῷ ἔσαν ἁλισμένοι πρόβουλοι τῆς Ἑλλάδος.* (Pertinet narratio ad ol. 74, 4 aut 75, 1.) Add. VII, 175. 195. VIII, 123 coll. Diodor. XI, 3. 4. 16. Mueller. prolegg. mythol. p. 408.

7) Diodor. XI, 55; quamquam dubia loci lectio. Cf. Mueller. l. l. p. 410.

8) Plutarch. Aristid. c. 21. De quinquennalibus Eleutheriorum ludis vid. supr. c. 2 §. 10.

9) *Προβούλους* Plutarchus dicit l. l.

10) Hoc apparet ex Archidami oratione ad Plataeenses ap. Thucyd. II, 72: *καθάπερ γὰρ Παυσανίας ὑμῖν παρέδωκεν αὐτοί τε αὐτονομεῖσθε* (imper.) *καὶ τοὺς ἄλλους ξυνελευθεροῦτε ὅσοι-ξυνώμοσαν.* itemque ex Aeginetarum querela ap. eund. I, 67: *οὐκ εἶναι αὐτόνομοι κατὰ τὰς σπονδάς,* si quidem recte Muellerus l. l. p. 411 illas *παλαιὰς Παυσανίου μετὰ τὸν Μῆδον σπονδὰς* intelligendas censet, quod non satis certum videtur.

11) Plutarch. l. l.: *εἶναι δὲ σύνταξιν Ἑλληνικὴν μυρίας μὲν ἀσπι-*

Huius quoque foederis Spartani haud dubie principes erant, bellumque contra Persas eorum imperio per aliquot annos gestum est, donec Iones ceterique praeter Peloponnesios socii, Pausaniae superbiam pertaesi, a Spartanis defecerunt imperiumque belli maritimi Atheniensibus detulerunt[12]: idque a Spartanis, quum impedire, etiam si vellent, non posset, tacite comprobatum est. Itaque quum nullum nisi maritimum bellum contra Persas gerendum restaret, hoc quidem totius Graeciae principatu Spartani exciderant, omnisque illa societas, contra Persas inita, foedusque Plataicum, huius potissimum belli causa factum, si minus aperta confessione, re tamen ipsa non poterat non dissolutum videri. Quamquam Athenienses ipsi in societate Spartanorum permanebant usque ad bellum Messeniacum tertium, quo tempore, iniuria illorum permoti, Argivis, eorum hostibus, se adiunxerunt[13]). Dehinc omnis fere Graecia in duas partes inter Athenienses ac Spartanos divisa. Spartani veteris societatis Peloponnesiacae perpetuo principes; Athenienses Ionum ceterorumque in insulis, Asia, Hellesponto, Thracia societate potentes; reliqui, prout res ferebat, modo his modo illis, pauci tantummodo neutris socii.

§. XXXI.

Sed in Atheniensium societatem praeter illos, qui primi a Lacedaemoniis desciverunt, Iones aliosque per pugnam Mycalensem Sestique ac dein Byzantii expugnationem Persarum imperio exemptos[1]), plurimae mox insulae maritimaeque civi-

---

δας, χιλίους δὲ ἵππους, ναῦς δὲ ἑκατὸν ἐπὶ τὸν πρὸς τοὺς βαρβάρους πόλεμον.

12) Thucyd. I, 95. Plutarch. Aristid. c. 23. Cimon. c. 6.

13) Thucyd. I, 102: *ἀφέντες τὴν γενομένην ἐπὶ τῷ Μήδῳ ξυμμαχίαν πρὸς αὐτούς, Ἀργείοις τοῖς ἐκείνων πολεμίοις ξύμμαχοι ἐγένοντο.*

1) Thucyd. I, 89. 94. 95.

tates aut sua voluntate aut vi metuque receptae, adeoque intra paucos annos omnis fere Asiae ora cum Hellesponto, Chalcidice ceterisque in Thraciae ac Macedoniae latere Graecis omnesque Aegaei maris insulae principatui eorum subiectae sunt, quibus in ipsa Graecia, ne de Plataeensibus dicam, accesserunt aliquamdiu Megarenses, porro Oropii, Naupactus, denique in Ionio mari Corcyra, Zacynthus aliaeque insulae [2]). Condicio autem sociorum procedente tempore multum ex ea, quae initio fuerat, immutata principatusque Atheniensium in dominationem conversus est [3]). Nam quum initio liberi omnes communiumque consiliorum pariter participes fuissent [4]), neque quidquam Atheniensibus praestitissent nisi aut naves ad bellum instructas armatasque, aut modicas pecuniarum collationes ex aequissima Aristidis descriptione [5]), eaeque pecuniae ab Hellenotamiis Atticis in Delo insula custoditae essent [6]), quo loco etiam conventus sociorum et commune consilium erat [7]): postea plerique ab Atheniensibus aequo iure et libertate variis modis privati imperiisque ipsorum etiam inviti et inconsulti parere coacti sunt. Ac primus quidem intendendi imperii gradus ipsorum sociorum socordia ab Atheniensibus factus est, quum plurimi illorum, militiae laborem pertaesi, pro beneficio peterent, ut pro militibus navibusque, quas ex foedere debebant, pecunias

2) Cf. in univers. Boeckh. oec. r. p. A. I p. 440 sqq. Kortuem. p. 47. Poppo prolegg. Thucyd. vol. 2 p. 45 et 48 sqq. — De Megarensibus vid. Thucyd. I, 103. de Oropo Mueller. Orchom. p. 411. de Naupacto Messeniisque eo receptis Thucyd. l. l., de Corcyra, Zacyntho id. II, 7. 9.

3) Conf. Manso, Spart. III, 2 excurs. 12 p. 86—106.

4) Αὐτόνομοι καὶ ἀπὸ κοινῶν ξυνόδων βουλεύοντες. Thucyd. I, 97.

5) Thucyd. I, 96. Diodor. XI, 47, Plutarch. Aristid. c. 24.

6) Cf. supr. P. V c. 5 §. 44, et c. 6 §. 77, 5. Add. Boeckh. ad Corp. Inscr. no. 147.

7) Thucyd. I, 96.

potius dare liceret [8]); qua re ipsos inermes atque imbelles factos, Atheniensium autem vires non mediocriter auctas esse apparet. Alii, quum desciscere a societate conati essent, per vim subacti et deteriore posthac condicione habiti sunt [9]). Denique etiam pecuniae Delo Athenas transportatae circiter Ol. 79, 4 [10]); atque inde ab hoc tempore omnes libertate privati et tributarii facti sunt [11]) praeter Chios et Lesbios: nam his nomen quidem libertatis relictum, nec tributa sed naves tantummodo et milites exacti [12]); verum consilia tamen rerum gerendarum ne cum his quidem collata videntur [13]). A reliquis autem omnibus tributa exigebantur, quanta Atheniensibus placuisset, horumque summa, quum initio CCCCLX, mox sub Pericle DC talentorum fuisset, postea, Alcibiadis suasu, ad MCC amplius talenta crevit, donec pro tributis gravissimum vicesimae vectigal impositum est [14]); praeterea etiam milites dare cogebantur [15]); denique in suarum quoque rerum publicarum administratione multis modis Atheniensibus obnoxii

---

8) Id. ib. c. 99. Plutarch. Cimon. c. 11.

9) E. c. Naxii et Thasii. Vid. Thucyd. I, 98. 100. 101.

10) Diodor. XII, 38. Plutarch. Aristid. c. 25. De tempore, quod certo definiri non potest, cf. Dodwell. annall. Thucyd. ad ol. 79, 4.

11) *Ὑπήκοοι καὶ φόρου ὑποτελεῖς.* Thucyd. I, 56. II, 9. VII, 57.

12) Id. III, 10. — Ceterum eximendi e tributariorum numero sunt etiam Plataeenses, donec supererant, haud dubie Megarenses quoque, qui ab ol. 81, 2 ad ol. 83, 4 in Atheniensium societate fuerunt (Thucyd. I, 103 et 114.), itemque Messenii Naupactii iique, qui ineunte bello Peloponnesiaco socii facti sunt, Corcyraei, Zacynthii. Cephallenii, de quibus vid. Thucyd. VII, 57. De Italiotis ac Siculis non opus est dicere. Vid. Poppo prolegg. Thuc. 2 p. 39. 40. Oropii autem post bellum Peloponnesiacum haud dubie tributarii fuerunt (vid. Aeschin. in Ctesiph. p. 486.), et iam a Thucydide II, 23 *ὑπήκοοι* dicuntur, in quo illud inesse videtur.

13) Hinc illi *αὐτόνομοι δὴ ὄντες καὶ ἐλεύθεροι τῷ ὀνόματι* dicuntur ap. Thucyd. III, 10. Idem de ceteris *αὐτονόμοις* not. 12 commemoratis statuendum est. Cf. Poppo l. l. p. 39 et 41.

14) Vid. supr. P. V cap. 6 §. 77, 1—3.

15) *Πεζὸν καὶ χρήματα.* Thucyd. II, 9.

fiebant. Nam licet leges suas et magistratus retinerent[16]), ordinata tamen omnia ad Atheniensium formulam, et populare ubique imperium institutum[17]); custodes porro identidem et inspectores Athenis missi, qui negotiis eorum invigilarent[18]), ac si qui suspecti et invisi forent, vi et poenis coerciti[19]). Accedebat ut iurisdictionem quoque de sociorum causis maioribus, quum publicis tum etiam privatis, Athenienses ad se traherent, illosque iuris inter se praebendi repetendique causa Athenas navigare cogerent[20]), quae res quam molesta sociis quamque Atheniensium potentiae et aerario utilis fuerit, non opus est exponere.

§. XXXII.

Huiusmodi iniuriis vexatos socios non mirum est Atheniensium dominationem aegerrime tulisse et quamlibet excutiendae servitutis occasionem libenter arripuisse[1]). Igitur bello Peloponnesiaco, imprimis post cladem in Sicilia acceptam[2]), plu-

---

16) Cf. Boeckh. oec. r. p. A. I p. 438.

17) Thucyd. I, 115. cf. Wachsmuth. I, 2 p. 82.

18) Ἐπίσκοποι, Harpocr. h. v. Φύλακες. Schol. Aristoph. Avv. v. 1022. Κρυπτοί, Lex. Seguer. p. 273. Hellenotamiis quoque Pollux VIII, 52 tribuit τὸ ἐφορᾶν τὰς πολιτείας τῶν νησιωτῶν.

19) Cf. Wachsmuth. I, 2 p. 78. 79.

20) Boeckh. I p. 433—436. Wachsmuth. l. l. p. 80. Proc. Att. p. 777—780.

1) Ita e. c. Euboeenses defecerunt eodem anno cum Megarensibus, ol. 83, 4, sed recepti a Pericle et agrorum magna parte mulctati sunt, quae Atticis cleruchis divisa est. Thucyd. I, 114. Diodor. XII, 22. Philoch. ap. Schol. Aristoph. Nubb. v. 213. Item Samii et Byzantii, ol. 84, 4. 85, 1. Thucyd. I, 115—117.

2) Iam ante hoc tempus Potidaeatae cum Chalcidensibus et Bottiaeis inter belli Peloponnesiaci initia defecerunt (Thucyd. I, 56—59), sed ad deditionem adacti agroque suo expulsi sunt, in quem cleruchi missi. (Id. II, 70.) Similiter cum Aeginetis actum est (ib. c. 27), nec multo aliter cum Mitylenaeis, nisi quod hi non expulsi. III, 50. Chalcidensibus, qui octavo belli anno ad Spartanos defecerant, quomodo Niciae pace cautum sit, vid. ap. Thucyd. V, 18.

rimi continuo ad Spartanos defecerunt [3]); devicta autem ad Hellespontum classe Atheniensium, moxque etiam urbe capta, omnes qui adhuc in fide permanserant, aut sua sponte aut coacti ad illorum societatem se adplicuerunt [4]). Ita Spartani praeter veterem illum in Peloponneso principatum, quem semper retinuerant [5]), nunc etiam maris principatum nacti sunt; neque tamen hunc diuturnum. Primum enim sociorum animi, quos initio spes libertatis et Atticae dominationis odium illexerat, brevissimo tempore multo durius Spartanorum imperium experti multoque magis ab his quam olim ab Atheniensibus abalienati sunt [6]). Nam praeterquam quod tributis aliisque exactionibus nullo modo levabantur, aliquanto gravius tulerunt res publicas ubique ad Spartanorum arbitrium constitutas, libertatemque civitatum paucorum dominatione oppressam, quos quidem Spartani non ex virtute aut nobilitate, sed ut quisque maxime plebi adversarius esset, imposuerunt, suisque opibus et militaribus praesidiis adversus civium odia sustentarunt [7]). Itaque postquam Per-

3) Thucyd. VIII, 2. 5. 14. 17. 19. 22. 35. 44. 62.

4) Xenoph. Hellen. II, 2, 5. Cf. Diodor. XIII, 107. Plutarch. Lysand. c. 13. Iustin. V, 7.

5) Nisi quod Corinthii in breve tempus defecerunt (Thucyd. V, 27.), itemque Mantinenses (c. 29) et Elei aliquando alienati fuerunt. (c. 61.) Ceterum bello Peloponnesiaco etiam Pellenenses Spartanorum societati se adiunxerunt (Thuc. II, 9.), ac postea ceteri quoque Achaei, permanseruntque in ea etiam post bellum. Conf. Xenoph. Hellen. IV, 2, 18. 20. VI, 2, 2. 4, 18. 5, 29. VII, 2, 2. 11. 14. ib. 4, 28. 30 et 5, 1. 18.

6) Vid. Xenoph. Hellen. III, 5, 12. 13. Theopomp. ap. Plutarch. Lysand. l l. cf. Isocr. de pace c. 32 sqq. Diodor. XIV, 10. Polyb. VI, 49, 10.

7) De decarchis et harmostis vid. Plutarch. Lysand. c. 13. Diodor. XIV, 13. Pausan. IX, 32, 6. Morus ad Isocr. Panegyr. c. 32. Schneider. ad Aristot. Polit. p. 146. Wesseling. ad Diodor. l. l. et XIII, 66. De formis δεκάρχης (— ος) et δεκάδαρχ. cf. Ellendt ad Arrian. II p. 448. Harmostas autem s. praesidiorum praefectos cum illis viginti, quos supra P. IV §. 5, 5 in perioecorum regionibus fuisse coniecimus, nihil praeter nomen com-

sarum quoque hostes facti et a Conone, classis regiae praefecto, magno ad Cnidum proelio navali superati sunt, omnes celeriter socii defecerunt [8]), Athenienses autem, occasione prudenter usi, alios ac dein alios sibi conciliarunt, brevique tempore non contemnendae societatis rursus principes extiterunt [9]): neque pax Antalcidae, quae in libertatem omnes maximas minimas Graecorum civitates adserebat [10]), crescentem Atheniensium potentiam diu remorata est, quo minus eosdem omnes, quos olim socios habuerant, rursus sibi adiungerent, principatumque veterem recuperarent [11]). Ceterum novae huius societatis eadem plane quae prioris illius ex bono in deterius mutatio fuit. Nam initio quidem libertas sociorum et iuris aequabilitas conservata, communibus consiliis, per legatos in Atheniensium urbe habitis, pariter omnes adhibiti, collationes, συντάξεως nomine, modicae et aequa ratione exactae [12]). Paullatim autem cum opibus simul et superbia Atheniensium et dominandi lubido crevit, omniaque illa rursus usurpata, quibus olim nomen suum atque principatum invisum ac gravem sociis reddiderant [13]). Itaque hunc quoque retinere non diu potuerunt. Primum bello sociali ab Ol. CV, 3 ad CVI, 2 Byzantii, Chii, Coi, Rhodii in liberta-

---

mune habere, vix opus est monere. Lachmanni opinationes (de Spart. re publ. p. 181 sqq.) excutere nolo.

8) Cf. Xenoph. Hellen. IV, 8, 1. Diodor. XIV, 84. Corn. Nep. Conon. 4, 4. Iustin. VI, 3.

9) Xenoph. Hellen. IV, 8, 12. Cf. Dinarch. in Demosth. p. 11.

10) Praeter Asianas: hae enim Persis additae. Xenoph. Hellen. V, 1, 31. Cf. Wachsmuth. I, 2 p. 189, et de Asiae urbium condicione ante pacem, dum Lacedaemonii valebant, id. ib. p. 229. 231.

11) Vid. Boeckh. oec. r. p. A. I p. 447 sqq.

12) Id. ibid. p. 449. 450.

13) Ibid. p. 450—453.

tem se vindicarunt [14]), dein alii passim alienati [15]), donec tandem Philippi victoria Atheniensium potentiam in perpetuum fregit [16]).

§. XXXIII.

Interim Spartani, Peloponnesiae societatis principatu etiam absque maris imperio satis validi, post pacem Antalcideam multis modis potentiam suam augere ceterasque Graeciae civitates sibi subiungere conati erant; quae conamina, quoniam effectu caruerunt, hoc loco referre nihil opus est [1]). Nam post iniustam Cadmeae occupationem Thebano bello conflato gravissimisque cladibus acceptis pristino dignitatis et potentiae statu ita deiecti sunt, ut resurgere posthac nunquam potuerint [2]). Minus etiam de Thebanorum usurpandi principatus consiliis per aliquod tempus agitatis sed cito elusis exponere attinet [3]). Neque ullus post haec tempora populus tantum, terrestribus quidem copiis, valuit, ut ceterorum libertati officere posset, ac mox devictis ad Chaeroneam Atheniensibus et Thebanis principatus totius Graeciae ad Macedones translatus est. Philippus enim, consternatis Chaeronensi clade Graecorum animis, omnium civitatum legatos ad formandum rerum praesentium statum convenire Corinthum iussit, ibique consilia et de componendis Graeciae rebus et de bello contra Persas gerendo ex ipsius arbitrio habebantur, principatusque ei omnium qui aderant suffragiis decretus [4]). Eodem modo post

14) Diodor. XVI, 7 et 22.

15) Boeckh. l. l. p. 453—455.

16) Pausan. I, 25, 3.

1) Cf. de his Wachsmuth. I, 2 p. 228 sqq. Hermannn. Ant. Gr. §. 40. 41.

2) Vid. supr. P. IV §. 22, p. 146.

3) Cf. cap. 5 §. 20, 32. 33.

4) Iustin. IX, 5: „Compositis in Graecia rebus Philippus omnium Graecorum legatos ad formandum rerum praesentium

Philippi mortem oppressamque Thebanorum rebellionem Alexander in concilio Graecorum Corinthi congregato principatum sibi ac belli imperium decerni curavit [5]), permansitque Graecia Macedonum potestati obnoxia usque ad mortem Alexandri [6]). Uno deinde recuperandae libertatis conatu frustra suscepto [7]), successorum bellis varie vexabatur, donec Aetolorum et Achaeorum foederibus alii complures adiuncti aliquam veteris Graeciae speciem aliquamdiu retulerunt.

---

8. De foedere Aetolico.

§. XXXIV.

Aetolorum foedus, licet antiquissimum haud dubie fuerit [1]), non tamen diserte a scriptoribus commemoratur ante illud tempus, quo post mortem magni Alexandri varia cum eius successoribus certamina Graecis subeunda fuerunt, extinctisque clarioribus Graeciae luminibus etiam illis, qui ignobiles antea et obscuri fuerant, crescendi et inclarescendi locus datus est. Hac igitur tempestate Aetoli, gens bellicosa et libertatis amantissima neque unquam antea ab hostibus subacta [2]), quippe quum etiam ipsius terrae suae natura et situ facilius quam ceteri se defenderent,

---

statum evocari Corinthum iubet. Ibi pacis leges universae Graeciae pro meritis singularum civitatum statuit, consiliumque omnium veluti unum senatum ex omnibus legit." Cf. Diodor. XVI, 89.

5) Diodor. XVII, 3 sqq. Arrian. I, 1, 2. Plutarch. Alexand. c. 14.

6) De Agidis bello contra Antipatrum cf. Diodor. XVII, 62. 65. 73. Iustin. XII, 1. Curtius VI, 1.

7) Vid. supr. P. V c. 9 §. 93, 11. 12.

1) Vid. supr. cap. 5 §. 18, 3—6.

2) Cf. Ephor. ap. Strab. X, 3 p. 463. Meier-Marx. p. 126 sqq. Add. Lucas, über Polybius Darstellung des Aetolischen Bundes (Koenigsberg. 1827. 4.) p. 63.

uni omnium maxime Macedonum viribus fortiter resistebant, multisque strenue ac feliciter gestis nobilitati tanquam propugnatores Graecorum libertatis alios populos complures societati suae adiungebant, adeo ut non modo propinquae Locrorum et Phocensium civitates [3]) magnaque Thessaliae pars [4]) et Acarnanes, quamquam inviti [5]), Cephallenia denique ceteraeque illius maris insulae usque ad Maleam promontorium [6]), sed etiam in media Peloponneso Arcades plerique [7]), ad hoc aliquot Aegaei maris insulae, velut Ceos [8]), quin Asianae quoque civitates, Cios, Chalcedon, atque in Thraciae littore Lysimachia [9]) aliquo tempore foederis Aetolici essent. Sed cum plerisque horum brevis tantummodo et admodum incerta coniunctio fuit, prout belli fortuna Aetolis aut prospera aut adversa erat. Florebant autem res Aetolorum maxime a Cassandri temporibus usque ad Philippum Demetrii f., contra quem societatem Aetoli cum Romanis inierunt. Sed ab his non pro merito tractati [10]), moxque perspecta Romanorum perfidia et dominandi cupiditate ex amicis

---

3) Vid. Polyb. XVIII, 30, 9. Diodor. XVIII, 38. De Naupacto, quae Locrorum fuit, cf. impr. Boeckh. Corp. Inscr. II p. 281. Nonnunquam ibi concilium Aetolorum habitum. Polyb. V, 103, 2. Liv. XXXI, 29, 8. XXXV, 12, 3. De occupata ab Aetolis Delphorum urbe temploque Apollinis cf. Plutarch. Demetr. c. 40 extr. Iustin. XXIV, 1. Polyb. IV, 25, 8. Boeckh. ad Corp. Inscr. I p. 824.

4) Diodor. XVIII, 38. De Heraclea, Lamia, Hypata, Thebis Phthioticis, Xynia cf. Liv. XXXV, 43 et 49. XXXVI, 26. XXXIX, 26. Pausan. X, 21, 1. Polyb. V, 99, 2. X, 42, 4. XVII, 3, 12. 8, 9. XVIII, 21, 3.

5) Pausan. I, 25, 4. Polyb. IX, 32, 2. V, 14, 1. Cf. Liv. XXVI, 24, 6.

6) Polyb. IV, 6, 2. Florus II, 9.

7) Orchomenus, Tegea, Mantinea, Phigalia. Polyb. II, 46, 2. IV, 3, 6.

8) Boeckh. Corp. Inscr. I p. 824. II p. 281.

9) Polyb. XV, 23, 8. XVII, 3, 11. 12.

10) Liv. XXXIII, 11, 10. ib. 13, 7 sqq. c. 31. c. 34, 7. et 35, 10.

hostes facti, Antiocho Magno se adiunxerunt [11]), quo superato et ipsi durissimas pacis condiciones accipere coacti sunt [12]). Post hoc tempus, internis insuper discordiis vexati [13]), resumere vires non potuerunt, paucisque post annis, Perseo Macedoniae rege devicto, Aetoliae principes plerique, qui favisse Macedonum partibus insimulabantur, Romam abstracti, alii supplicio affecti, pauci tantum post longum tempus remissi sunt [14]). Populus autem Aetolorum inde ab hoc tempore sub Romanorum imperio delituit; et terra quoque Aetolia maximam partem desolata, traductis plerisque Nicopolin coloniam ab Augusto conditam [15]).

§. XXXV.

Formula autem foederis Aetolici haec fere fuit. Primum ut plane aequis condicionibus quum ipsi Aetoli, tum exteri qui in societatem recepti essent, inter se uterentur, nullo unius alicuius civitatis praeter ceteros iure praecipuo ac principatu [1]); deinde ut belli, pacis foederumque cum aliis faciendorum consilia communiter ab omnibus inirentur, neque cuiquam separatim a ceteris de huiusmodi negotiis statuere liceret [2]); denique ut

---

11) Id. XXXIV, 23, 8 sq. XXXV, 12, 4 sq. et c. 33.

12) Id. XXXVIII, 11.

13) Id. XLI, 25 (30). XLII, 4, 5. 5, 10. 11.

14) Id. XLV, 31, 9. Iustin. XXXIII, 2.

15) Pausan. VII, 18, 6. X, 38, 2.

1) Quod apud Pausan. X, 21, 1 legitur, *οἱ Αἰτωλοὶ συντελεῖν τοὺς Ἡρακλεώτας ἠνάγκασαν ἐς τὸ Αἰτωλικόν*, ex eo non arbitror colligi posse, Heracleotas, et si qui alii vi coacti in foedus Aetolorum essent, propterea pro subditis fuisse et communium consiliorum minus ceteris participes. Et Polybius de huiusmodi civitatibus idem quod de ceteris verbum *συμπολιτείας* usurpat, velut IV, 25, 7: *τοὺς ὑπὸ τῶν καιρῶν ἠναγκασμένους ἀκουσίως μετέχειν τῆς Αἰτωλῶν συμπολιτείας*. Cf. IV, 3, 6. XVII, 3, 12. XVIII, 30, 9. Principatus autem nullum usquam indicium comparet.

2) Cf. Liv. XXXI, 32, 3. Tittmann. p. 723 sq. Inscriptio Teia, cuis hic mentionem facit, extat in Corp. Inscr. no. 3046.

etiam interna rerum publicarum administratio, quamvis in universum libera singulis civitatibus, posset tamen, si opus esset, communibus omnium consiliis regi et ordinari [3]. Conciliorum duo genera erant, alterum, quum magna ex omnibus civitatibus multitudo conveniebat [4], alterum, in quo pauciores considebant a civitatibus suis delegati. Atque hi quidem Apocleti vocabantur [5], perpetuoque congregati de rebus minoribus aut subitis ipsi decernebant, de maioribus ad multitudinem referebant [6]. Maiora concilia aut ordinaria erant statisque temporibus habenda [7], aut extra ordinem quum res posceret convocata. Ex ordinariis unum quotannis sub auctumnalis aequinoctii tempus apud Thermum habebatur [8], Panaetolicum dictum, ad Apollinis templum, cum sacris quoque communibus et ludis Apollini consecratis [9]. In hoc imperatores aliique annui magistratus creabantur [10]. Extraordinarii conventus quo commodum erat convocari solebant [11]. Summus totius

3) Id probatur Dorimachi et Scopae exemplo, quos Polybius fragm. lib. XIII, 1 νομογράφους ab Aetolis creatos esse scribit, quo res civitatum aeris alieni magnitudine perturbatas ordinarent. Pertinet hoc ad ol. 143.

4) Cf. Polyb. V, 103, 2. 6. XVIII, 31, 6. XXVIII, 4, 1. Diodor. XIX, 66. Liv. XXXV, 34, 2. 46, 1. Tittmann. p. 725, 52.

5) Liv. XXXVI, 28, 8: „in consilio delectorum, quos apocletos vocant." Cf. id. XXXV, 34, 2. 46, 1. Polyb. IV, 5, 9. XX, 1 et 10, 11. XXI, 3, 2.

6) Vid. locc. laudd. et Tittmann. p. 726. 727, qui tamen Livii locum XXXV, 45 extr. non recte accepisse videtur. Extraordinarium concilium apocletorum decreto indictum Polybius memorat XX, 10, 14.

7) Polyb. IV, 15, 8. Tittmann. p. 726.

8) Polyb. IV, 37, 2. Strab. X, 3 p. 463. Cf. Boeckh. ad Corp. Inscr. II p. 632. 633.

9) Polyb. IV, 8, 5. cf. XI, 4, 1.

10) Id. IV, 37, 2.

11) V. c. Thermum, Polyb. XXVIII, 4, 1, ubi Romanorum legatio introducitur de bello adversus Persen dandisque ab Ae-

foederis magistratus **Strategus** erat, qui non solum exercitus imperium habebat, sed etiam conciliis vel minoribus vel maioribus praeerat, res consultandas proponebat, in suffragium mittebat[12]). Huius nomen etiam tabulis publicis ad anni designationem praescribebatur[13]). Additus Stratego **Hipparchus** erat, qui equitatui praeesset aliisque in negotiis illum adiuvaret. Praeterea *γραμματεύς*, quasi **cancellarium** dicas[14]). Qui autem apud Polybium et in quadam inscriptione commemorantur *νομογράφοι*, extra ordinem nonnunquam creati esse videntur[15]).

---

tolis obsidibus. Hypatam, id. XXXVI, 26, 1, de legatis ad Antiochum mittendis. Heracleam, Liv. XXVIII, 5, 13, de bello adversus Philippum. Naupactum, Polyb. V, 103, 2, de pace cum Achaeis facienda. Naupactum, Liv. XXXI, 29, 8, de bello ac pace. Naupactum, Liv. XXXV, 12, 2, de bello adversus Romanos. Lamiam. Liv. XXXV, 9, de eadem re.

12) Ipsi, quum de bello consuluisset, sententiam dicere non licuisse Philopoemen ait apud Liv. XXXV, 25, 7, neque adversatur alter locus, XXXI, 32, ubi strategus nihil nisi differendam consultationem de bello suadet. Non erat igitur, quod nonnulli corrigendum illum locum et pro Aetolis Achaeos reponendos esse censerent.

13) Vid. Corp. Inscr. no. 3046 et Boeckh. ib. tom. I p. 823.

14) Tres hos magistratus, praetorem, praefectum equitum, scribam publicum, coniungit Liv. XXXVIII, 10, 7 et Polyb. XXII, 15, 10. Cf. Tittmann. p. 727.

15) Polyb. XIII, 1. Corp. Inscr. no. 3046 cum Boeckh. adnot. tom. II p. 633 extr. — Commemorantur praeterea *πρόεδρος τῶν Αἰτωλῶν* ap. Appian. Maced. tom. I p. 513 Schweigh. et *σύνεδροι* in inscriptt. no. 2350. 2352. 3046. Sed *πρόεδρος* ille, (Alexander Isius de quo vid. Polyb. XVII. 3, 1. XVIII, 19, 5.) fortasse nihil aliud nisi princeps legationis est; *σύνεδροι* autem, qui foedus cum Ceiis et Teiis confirmant, ac de iniuriis contra foedus commissis iudicant, an et qua ratione ab apocletis diversi fuerint, discerni non potest. — De polemarchis singularum civitatum vid. quae Boeckh. monet Corp. Inscr. I p. 823.

---

9. De foedere Achaico.

§. XXXVI.

Achaeorum duodecim civitates [1]) inde ab antiquissimis temporibus aequo inter se foedere iunctae [2]), formaque rei publicae eadem omnes usae, inter plebis potestatem optimorumque auctoritatem prudenter temperata [3]), per multa saecula quietae pacataeque et aliorum certaminibus nunquam aut raro immixtae, si non cum gloria et splendore, at prospere tamen ac secure vixerant usque ad Macedonica tempora [4]). Tunc enim, sicut reliquae Graeciae status multis modis concussus et perturbatus, ita etiam Achaeorum vetustissima coniunctio dissoluta est, civitatesque aliae Macedonum praesidiis occupatae, aliae tyrannorum dominationi subiectae, donec circ. ol. CXXIV, dum Macedoniae vires domesticis certaminibus distinentur, quattuor Achaeorum urbes, Dyme, Patrae, Tritaea, Pharae, occasione prudenter arrepta, foedus inter se renovarunt, cui quinque post annis etiam Aegienses, eiecto Macedonum praesidio, Burii, expulso tyranno, Cerynenses, deposita ab Isea tyrannide, itemque ceterae quae tunc erant in Achaia civitates se adiunxerunt [5]).

1) Harum nomina apud Herodot. I, 145 leguntur haecce: *Πελλήνη, Αἴγειρα, Αἰγαί, Βοῦρα, Ἑλίκη, Αἴγιον, Ῥύπες, Πατρέες, Φαρέες, Ὤλενος, Δύμη, Τριταιέες.* Eadem Strabo habet VIII, 7 p. 385. 386, et unam quamque harum civitatum septem vel octo pagos habuisse addit. De Polyb. II, 41, 8 vid. infr. not. 6.

2) Polyb. II, 41, 5. 6.

3) Id. II, 38, 6. Strab. l. l. p. 384. Xenoph. Hellen. VII, 1, 43. 44. 45. Add. Heyn. opuscc. II p. 181 sq.

4) De omni Achaeorum historia vid. imprim. E. Helwing, Geschichte des Achaeischen Bundes. Lemgow. 1829. 8. A. Matthiae in Ersch. et Grub. Encyclop. s. v. Achaeischer Bund, et in eius opuscc. (Vermischte Schriften, lat. u. deutsch. Altenburg. 1833. 8) p. 239—258. C. F. Merleker, de Achaicis rebus antiquissimis. Regimont. 1831. 8 et Achaicorum libri tres Darmstad. 1837. 8.

5) Erant tunc undecim: primum septem illae, quarum no-

§. XXXVII.

Formula foederis simillima erat ei qua Aetoli utebantur: eadem iuris inter omnes aequabilitas, nullo unius principatu, eadem consiliorum adversus exteros communio, idem denique universorum de singulorum rebus statuendi ius et potestas. Concilia maiora, in quibus de bello, pace ac foederibus [1]), de recipiendis in societatem novis civitatibus [2]), de magistratibus creandis [3]), de legibus ferendis aut abrogandis, denique de controversiis civitatum dirimendis aut de vindicandis delictis contra foedus commissis [4]) statueretur, ordinaria bina quotannis verno et auctumnali tempore [5]),

---

mina supra posui, ad has Aegira, Pellene, Olenus, Leontium: nam duodecima Helice ol. 101, 4 terrae motu et maris exundatione hausta erat. Strab. VIII, 7 p. 384. Pausan. VII, 7, 1. 24, 5. 6. 25, 2. Aegae autem et Rhypes, quas Herodot. I, 145 nominat, iam tum aut interierant aut cum aliis in unum conflatae erant; et Aegas Aegirae attributas, Rhypensium agrum ab Aegiensibus et Pharensibus possessum esse Strabo p. 386. 387 diserte testatur. Earum loco Cerynea et Leontium excreverant, quas pro iis Polyb. II, 41, 8 nominat. Cf. Niebuhr. H. R. II p. 23. Apud Pausan. VII, 6, 1 pro Aegio corruptum nomen Ἐάσιον, pro Cerynia Cecyrina extat. (De Cerynia cf. et Groskurd. ad Strab. tom. II p. 110.) Praeterea in eo Paus. fallitur, quod Ceryniam in veteribus duodecim numerat Patris omissis. Ceterum Olenum renovato foederi non accessisse Strabo refert p. 384, et Polybii aetate aut non superfuisse videtur aut certe attributa Dymaeis. Vid. Strab. p. 386. Merlekerus Achaic. p. 26 eam iam ante pugnam Leuctricam mari hauriendam dedit.

1) Exempla vid. ap. Polyb. IV, 7, 1. 14, 1. 15, 1—4. 26, 7. V, 1, 6. 7. XXIV, 12, 12. XXIV, 9, 6. XXXVIII, 4, 2—5. Liv. XXXVIII, 31. 32. Pausan. VII, 9, 1. Cf. Helwing. p. 234.

2) Polyb. XXV, 1, 5.

3) Id. IV, 82, 7. V, 30, 7. Plutarch. Arat. c. 41.

4) Pausan. VII, 8, 3. 9, 2. 3. 12, 1. 2. Cf. et Merlek. p. 78.

5) Ordinarium concilium, ἡ καθήκουσα ἐκ τῶν νόμων σύνοδος, (Polyb. IV, 7, 1. cf. XXXVIII, 3, 5. XL, 2, 1) alterum vere habebatur sub ortum Pleiadum (Vergiliarum) h. e. paullo post aequinoctium (cf. Ideler. Handb. der Chronol. I p. 243.), in quo strategi creabantur. Polyb. IV, 37, 2. V, 1, 1. 30, 7; alterum, ἡ δευτέρα σύνοδος (id. XXIV, 12. 12.), ἤδη συνάπτοντος τοῦ χειμῶνος. Id. II, 54, 13.

extraordinaria autem quum res posceret habebantur. Ordinariis locus legitimus erat in Arnario (Aenario, Homario), Iovis Homagyrii luco apud Aegium cum propinquo Cereris Panachaeae templo [6]); extra ordinem concilia vel Aegium vel in alium quemlibet locum commodum convocabantur a magistratibus [7]). Ab iisdem etiam proponebatur multitudini de quibus rebus deliberandum esset [8]). Verba ad populum facere rogationesque ferre cuivis licebat [9]), modo ne de aliis rebus, quam quae propositae quarumque causa conventus indictus erat: nam id ne magistratibus quidem concessum erat [10]). Interesse concilio omnibus licebat foederatarum urbium civibus, qui quidem trigesimum aetatis annum explessent [11]); in deli-

6) De Arnarii vel Aenarii nomine (nam utraque forma ap. Strabonem extat,) cf. Schweighaeus. ad Polyb. tom. V p. 436, qui de utroque dubitat verumque nomen esse statuit Homarium, probantibus Corae ad Strabon. VIII, 7, 3 et Groskurd. tom. II p. 106. Sed Arnarium haud dubie P. Gu. Forchhammero placebit. Vid. hui. Hellenika. Berlin. 1837. p. 53. — De Iove Homagyrio et Cerere Panachaea vid. Pausan. VII, 24, 2. Cf. Tittmann. p. 681. Merlek. Ach. p. 47 sq. Erat etiam Minervae Panachaeae templum apud Patrenses. Pausan. VII, 20, 2.

7) Polyb. VI, 1, 6. 7. Cf. XXIV, 5, 16. XXV, 1, 5. Liv. XXXVIII, 30, 4. Solitum tamen etiam extraordinarios conventus Aegium potissimum indici e Polybio V, 1, 6 satis apparet. Cf. Liv. l. l. §. 3. Quamquam iam ante Philopoemenem ab hoc more nonnunquam discessum esse exempla docent ap. Tittmann. p. 682 et Merleker. p. 85. De Philopoemenis lege, ut in omnibus civitatibus invicem conventus agerentur, vid. Tittm. l. l. Hellwing. p. 228. Merlek. l. l. Ceterum convocari extra ordinem concilium non licuit *ἐὰν μὴ περὶ συμμαχίας ἢ πολέμου δέῃ γίγνεσθαι διαβούλιον*. Polyb. XXIII, 12, 6.

8) Hoc Polybius dicit *διαβούλιον διδόναι* v. *προτιθέναι*, XXV, 1, 6. XXIX, 9, 11 et al. pass.

9) Id. XXIX, 9, 10. Cf. Liv. XXXII, 20, 1.

10) Liv. XXXI, 25, 9.

11) Id recte colligitur e Polyb. XXIX, 9, 6. Cf. Tittmann. p. 680. Merleker. p. 75. Hellwingio qui p. 229 legitime legatos tantummodo civitatum congregatos esse putat, obstant vel nomina *ἐκκλησίας, ἀγορᾶς, πλήθους, ὄχλον*, quibus Polybius, concionis, quo Livius utitur. Vid. e. c. Polyb. IV, 14, 1. 8. V, 1, 9. XXVIII, 7, 3. 4. 14. XXIX, 9, 5. Liv. XXXI, 25, 2. Cf. Pausan. VII, 14, 2. Accedit locus concilii in theatro, Polyb. XXIX, 9, 6. *Συγ-*

berando autem ferendoque suffragio utrum pari omnes iure usi sint, quos fors congregasset, an certus quidam numerus legatorum e singulis civitatibus missorum a reliqua multitudine discretus fuerit, non satis liquet [12]). Erat autem lege cautum, ne ultra triduum concilium extraheretur [13]). Minoribus autem conciliis, quibus *βουλῆς* nomen tribui solet, delecti tantum intererant, quales apud Aetolos apocleti. Hi itidem ut illi de minoribus aut subitis negotiis soli cum magistratibus decernebant, de maioribus consulta faciebant, quae ad multitudinem ferrentur [14]). E magistratibus Strategus et militiae summum imperium habebat et consiliorum publicorum gubernaculum [15]). Huic subiunctus praefectus equitum [16]) pluresque, ut vi-

---

κλήτου nomen ab eodem l. l. et al. usurpatum nequaquam adversatur.

12) Quod Matthiaeus ait, opuscc. p. 243, non usitatos Graecis eiusmodi conventus fuisse, in quibus pauciores delegati civitatum suarum quodammodo personam gererent, quamvis alii quoque crediderint, est tamen haud dubie falsum. In Achaeorum conciliis suffragia certe secundum civitates numerata esse etiam e Livio colligas XXXII, 22, 8. 9. cf. XXXVIII, 32, 1.

13) Liv. XXXII, 22, 4. Cf. Helwing. p. 229. Matthiae p. 244. Merlek. p. 77.

14) Polyb. II, 46, 4 et 6: *Ἄρατος καὶ πάντες ὁμοίως οἱ προεστῶτες τοῦ τῶν Ἀχαιῶν πολιτεύματος ἔκριναν μετὰ τῆς βουλῆς κτλ.* Quum *οἱ προεστῶτες τοῦ πολιτεύματος* dubitari non possit quin magistratus sint, hique cum *βουλῇ* decretum fecisse dicantur, satis manifestum est non solos magistratus *βουλὴν* fuisse, id quod Drumann. p. 462. Matthiae. p. 244 aliique crediderunt. Alii de *βουλῇ* loci sunt Polyb. IV, 26, 8. XXVIII, 3, 10. XXIX, 9, 6; et *βουλευτήριον* XXIII, 9, 6. Semel *ἡ γερουσία* commemoratur, XXXVIII, 5, 1, quae utrum eadem cum *βουλῇ* an diversa fuerit non apparet. Drumanno p. 462. Tittmanno p. 683 et Merlekero p. 86 haec magistratibus tantummodo composita fuisse videtur. Qui autem a Plutarcho Philop. c. 21 *πρόβουλοι* dicuntur, non alii haud dubie quam *βουλευταὶ* sunt.

15) Polyb. XXVIII, 7, 6. XXXIII, 15, 4. Liv. XXXI, 25, 8. XXXVIII, 31, 1. Strategus etiam publicum sigillum, *τὴν δημοσίαν σφραγῖδα,* habebat. Polyb. IV, 7, 10. Ceterum primis quinque et viginti post renovatum foedus annis bini strategi fuerant, pari haud dubie potestate; dein singulos creari placuit. Polyb. II, 43, 1. 2.

16) Polyb. V, 95, 7. XXVIII, 6, 9.

detur, ὑποστρατηγοί [17]); praeterea scriba publicus [18]) decemque demiurgi, qui quasi in consilio erant stratego simulque cum eo concilia moderabantur [19]). Omnium dignitas annua [20]), nec strategiam per plures annos continuare veteribus legibus licitum [21]). Eosdem autem saepius strategos creari nihil impediebat [22]). Mortuo in magistratu donec successor creatus esset, decessor munia eius sustinebat [23]). Singularum civitatum forma rei publicae popularis, eademque apud omnes legum, magistratuum, iudiciorum ordinatio [24]), quin mensuris quoque et ponderibus Polybii quidem aetate iisdem omnes utebantur, adeo ut quasi unius civitatis instar urbesque singulae pro demis s. pagis essent [25]). Nihilo tamen minus libera erat suarum cuique rerum domesticarum administratio. Bellorum tantummodo pacisque cum exteris rationes non licebat nisi communibus consi-

---

17) Id. IV, 59, 2. V, 94, 1. XL, 5, 2.

18) Id. II, 43, 1. Cf. Merlek. p. 71. Helwing. p. 235. 236.

19) Hinc ὁ στρατηγὸς τὰς ἀρχὰς συνάγει, qui sunt haud dubie potissimum demiurgi, Polyb. XXIII, 10, 2. Cf. XXIV, 12, 6, παραλαβὼν τοὺς συνάρχοντας. XXXVIII, 5, 4, αἱ συναρχίαι. Ceterum cf. Hellwing. p. 236. Merlek. p. 88. Quod autem Schornius, Geschichte Gr. von der Entsteh. des aet. u. ach. Bundes. Bonn. 1833. p. 63. decem demiurgos semper tantummodo e decem veteribus Achaiae civitatibus fuisse statuit, etiam postquam aliae plurimae foederi accessissent, parum probabile videtur.

20) De ἀρχαιρεσίαις post vernum aequinoctium vid. supr. not. 7. Posteris temporibus strategos auctumno creari coepisse Schornius probabile fecit p. 210—214 et 412.

21) Plutarch. Arat. c. 24. 30. Tamen Philopoemeni continuatum magistratum legimus. Liv. XXXVIII, 33.

22) Id Arati et Philopoemenis notissima exempla satis demonstrant.

23) Polyb. XL, 2, 1.

24) Polyb. II, 37, 10. Cf. Tittm. p. 676. Hellw. p. 230 sq.

25) Polyb. l. l. §. 11. Iustin. XXXIV, 1, 2. Cf. Lucas, üb. Polyb. Darstell. des Aet. Bund. p. 13. 14. Ceterum curabatur, ut quae foederi civitates novae accederent, instituta sua civilia reliquis accommodarent. Vid. e. c. Pausan. VII, 8, 3.

liis inire [26]). Militum certum numerum et pecunias ad bellornm sumptus singulae pro portione contribuebant [27]). Ad hoc iudicia quoque erant communia, non solum de delictis contra foedus aut de civitatum controversiis, sed de aliis quoque causis, si quis a civitatis iudicibus provocasset [28]).

§. XXXVIII.

Huic foederi praeter ipsos Achaeos mox etiam aliae civitates plurimae accesserunt. Primum Sicyonii, tyranni dominatione per Aratum liberati, dein Corinthus, eiusdem Arati virtute Macedonico praesidio exempta, post hanc Megarenses, item Megalopolitani, quorum tyrannus Lydiades deposita tyrannide civitatem Achaeis adiunxit, eiusque exemplum sequuti Aristomachus, Xeno, Cleonymus, Argivorum, Hermionensium, Phliasiorum tyranni. Hique omnes pari inter se condicione ac iure erant, nullo veterum civitatum earumque qui recentius receptae erant discrimine [1]). Ita brevi tempore res Achaeorum mirum in modum creverunt, novisque subinde sociis partim voluntate partim etiam per vim receptis spes erat fore ut tota ad extremum Peloponnesus in unum corpus coniungeretur [2]), satis haud dubie valiturum ad tuendam a quovis externo hoste libertatem, nisi fatales cum Aetolis et cum Spartanis discordiae Macedonibus rursus aditum patefecissent [3]). Mox postquam Graecorum rebus etiam Romani immisceri coeperunt, Achaei horum societatem contra Macedones amplexi aliquamdiu quidem Romanis

---

26) Pausan. VII, 9, 3. et 12, 2. Polyb. XXIII, 8, 3.

27) Polyb. IV, 60, 4. 9.

28) Cf. Pausan. VII, 8, 3. ib. 9, 3. 12, 1. 2. 13, 3. *Νόμους περὶ τῆς κοινῆς δικαιοδοσίας* a se latos Polybius memorat LX, 10, 5.

1) Polyb. II, 38, 8.

2) Id. IV, 1, 7.

3) Historiam harum rerum vid. apud Schorn. p. 114 sqq.

opibus adiuti magis quam antea florere videbantur, ipsis quoque Spartanis praeterque hos Eleis et Messeniis, quamquam invitis, foederi eorum adiunctis [4]). Verum haec ipsa cum renitentibus coniunctio perpetuorum certaminum causa fuit, quae quum callide Romani alerent rebusque Achaeorum continuo se tanquam arbitros aut dominos potius interponerent [5]), adeo tandem horum animi exasperati tantoque Romanorum odio incensi sunt, ut bellum quamvis impar adversus eos suscipere non dubitarent. Victi deinde sub Romanorum imperio Achaei cum reliqua Graecia fuerunt, quamquam impari singularum civitatum condicione multisque aliqua societatis ac libertatis specie relicta [6]), etiam posteaquam in provinciae formulam Achaia redacta a Romanis magistratibus administrabatur.

4) Vid. id. p. 240 sqq. 277. 291.

5) Id. p. 309 sqq. Cf. Drumann. p. 477 sqq.

6) Ut Athenis (Strab. IX, 1 p. 398.) Spartae (id. VIII, 6 p. 365 extr.) aliisque. Liberos Achaiae populos Caesar memorat de bell. civ. III, 3. Tanagra, Thespiae, Delphi liberae civitates adhuc Plinii aetate. Vid. hui. H. N. IV, 4. 11. 12 et in univ. cf. Spanhem. Orb. Rom. p. 262 sqq. ed. Heinecc.

Index rerum et verborum.

Prior numerus paginam, alter notam designat.

D. Δ.

E.

N.

O.

Q.

R.

S. Σ.

Berolini, typis Conradi Feister

Addenda et corrigenda.

Pag. 9 not. 13 lin. 3 pro A. **Stahrio** scrib. C. **Stahrio.**
— 13 — 6 extr. Schaaffii liber tertium editus est ab É. Hormanno et J. Ch. Schinckio, Magdeburg. 1837.
— 24 lin. 19 post **praecipue** add. **et ovibus** et in not. ad h. l. add. **lanae Atticae praestantiam testatur Athenaeus** XII, 57 p. 540. cf. VI, 60 p. 219.
— 38 not. 19 Scriptoribus citatis add. Clinton. Fast. Hellen. I p. 96. 97.
— 40 — 13, 4 leg. συνοίκοις.
— 42 — 1, 2 post Herodoti nomen adde I, 57 et lin. 4 pro **Tyrrhenorum** scrib. **Tyrrhenis vicinorum**. Scriptoribus in hac nota laudatis add. Clinton. F. H. I p. 93 sq.
— 43 — 3 extr. Quum alibi semper Strabonem ex editione Casauboni citaverim, debebam etiam hic pro p. 659, quae est Almeloveenii, p. 431 sq. citare.
— 44 — 12 extr. pro 228 sc ib. 225.
— 54 lin. 7 post **Phoenicibus** add. signum notae 5, quod del. infr. lin. 8.
— — not. 7 penult. pro corresp. scrib. **corrisp.**
— 67 — 9, 1 srib. Eclaircissemens.
— 71 lin. 11 scr. δημιοεργῶν et not. 10 δημιουργῶν.
— 76 — 12 — separatim.
— 87 not. 2, 5 pro III scrib. IV.
— 92 lin. 22 pro **fugam** scr. **exilium.**
— 101 — 6 pro **neque** scr. **et.** — Ibid. not. 8 de formis ἑταιρία et ἑταιρεία debebat etiam Lobeckius laudari ad S. Aiac. p. 305.
— 115 not. 4 de τροφίμοις add. Olear. ad Philostr. p. 558. — Ibid. not. 7 de loco Plutarchi Lycurg. c. 6 cf. Krebsii Lectt. Diodor. p. 145.
— 116 lin. 9 scrib. **prolatis.** Ibid. not. lin. 3 scr. **Philological Museum,**
— 119 — 15 scrib. ὑπομειόνων.
— 121 not. 3 Cf. etiam C. F. Herrmann. in egregria censura libri Lachmanniani, Annall. critt. Berol. 1837 no. 29 p. 232.
— 126 — 19 add. Herodot. VI, 72. 85.

Pag. 129 not. 14 De ephororum creatione cf. nunc etiam Hermann. in censura modo laudata p. 263. Loci Plutarchei, Apophth. Lac. tom. II p. 121 Tauchn. mihi perlevis auctoritas esse videtur, et creatos certe a regibus ephoros non esse vel e Plutarch. Agid. c. 8 et 12 probari posse censeo, ne de aliis rationibus dicam. Sed ne a populo quidem creatos esse collegerit aliquis ex Arist. Polit. IV, 7, 5; quamquam de hoc loco anceps est iudicium.

— 148 — 20 Strabonis locus est p. 365 extr. ed. Cas.

— 159 — 10 Add Lobeck. ad S. Aiac. p. 467.

— 163 — 7 Cf. et Clinton. F. H. I p. 57. 58.

— 174 lin. 20 scrib. Zeugitas.

— 190 — 8 — pendebant, et lin. 10 quaestum.

— 197 §. YXI lin. 3. ser. *γνήσιον*.

— 198 not. 14 add. Forchhammer, die Athener uud Sokrates, Berlin 1837 p, 76.

— 201 not. lin. 2 scr. audiendi. — P. 207 not. 4, 3 scr. 1834.

— 224 lin. 12 scr. e proedris et lin. 25 impediissent. Ib. not. 17 extr. pro 59 scr. 66.

— 233, 18 scr. e patria. — P. 237 not. 9 extr. scr. 26, itemque p. 238 not. 3, 7.

— 240 not. 2, 7 scr. iudicio et p. 542 not. 3, 6 quaestio.

— 242 — 7, 9 add. Boeckh. de oec. r. p. A. I p. 195.

— 299 — 3, 12 scr. alium. — P. 305 not. 2 scr. *δημοτελῆ* et 306 not. 6, 1 *ἐπιθέτους*.

— 309 — 3 ad §. LXX pro 8 scrib. 7.

— 314 §. LXXIV lin. 2 del. comma post Neo.

— 328 not. 9 non dubitanter de fide catalogi loqui debebam.

— 358 lin. 16 pro 10 scr. 11. — P. 365 lin. 26 dubitarent.

— 368 not. lin. 4 *ἀρχιπειραταί*. — P. 369 not. 11, 9 *λύτρων*. — P. 379, 9 scr. dimissis ib. 14 qui pro et ib. not. 7, 2 *ἀνολυμπιάδες*. — P. 388, 14 excepti corrector de suo posuit pro eo quod ego scripseram recepti. P. 396, 1 scr. *πυθόχρηστοι*. — P. 412 not. 9. 3 Aleuadas. — P. 415 lin. 12 pone comma post Minyis. — P. 419 not. lin. 1 scr. Timaeus. P. 421 not. 12, 3 accepit. — P. 425 not. 5 penult. post. II add. §. 6, 18.





